Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu

Digitized by Google

Digitized by Google

# AD JOANNIS
# LAURENTII BERTI
## FRATRIS EREMITÆ AUGUSTINIANI
THEOLOGI PRÆCLARISSIMI

*LIBRORUM XXXVII.*

DE THEOLOGICIS DISCIPLINIS

ACCURATAM SYNOPSIM

SUPPLEMENTUM,

*SIVE*

## DE LOCIS THEOLOGICIS
LIBRI X.

***Compendiaria ac ſcholaſtica methodo conſcripti***

AB EJUSDEM AUGUSTINIANÆ FAMILIÆ

THEOLOGO CELEBERRIMO.

TOMUS V.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

NEAPOLI, MDCCLXXIII.

Sumptibus GREGORII, ET MICHAELIS STASI.

TYPIS JOSEPHI DE DOMINICIS.

***Superiorum Facultate ac Privilegio.***

# LECTORI BENEVOLO TYPOGRAPHUS

PRæcedentibus quatuor voluminibus omnium clariſſimi P. Joannis Laurentii Berti librorum de Theologicis Diſciplinis accurata Synopſis numeris omnibus abſoluta eſt. Sed cum ipſe ſapientiſſimus Auctor in Prolegomenis ſingularem quemdam tractatum de Locis Theologicis jamdiu promiſiſſet, quem aliis diſtractus opuſculis numquam perfecit, quemadmodum in ultimo Scholio iiſdem Prolegomenis adpoſito in Neapolitana noſtra Editione fatetur, cumque jam non ſolum Noſtrates, ſed etiam exterarum Gentium Theologiæ Candidati enixe, & repetitis vicibus Supplementum hujuſmodi undique flagitarent, expoſtularentque, nos, ut publicæ Juvenum utilitati conſuleremus, atque univerſali deſiderio ſatisfieret, quintum hunc Tomum Sy-

nopſi noſtræ adjungendum curavimus, qui libros decem complectitur de Locis Theologicis a celeberrimo Auguſtinianæ Familiæ Theologo elucubratos.

De hujuſce Operis pretio nihil a nobis Lector expectet: cenſorium judicium Theologis reſervamus. Illud tamen firme pronunciamus, omnia quidem compendiarie & ſcholaſtico more pertractata fuiſſe, & ſi non omnia, aliqua tamen in ea non vulgaria, non inutilia, ſed perjucunda, ac forſitan peregrina adinveniri. Atque hæc profecto ſunt, de quibus te, Lector amantiſſime, monitum volebamus. Labore hoc interim noſtro fruere, & vale.

# INDEX

## LIBRORUM ET CAPITUM &c.

*Quæ in hoc volumine continentur.*

### LIBER PRIMUS.

CAP. I. *De Locis Theologicis.* Pag. 1
CAP. II. *De auctoritate S. Scripturæ, ac primo de Scripturarum diverſis Canonibus.* 2
*Libri Protocanonici ex Veteri Teſtamento.* ibid.
*Ex novo.* ibid.
*Deuterocanonici ex Veteri* ibid.
*Ex novo.* ibid.
CAP. III. *De Canone, qui dicitur Eſdræ.* 3
CONCL. I. *Numquam periere ſacræ Scripturæ libri.* ibid.
CONCL. II. *A quo fuerit Canon Hebræorum confectus, prorſus incertum.* 4
*Diluuntur Objecta.* ibid.
CAP. IV. *De Scripturarum integritate,* 5
PROP. I. *Hebraicum non falſarunt Judæi.* 6
*Diluuntur Objecta* 7
CAP. V. *De Scripturarum auctoritate.* 12
PROP. I. *Revelata Religio homini prorſus eſt neceſſaria.* 13
PROP. II. *Revelata Religio in libris extat veteris & novi Teſtamenti.* ibid.
*Solvuntur Objecta.* 15
CAP. VI. *Quomodo Deus ſacros Auctores inſpiraverit, qua lingua ſcripti ſunt ſacri libri, & de variis eorum ſenſibus.* 16
CAP. VII. *De verſionibus Sacræ Scripturæ, ac primum de Verſione 70. Interpretum.* 19
CONCL. I. *Quidquid ſit de Ariſteæ libello, Verſionem, quæ dicitur 70. Alexandriæ ſub quodam Ptolemæo factam fuiſſe tenendum eſt.* 18

*Diluuntur Objecta.* Pag. 19
CONCL. II. 70. *Interpretes libros omnes veteris teſtamenti vertiſſe ex Hebraico in Græcam linguam probabilior ſententia eſt, quidquid Hodyus, Dupinus, Montfauconius ſenſerint.* 20
CONCL. III. *Extat nunc antiquiſſima illa 70. Interpretum verſio genuina & authentica.* 21
*Solvuntur Objecta.* ibid.
CAP. VIII. *De ceteris Græcorum Verſionibus.* 24
CAP. IX. *De latinis Verſionibus S. Scripturæ, ac de vulgata præſertim.* 26
CONCL. UNICA. *Verſio Vulgata latina, qua modo utitur Eccleſia in rebus ad mores & fidem ſpectantibus, nulla ratione à fontibus ſuis diſſentit, & conſequenter jure meritò authentica declarata eſt a Concilio Tridentino.* 29
*Diluuntur Hæreticorum Objecta.* ibid.
CAP. X. *De Pentateucho Samaritano, & Paraphraſi Chaldaica, de Syriaca, ceteriſque Orientalibus Verſionibus.* 30

LI.

# LIBER SECUNDUS.

CAP. I. *De Auctore librorum Moyſis & Joſue.* Pag. 31
PROP. *Pentateuchum a Moyſe, librum Joſue ab Joſue ipſo fuiſſe conſcriptos pro certo habemus.* ibid.
*Objecta diluuntur.* 33
CAP. II. *De libris Judicum, & Ruth.* 37
CONCL. *Judicum & Ruth libri auctorem habent incertum; Judicum tamen liber antiquior eſt lib. Pſalm. & Reg.* ibid.
CAP. III. *De quatuor libris Regum.* 38
CONCL. *Libri quatuor Regum incertum habent auctorem.* ibid.
CAP. IV. *De Paralipomenis, & duobus Eſdræ libris.* 40
CONCL. *Paralipomenon auctor controverſus, ſicuti & II. Eſdræ. Primi vero Eſdram fuiſſe auctorem probabilior eſt opinio.* ibid.
*Eorum ſolutio, quæ contra primum Eſdræ librum opponuntur.* 41
CAP. V. *De libro Tobiæ.* 42
CONCL. *Prima duodecim capita libri Tobiæ ex Tobiâ Patris, reliqua duo ex Tobiæ filii commentariis collecta fuiſſe, eſt pene certiſſimum, exceptis ultimis duobus verſiculis collectori tribuendis. Ceterum totus liber Canonicus eſt.* ibid.
*Solvuntur Objectiones contra II. Partem.* 43
CAP. VI. *De Libro Judith.* 46
CONCL. *Hiſtoriam Judith ſub Artaxerſe Ocho Artaxesſis Mnemoniis filio, qui juxta Euſebium regnare cœpit A. P. Jul.* 4348. *M.*3618. *U.C.* 388. *ante Chr.* 366. *uſque ad annum Per. Jul.* 4374. *& conſequenter poſt Babylonicam deportationem contigiſſe, ſententia eſt ceteris anteferenda, ac prope certa.* ibid.
*Diluuntur Objecta.* 48
CONCL. II. *Liber Judith eſt inter Canonicos annumerandus.* 49
*Solvuntur Objectiones.* ibid.
CAP. VII. *De Libro Eſther.* 52
CONCL. UNICA. *Liber Eſther cum omnibus ſuis partibus und e-*

*undequaque Canonicus eſt, atque divinus.* Pag. 53
*Solvuntur Objectiones.* 54
CAP. VIII. *De Libro Job.* 55
CONCL. I. *In Libro Jobi vera hiſtoria continetur.* ibid.
*Solvuntur Objectiones.* 56
CONCL. II. *Liber Jobi vere Canonicus eſt.* 57
*Diluuntur Objecta.* 58
CAP. IX. *De Libro Pſalmorum.* 59
CONCL. UNICA. *Pſalterium Davidis divinitus fuit inſpiratum.* 60
*Satisfit Objectionibus.* 61
CAP. X. *De Libris Proverbiorum, & Eccleſiaſtis.* 64
CONCL. I. *Eccleſiaſtes fuit a Salomone conſcriptus.* 63
*Satisfit Objectionibus.* 64
CONCL. II. *Liber Eccleſiaſtis divinæ eſt auctoritatis.* ib.
*Solvuntur Objecta.* 66
CAP. XI. *De Cantico Canticorum, Libro Sapientiæ, & Eccleſiaſtico.* 66
CONCL. I. *Liber Sapientiæ nec Salomonem, nec Philonem quemlibet habere videtur auctores. Quidquid tamen ſit de his, eſt certe divinæ auctoritatis.* 67
*Solutio Objectionum.* 69
CONCL. II. *Eccleſiaſtici liber opus eſt Jeſus filii Sirach, & divina inſpiratione conſcriptum.* 70
CAP. XII. *De Quatuor Majoribus Prophetis, Iſaia nempe, Jeremia, cui Baruch ſociatur, Ezechiele, Daniele.* 72
CONCL. I. *Iſaiæ prophetia ab eodem Propheta divino Spiritu afflante conſcripta eſt.* 73
*Solvuntur Objectiones.* ibid.
CONCL. II. *Jeremiæ Prophetia, Lamentationes, Oratio, & Epiſtola ad populum captivum ſunt opus ipſius Jeremiæ Spiritu S. afflante elaboratum, excepto ultimo prophetiæ capite, quod quidem divinum agnoſcimus, ſed incerti auctoris.* 75
*Diluuntur Objecta.* 76
CONCL. III. *Liber, qui dicitur Baruch, divinæ eſt auctoritatis.* ibid.
*Solvuntur Objectiones.* 77
CONCL. IV. *Ezechielis Prophetia Deum habuit auctorem.* 78
*Diluuntur Objecta.* ibid.
CONCL. V. *Liber Danielis ſecundum omnes ſui partes Danielem habet auctorem, & divina iſpiratione conſcriptus*

*ptus eſt, ideoque Canonicus.* Pag. ibid.
*Solvuntur Objectiones.* 79
*Solvuntur Objectiones.* 80
CAP. XIII. *Exhibens quoddam in duodecim Prophetas commentariolum.* 84
*Duodecim Prophetarum ordo chronologicus.* ibid.
CAP. XIV. *De primis duobus Machabaorum Libris.* 85
CONCL. UNICA. *Primi duo Machabaorum libri divina ſunt auctoritatis.* ibid.
*Solvuntur Objecta.* 86
CAP. XV. *Contractum exhibens in novum Teſtamentum diſquiſitionem.* 93
CONCL. I. *Epiſtola ad Hebraos Pauli eſt, & Canonica.* 94
*Solvuntur Objectiones.* 96
CONCL. II. *Epiſtola Jacobi, Juda, 2. Petri, & 2. 3. Joannis Canonica ſunt.* 99
*Diluuntur Objecta.* 100
CONCL. III. *Apocalypſis Joannis inter Canonicas Scripturas recipienda.* 102
*Diluuntur Objecta.* 103

## LIBER TERTIUS.

DE Conciliis. Monitum. Pag. ibid.
CAP. I. De Conciliorum auctoritate. 204
CONCL. Concilia ad hoc ut ſint legitima, & generalia, auctoritate Pontificis Romani ſunt congreganda, & ab ipſo rata habenda. 107
Diluuntur Objecta. ibid.
CAP. II. Nonnulla exhibens ſcitu neceſſaria in tractatu Conciliorum. 114
Concilia Generalia reprobata. ibid.
Concilia confirmata partim, & partim reprobata. 116
CAP. III. De Conciliorum neceſſitate. 127
CONCL. Concilia non abſolute & ſimpliciter ( ut ajunt Scholaſtici ), ſed tantum ſecundum quid ſunt neceſſaria. ibid.
Solvuntur Objectiones. 120
CAP. IV. De Conciliorum origine. 124
CONCL. Concilia divinam habent originem. ibid.
Diluuntur Objecta. 125
CAP. V. De jure ſuffragiorum in Conciliis. 126
CONCL. Soli Epiſcopi in Conciliis Generalibus jure habent ſuo deciſivum ſuffragium, ex privilegio autem & conſuetudine Cardinales, Abbates, & Generales Ordinum, licet non ſint Epiſcopi. ibid.
Solvuntur Objecta. 127
CAP. VI. De Concilii Præſide. 131
CONCL. Summi Pontificis jus ordinarium eſt præſidere in Conciliis, vel per ſe, vel per Legatos. 132
Solvuntur Objecta. 135
CAP. VII. De auctoritate Conciliorum. 140
CONCL. I. Concilium Generale Romani Pontificis auctoritate nec congregatum, nec confirmatum errare poteſt in fide. 146
CONCL. II. Concilium Generale etiam Romani Pontificis auctoritate congregatum errare poteſt in fide. ibid.
CONCL. III. Concilium Provinciale non confirmatum a Summo Pontifice errare poteſt in fide. 147
CONCL. IV. Ex Conciliis Provincialibus etiamſi non con-

firma-

*firmatis a Romano Pontifice probabile argumentum ſumitur ad fidei dogmata ſuadenda.* Pag. ibid.
Concl. V. *Concilium Provinciale Pontificis auctoritate firmatum nequit errare in fide.* ibid.
Concl. VI. *Concilium generale confirmatum auctoritate Romani Pontificis certam fidem facit Catholicorum dogmatum.* 148
*Reſponſiones ad Objecta.* ibid.
CAP. VIII. *De Conciliis in ſpecie, ac primum de Nicano I.* 157
Concl. I. *Nicæna prima Generalis Synodus celebrata eſt anno Æræ communis 325. Imperii Conſtantini vigeſimo, Paulino & Juliano Coſſ. & eodem anno eſt abſoluta.* ibid.
*Diluuntur Objecta.* 159
Concl. II. *Nicæna Synodus conſenſu Sylveſtri Pontificis a Conſtantino convocata fuit.* 160
*Diluuntur Objecta.* 164
Concl. III. *Oſius Cordubenſis Epiſcopus, & Vitus, & Vincentius Presbyteri præſides fuerunt in Concilio Nicæno tanquam Legati Sedis Apoſtolicæ.* 162
*Solvuntur Objecta.* 163
Concl. IV. *Viginti dumtaxat Canones edidit prima Nicæna Synodus.* 164
*Solvuntur Objectiones.* ibid.
CAP. IX. *De Synodo Conſtantinopolitana I. Generale ſecunda.* 167
CAP. X. *De Synodo Epheſina.* 169
Concl. I. *A Theodoſio Juniore convocatam fuiſſe Synodum Epheſinam Cæleſtini Papæ conſenſu aſſeruit eruditiſſimus Auguſtinenſis Chriſtianus Lupus, cujus ſententiam firmiſſime tenendam judicamus.* 170
Concl. II. *Epheſinæ Synodo Cyrillus primum, Alexandrinus Romani Pontificis nomine, dein Arcadius, & Projectus Epiſcopi, & Philippus Presbyter Roma Epheſum miſſis præſederunt.* 171
*Satisfit Objectionibus.* 172
CAP. XI. *De Synodo Chalcedonenſi.* 173
Concl. I. *Chalcedonenſe Concilium ab Imperatore Marceno S. Leonis Papæ conſenſu fuit convocatum.* ibid.
*Solutio Objectionum.* 174
Concl. II. *Chalcedonenſi Synodo Legati Leonis Papæ præfuerunt.* ibid.

Sol-

*Solvuntur Objectiones.* Pag. 175
CAP. XII. *De quinta Œcumenica Synodo.* 176
CONCL. I. *Conſenſu Vigilii ab Juſtiniano Imperatore convocata eſt. V. Synodus Generalis.* ibid.
CONCL. II. *Num Vigilius, vel Eutychius Conſtantinopolitanæ II. Synodo præfuerit, videtur incertum. A Vigilio tamen & ab univerſalis Eccleſia Concilium hoc approbatum omnino certiſſimum.* 177
*Diluuntur Objectiones.* 179
CAP. XIII. *De VI. Synodo Œcumenica.* 180
CONCL. *Generalis ſexta Synodus a Conſtantino Pogonato conſenſu Romani Pontificis convocata eſt, cui & Romanus Pontifex per Legatos præfuit.* ibid.
*Solvuntur Objectiones.* 181
CAP. XIV. *De Septima Generali Synodo Nicæna ſecunda.* 182
CONCL. I. *Adriano Summo Pontifice conſentiente convocata eſt Nicæna 2. Synodus a Conſtantino & Irene ejus matre Auguſtis.* ibid.
CONCL. II. *Synodo ſeptimæ præfuit Adrianus per Legatos ſuos.* 189
*Solvuntur Objectiones.* ibid.
CAP. XV. *De octavo Generali Concilio Conſtantinopolitano quarto.* 184
CONCL. I. *Baſilius Auguſtus conſentiente & jubente Adriano II. Summo Pontifice octavam univerſalem Synodum convocavit.* ibid.
CONCL. II. *Octavæ Generali Synodo præfuit per Legatos ſuos Pontifex Adrianus II.* 185
*Solvuntur Objectiones.* ibid.
CAP. XVI. *De nona Generali Synodo Lateranenſi prima, & decima Lateranenſi ſecunda.* 186
CAP. XVII. *De Lateranenſi III. IV. & Lugdunenſi I. Conciliis Generalibus.* 188
CAP. XVIII. *De Lugdunenſi II. Viennenſi, Conſtantienſi, Baſileenſi Conciliis.* 192
CAP. XIX. *De Florentino & Tridentina Synodo.* 196
PROP. *Sacroſancta Tridentina Synodus legitima & Œcumenica habenda eſt.* 198
*Solvuntur Objectiones.* 200

# LIBER QUARTUS.

CAP. I. *De Eſſentia Eccleſiæ.* Pag. 205
Concl. I. *Eccleſiæ membra non ſunt ſoli prædeſtinati.* 207
*Solvuntur Objectiones.* 208
Concl. II. *Juſti & Peccatores ſunt in Eccleſia, aut publici ſint aut occulti.* 209
*Satisfit Objectionibus.* 211
Concl. III. *Publici hæretici non ſunt in Eccleſia.* 213
*Solvuntur Objectiones.* 214
Concl. IV. *Schiſmatici extra Eccleſiam deputantur.* 216
*Solvuntur Objectiones.* 217
Concl. V. *Excommunicati non ſunt in Eccleſiæ unitate.* 219
*Solvuntur Objecta.* ibid.
Concl. VI. *Catechumeni non ſunt actu in Eccleſia.* 220
*Diluuntur Adverſariorum argumenta.* ibid.
CAP. II. *De unitate Eccleſiæ.* ibid.
Concl. I. *Una eſt Chriſti Eccleſia.* 221
Concl. II. *Eccleſia Romana centrum eſt unitatis.* ibid.
Concl. III. *Cæteræ hominum ſocietates, quorum fides ab Eccleſiæ Romanæ fide diverſa eſt, ab Eccleſiæ unitate certiſſime excluduntur.* 222
*Solvuntur Objectiones.* 223
CAP. III. *De Eccleſiæ Sanctitate.* 224
Concl. *Sola Eccleſia catholicorum ſancta eſt ea ſanctitate, quæ vere & proprie Chriſti competit Eccleſiæ.* 225
*Diluuntur Objecta.* ibid.
CAP. IV. *De Catholicitate Eccleſiæ.* 226
Concl. I. *Catholicitas nota eſt & character veræ Chriſti Eccleſiæ.* ibid.
Concl. II. *Eccleſia Romana eſt catholica.* 227
*Solvuntur Objectiones.* ibid.
CAP. V. *De Eccleſiæ Apoſtolicitate.* 228
Concl. *Sola Eccleſia Romana eſt Apoſtolica.* ibid.
*Solvuntur argumenta adverſariorum.* 230
CAP. VI. *De viſibili Eccleſia.* 231
Concl. I. *Chriſti Eccleſia eſt ſemper viſibilis.* ibid.
Sol-

*Solvuntur Objecta.* Pag. 232
CONCL. II. *Character viſibilitatis ſoli competit Catholicorum Eccleſiæ.* 233
CAP. VII. *De Eccleſiæ indefectibilitate.* 234
CONCL. *Vera Chriſti Eccleſia numquam defecit.* ibid.
*Diluuntur Objecta.* 236
CAP. VII. *De infallibilitate Eccleſiæ.* 237
CONCL. *Peculiares totius Orbis Eccleſiæ infallibilis ſunt auctoritatis omnes ſimul ſumptæ.* ibid.

# LIBER QUINTUS.

DE *Romano Pontifice.* 239
CAP. I. *De S. Petri Primatu ſupra cæteros Apoſtolos.* ib.
CONCL. I. *S. Petrus Primatum a Domino accepit ſupra cæteros Apoſtolos.* 240
*Solvuntur Objectiones.* 243
CONCL. II. *Romanus Pontifex primatum habet in Eccleſia jure divino.* 245
*Reſponſiones ad Objecta.* 247
CAP. II. *De infallibilitate Romani Pontificis.* 239
CONCL. UNICA. *In quæſtionibus juris infallibile eſt Romano Pontificis judicium.* ibid.
*I. Momentum ex Scripturis.* 259
*II. Momentum ex PP.* ibid.
*III. Momentum ex Actis Conciliorum Generalium.* 251
*IV. Momentum ex Hiſtoria Eccleſiaſtica.* 252
*Reſponſiones ad objecta.* ibid.

# APPENDIX.

CONCL. *Commentitius eſt Liberii lapſus, & ex Siracienſibus formulis nullam approbavit.* 253
*Reſponſiones ad Objecta.* 255

LI-

Digitized by Google

## LIBER SEXTUS.

DE SS. Patrum auctoritate. Pag.265
CAP. UNIC. 266
De auctoritate S. Auguſtini in rebus Theologicis. 267

## APPENDIX.

CONCL. I. In controverſiis Theologicis explicandis, maxime ſi ad aliquam hæreſim referantur nonnullæ, potior eſſe debet auctoritas illorum Patrum, qui hæreſes illas profligarunt. 274
CONCL. II. In controverſiis Theologicis enodandis illi Patres, qui multis & majoribus annis hæreſim aliquam confutarunt, cæteris ſunt præferendi, qui paucioribus annis idem argumentum pertractarunt. ibid.
CONCL. III. S. Auguſtinus in dogmate de gratia & libero arbitrio, necnon de Prædeſtinationis Myſterio cæteris Patribus eſt anteferendus. 275
CONCL. IV. Auguſtini doctrinam de Gratia & libero arbitrio cæteris eſſe anteferendam ex Oraculis Romanorum Pontificum demonſtratur. 278
CONCL. IV. Integritas Auguſtinianæ doctrinæ ex Conciliis comprobatur. 281
CONCL. V. Auguſtini doctrinam de gratia & libero arbitrio ſapientiſſimi comprobarunt Eccleſiæ Patres. 282
Solvuntur Objecta. 285

## INDEX

Operum S. Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi, & Eccleſiæ Doctoris eximii. 290

## EXAMEN.

Doctrinæ P. Ludovici Molinæ de concordia liberi arbitrii cum gratiæ donis R. D. Jacobo Le Boſsù Ordinis S. Be-

*Benedicti Doctore Pariſienſi auctore.* Pag. 297
CAP. I. *De diſceſſione a PP. ſententia.* 298
CAP. II. *De pauca reverentia, quam exhibet Molino S. Auguſtino in hac doctrina.* 299

## O R A T I O,

*A Clemente VIII. P. M. habita 20. Martii 1602.*

In prima Congregatione de auxiliis coram ipſo Pontifice celebrata. 307

## LIBER SEPTIMUS.

DE *auctoritate Scholaſticorum,* 308
CAP. UNIC. 309

## LIBER OCTAVUS.

DE *auctoritate Philoſophorum in rebus theologicis,* ibid.
CAP. UNIC. 310

## LIBER NONUS.

DE *auctoritate Hiſtoriæ humanæ in rebus theologicis,* 311
CAP. UNIC. ibid.

## LIBER DECIMUS.

DE *uſu rationis in re theologica.* 312
CAP. UNIC. ibid.

DE

# DE LOCIS THEOLOGICIS

## LIBER PRIMUS.

## CAPUT I.

DE LOCIS THEOLOGICIS compendioſe pertractantes ab eorum definitione primo exordiendum: eorumque nomine nil aliud venire pronunciamus, quam *fontes quoſdam inſtituendorum argumentorum ſacris dogmatibus confirmandis atque tuendis*. Gaſpar Juenin in primo ſuo Inſt. Theolog. tom. hoſce fontes decem eſſe pronuntiat, inde novem enumerat, & de novem tantum pertractat. Quare Melchioris Cani Elenchum approbantes locos Theologicos ita diſpeſcimus, ac dicimus duos tantum eſſe Theologicos fontes, *Auctoritatem* nempe, & *Humanam Rationem*, quorum primus in novem veluti dividitur rivulos.

Auctoritas:
- Sacræ Scripturæ
- Traditionum Chriſti & Apoſtolorum
- Eccleſiæ Catholicæ
- Romani Pontificis
- Conciliorum
- SS. Patrum
- Scholaſticorum
- Philoſophorum
- Hiſtoriæ Humanæ

Primum igitur de auctoritate S. Scripturæ, dein de reliquis, diſtinctis libris & capitibus agemus. Quare ſit.

## CAPUT II.

### *De auctoritate S. Scripturæ, ac primo de Scripturarum diverſis Canonibus.*

SAcræ Scripturæ nomine vetus & novum intelligimus Teſtamentum, in quo Deus ſua hominibus revelavit præcepta: quoniam autem certis quibuſdam libris comprehenditur,

tur, hinc factum eſt, ut diverſi eorumdem texerentur Canones, ſeu Catalogi. Juxta quem ſenſum loquutus eſt Auguſtinus lib. 2. cont. Creſcon. c. 31. *Salubri vigilantia Canon Eccleſiaſticus conſtitutus eſt, ad quem certi Prophetarum & Apoſtolorum libri pertineant*. P. Tourneminus Mem. Trev. 1727. art. 1. duplicem ſtatuit ſacrorum librorum Canonem, Hebræorum unum Palæſtinorum, Hebræorum alterum Helleniſtarum, ſeu Alexandrinorum, primum ab Eſdra, ſecundum ab ipſis Helleniſtis confectum. Duobus hiſce tertium adjungimus & quartum, tertium Eccleſiaſticum, quartum Tridentinum appellamus. Eccleſiaſticum Canonem conficimus, quia primis Eccleſiæ temporibus aliqui ex ſacris libris non ſtatim ſuam apud Eccleſias diverſas obtinuerunt auctoritatem, ſed temporis progreſſu Eccleſiarum conſenſu ſunt conſecrati. Tridentini vero Canonis nomine certum eſt, nos intelligere Indicem illum, qui in Tridentina Synodo eſt conſecratus. Hæreticorum Canonem hic non curamus, tot ſunt enim apud ipſos ſacrorum librorum Indices, quot pene Hæreticorum ſunt ſectæ. Illud tantum adjungimus ex his ſequi, ſacros Scripturæ libros alios eſſe Protocanonicos, alios Deuterocanonicos appellari. Libri enim illi, de quorum auctoritate numquam dubitatum eſt, Protocanonici dicuntur; illi vero, de quibus aliquando orta eſt controverſia, Deuterocanonici nominantur, quorum hic duplicem teximus Catalogum.

*Libri Protocanonici ex Veteri Teſtamento.*

Quinque libri Moyſis, Joſue, Judicum & Ruth, quatuor libri Regum, Paralipomenon duo, Eſdræ duo, Job, Pſalterium, Proverbia, Eccleſiaſtes, Cantica, Eſaias, Jeremias cum Threnis, Ezechiel, Daniel, Prophetæ 12.

*Ex novo.*

Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes, Actus Apoſtolorum, Pauli ad Romanos, ad Corinthios 1. & 2. ad Galatas, ad Epheſios, ad Philippenſes, ad Coloſſenſes, ad Theſſalonicenſes 1. & 2. ad Timotheum 1. & 2. ad Titum, ad Philemonem, Petri Epiſtola 1. Joannis Epiſtola 1.

*Deuterocanonici ex veteri.*

Eſter, Tobias, Judith, Baruch, Jeremiæ Epiſtola, Sapientia, Eccleſiaſticus, Oratio Azariæ, Hymnus trium puerorum, Suſannæ hiſtoria, Beli hiſtoria, Machabæorum primus & ſecundus.

*Ex novo.*

Marci caput ultimum, hiſtoria de Chriſti agonia apud Lucam

cam Joannis hiſtoria de Muliere Adultera, Epiſtola ad Hebræos, Epiſtola Jacobi, Epiſtola Petri 2., Joannis 2. Joannis 3. Epiſtola Judæ, Apocalypſis.
*Si quis autem libros ipſos integros cum omnibus ſuis partibus, prout in Eccleſia Catholica legi conſueverunt, & in veteri vulgata editione habentur, pro ſacris & canonicis non ſuſceperit, Anathema ſit*. En Canon Concilii Tridentini. Qui plura deſiderat, adeat Sixtum Senenſem c. 1. Biblioth. S.

## CAPUT III.

### *De Canone, qui dicitur Eſdræ.*

OMnium pene Theologorum & Interpretum vulgaris eſt opinio, ſacrorum librorum Canonem ab Eſdra primo fuiſſe confectum. Verum licet in hoc omnes pene conveniant, circa modum diſcrepant tamen, quo Eſdras potuerit Canonem iſtum conficere. Unde tres diverſæ exſurgunt ſententiæ: 1. docet ſacros libros in Babylonica periiſſe deportatione, unde inferunt Eſdram illos ex integro litteris mandaſſe. Altera a communi ceterorum fato ſacrum exemplar ſervaſſe & poſt captivitatem tranſcripſiſſe; Tertia tandem illum recenſuiſſe, & reſtituiſſe veteres codices ut eorum verba ſervaret, illis tamen non ſerviret. Ut vero quid nos ſentiamus appareat, ſequentibus duobus abſolvimus quæſtionibus.

### CONCLUSIO I.

*Numquam periere ſacræ Scripturæ libri.*

Dem. Si periere ſacræ Scripturæ libri, maxime vel in Babylonica captivitate, vel ſub Antiochi prophanatione; falſum utrumque: ergo &c. Prob. min. quoad 1. partem. 1. Si quidem Sacerdotes & Levitas numquam ſacris libris caruiſſe credendum eſt: quid quod aderant in Babylonica deportatione Baruch, Daniel, aliique ſancti viri? Num iſti ſine libris ſacris? Quis ſibi perſuadeat libros illos Mardocheum, Eſtherem, Tobiam, Exechielem non habuiſſe præ manibus? Nonne Suſannam legum Moſaicarum præcepta edoctam fuiſſe apud Danielem legimus, latamque in ejus accuſatores ex præſcripto legis ſententiam? Quid plura? 2. Eſd. 8. 1. legimus hæc poſt captivitatem contigiſſe: *Dixerunt Eſdræ Scribæ ut afferret librum legis Moyſi, quam præceperat Dominus Iſraeli. Attulit ergo Eſdras legem coram multitudine &c.* Ergo tempore Babylonicæ captivitatis ſacri libri non periere.

Sed nec Antiochi tempore. Nam conſtat quidem Antiochum Epiphanem ſacros libros incendiſſe, ſed non omnes, ſiquidem cum Machabæi in Maſpha cœtum indixiſſent, ibi coram Domino libros ſacros a militum furore ſubductos aperuerunt 1. Machab. 11. 48. datiſque ad Lacedæmones litteris, nihil ſe tot malis afflictos ſolatii, niſi in lectione ſacrorum librorum capere poſſe, ſignificarunt, ibid. Non ergo Antiochus ſacros omnes libros abſumpſerat, quod erat ſecundo loco oſtendendum.

## Conclusio II.

### *A quo fuerit Canon Hebræorum confectus, prorſus incertum.*

Dem. Illud eſt prorſus incertum, circa quod ſilent Scripturæ, PP. inter ſe digladiantur; ſed res ita ſe habet circa propoſitam quæſtionem: Ergo &c. Prob. 1. pars. Nullum adduci poteſt Scripturarum teſtimonium, quod aſſerat, Eſdram fuiſſe Hebræorum Canonis auctorem. Ergo Scripturæ ſilent circa propoſitam quæſtionem. Ant. conſtabit ſolutione argumentorum. Prob. 2. pars facili negotio, primo ex eo, quod PP. circa modum non conveniunt, ut ſupra vidimus. Et reapſe Clemens Alex. 1. Strom. S. Baſilius M. Epiſt. ad Chilonem, Leontius lib. de Sect. Iſidorus lib. 6. Originum, & recentiorum auctorum plurimi volunt: Eſdram Spiritus Sancti afflatu deperditos Scripturæ libros renovaſſe, Optatus Milevitanus cenſet Antiochum Epiphanem ſacros libros combuſſiſſe, Eſdram tamen memoria ſuggerente, illos reſcripſiſſe. Sed cum Antiocho Epiphane Eſdras male componitur. Alii e contra negant Scripturas Sacras deperditas fuiſſe, in illis tamen menda irrepſiſſe concedunt, quæ fuerint ab Eſdra reparata. Tales ſunt Tertullianus de cultu fœm. lib. 1. c. 3. S. Hieronymus adverſus Helvidium, S. Jo. Chryſoſtomus Hom. 8. in Epiſt. ad Hebr. His addunt Irenæum & Theodoretum, ſed verba Irenæi, prout ab Euſebio Hiſt. Eccl. lib. 5. c. 8. referuntur, oſtendunt, ipſum potius in prima fuiſſe jam relata ſententia. Theodoretus vero & ipſe primam ſequutus eſt opinionem; ait enim præf. in Cant. Cant. *Cum libri ſacri penitus intercidiſſent &c.* Quæ omnia cum recte non conſuluerit Gaſpar Juenin tom. 1. Inſtitut. Theolog. idcirco præfatas auctoritates promiſcue uſurpavit.

### *Diluuntur Objecta.*

Ob. 1. Major PP. pars aſſerit libros ſacros intercidiſſe, ut conſtat ex prop. 2. Ergo &c.

℟. Diſtinguo antec. & iſti PP. decepti ſunt auctoritate libri

libri 4. Eſdræ apocryphi, conc. Secus nego antec. Auctoritas libri 4. Eſdræ c. 14. ita ſe habet : *Poſitum eſt ergo ſeculum in tenebris, & qui inhabitant in eo, ſine lumine: quoniam lex tua incenſa eſt, propter quod nemo ſcit, quæ a te facta ſunt, vel quæ incipient opera. Si enim inveni in te gratiam, immitte in me Spiritum Sanctum, & ſcribam omne, quod factum eſt in ſeculo ab initio, quæ erant in lege tua ſcripta, ut poſſint homines invenire ſemitas* &c.

Ob. 2. Eſdra dicitur *Scriba Velox in lege Domini* 1. Eſd. c. 7. 6. Ergo &c.

Reſp. Diſtinguo ſenſum verborum ; & nomen Scribæ hic accipitur pro legis perito, conc. pro Canonis auctore, vel ſacrarum litterarum inſtauratore, nego ſenſ. verb. Hoc enim in loco ſcriba velox idem ſonat ac virum legum conſultiſſimum, excultum in lege Moyſis, ceteriſque juris Hebraici diſciplinis, expertum in rebus politicis & religionis, ex Moſaicis legibus moribuſque Judæorum. Porro Scribarum hoc genus auctoritatis habeat plurimum penes Judæos. In Evangelio appellantur quandoque legis Periti ac legis Doctores. Ceterum ſi propter hæc verba cenſendus eſt Eſdras Canonis inſtaurator, cur potius id non tribuitur Nehemiæ, de quo legimus 2. Machab. *Congregavit de regionibus libros Regum & prophetarum & David ?* Cur non Judæ Machabæo, de quo ibidem habemus c. 2. 13. *Similiter autem & Judas ea, quæ deciderant per bellum, quod nobis acciderat, congregavit omnia, & ſunt apud nos ?* Quæ ſane niſi tanti ſunt, ut vulgarem valeant infringere opinionem, dicimus tamen opinionem iſtam neque in ſacris litteris, neque in traditione ſatis eſſe fundatam. Ceterum a quocumque facta fuerit ſacrorum librorum inſtauratio, non ſine auctoritate Synagogæ magnæ factam fuiſſe aſſeveramus.

## CAPUT IV.

### *De Scripturarum integritate.*

AN Hebræi extiterint ſacrorum librorum corruptores, altera eſt, que proxime accedit, quæſtio. Morinus Exerc. Bibl. 1. Pezronius Defenſ. de l' antiq. des tems retabl. c. 4. Voſſius Sintag. de 70. Int. c. 9. Wiſthon Eſſai pour retabl. le text. du V. T. aliique pro affirmativa ſteterunt ſententia ; ſed contra iſtos fortiter diſputarunt Richardus Simonius H. C. du V. T. Bellarminus de Verb. Dei lib.

2. Le Quien Defenſ. du text. H. Martianay Defenſ. du text. H. c. 3. Walton Proleg. 7. Dupin Diſſ. prælim. lib. 2. c. 3. Lamy App. Bib. lib. 2. aliique. Pro prima ſententia nonnulla adducuntur SS. PP. teſtimonia, præſertim Juſtini, Irenæi, & Tertulliani. Id negant ſecundæ ſententiæ patroni, & in ſuæ cauſæ patrocinium Hieronymi & Auguſtini aliorumque proferunt auctoritatem. Quibus adhærendum ſequens oſtendit Propoſitio.

## Propositio I.

*Hebraicum Textum non falſarunt Judæi.*

Not. Nos aliquos errores accidentales admittere in textu, ſed illos non ex malitia, ſed ex nova Maſoræ inventione profectos fuiſſe aſſeveramus, præſertim ob notas Kerì Ketib.

Dem. Sane incredibilis propemodum fuit Hebræorum erga ſacros libros reverentia, incredibilis Amanuenſium diligentia, dum ſacras litteras tranſcribebant. Quis ergo eos credat divinæ Revelationis corruptores? Si aliquid e ſacris libris ſuſtuliſſent, illud profecto Meſſiæ vaticinia debuiſſet reſpicere. At quis neget omnia quæ de Chriſto enunciantur, in primigenia adhuc perſiſtere integritate? Verum nec illud affirmandum, quod impoſſibile fuit, ut eveniret. Quis enim ſanæ mentis hoc fingat, omnes nempe Hebræos in hoc potuiſſe convenire, ut ſacros codices corrumperent, qui in varias mundi plagas erant diſperſi? Argumentum eſt Auguſtini lib. 15. de Civ. Dei c. 13. Nullus ne ex Hebræis, aut ex Chriſtianis debuiſſet tam horrendum facinus detegere & execrari? Philonem apud Euſeb. præp. Evang. l. 8. & Joſephum c. App. lib. 1. conſulamus. Aſſerunt iſti tot ſeculis jam elapſis nec unum jota e ſacris litteris fuiſſe detractum. Quid de Juſtino dicemus? Profecto in dialogo, quem habet contra Tryphonem, Trypho ipſe ex omnium Hebræorum refert ſententia, apud ipſos deteſtabilius fuiſſe aliquid in ſacris litteris immutare, quam vitulum aureum colere, aut filios Dæmoniis immolare, aut prophetarum ſanguinem effundere. Quid ex M. Eccl. D. Auguſtino proferemus? Nonne in Pſalm. 40. v. 14. & in Pſalm. 56. v. 9. illa profert verba? *Capſarii noſtri ſunt* (Hebræi) *librarii noſtri facti ſunt*. Denique ſi Hieronymi dilemma proferatur, nullum eſt prorſus effugium. Aſſerit enim præfatus Doctor in c. 6. Iſaiæ, quod ſi Hebræi ſacros codices corruperunt, id profecto vel ante, vel poſt Chriſtum præſtare debuerunt. Primum non dicendum, quoniam nec Chriſtus nec Apoſtoli ullam contra Hebræos de hoc ſcelere, licet de aliis, protulerunt accuſatio-

nem

nem ; quinimo Chriſtus conterraneos ſuos ad Scripturas remiſit dicens : *Scrutamini Scripturas* Jo. 3. 29. Vide 2. ad Cor. 3. 13. & Act. Apoſt. 15. 21. Neque ſecundum, quoniam Hebræi ad Chriſti fidem converſi Hebraica habuerunt exemplaria, inter quos enumerat Euſebius H. E. lib. 4. c. 22. ſub Adriano Imperatore Egeſippum : quæ ſane exemplaria textui erant conformia , ut patet ex Verſione Græca Aquilæ , & ex Origenianis Exaplis. Quæ pauca dicta ſufficiant ad Hebræos a tam injurioſa calumnia vindicandos. Qui plura deſiderat , adeat Cardinalem Gotti , Natalem Alexandrum , Bellarminum, Juenin, alioſque.

*Diluuntur Objecta.*

Ob. 1. S. Juſtinus Martyr in Dial. cum Tryph. accuſat Judæos, quod Scripturam depravarint , & quod præſertim ubi legitur in Pſalm. 95. 10. *Dicite in gentibus* , *quia Dominus regnavit* , abraſerint ſequentia *a ligno* . Idem ſcelus exprobrant Judæis Irenæus, & Tertullianus: Ergo &c.

Reſp. Communem eſſe Theologorum reſponſionem, Juſtinum reprehendere Judæos, non quod textum Hebræum, ſed verſionem 70. depravarint, quod in cap. 7. Iſaiæ E. G. pro עלמה Græce παρθένος , ideſt *Virgo* poſuerint νεᾶνις , hoc eſt *puella*. Quod ex Jeremia 11. 29. abraſerint illa verba: *Ecce ego quaſi agnus manſuetus* &c. & hoc non in omnibus, ſed in aliquibus tantum exemplaribus, & denique quod illa verba abſtulerint *a ligno*, quemadmodum in argumento propoſitum eſt . Quæ verba *a ligno* cum adhuc deſiderentur in Textu Hebraico, ſignum eſt ab aliquo pio Viro verſioni 70. addita fuiſſe . Eadem eſt reſponſio relate ad Irenæum & Tertullianum , cum hoc tamen addito , quod Tertullianus quandoque loquitur de falſis & ridiculis Rabbinorum interpretamentis. Hiſce tamen non obſtantibus vera reſponſio eſt: 1. Pauciſſimos fuiſſe inter PP. excepto Origene & Hieronymo, qui de hac controverſia rectum valerent ferre judicium, veluti minime in Hebraica litteratura verſatos . 2. Hæc omnia Judæis objeciſſe nimio religionis zelo abreptos . 3. Non ſemper de Hebraicis codicibus in fonte depravatis loquutos fuiſſe, ſed de verſionibus, quas ex Hebræo ad litteram concinnare conati ſunt Judæi, ut 70. Interpretum verſionem rejicerent , quæ verſio 70. primis Eccleſiæ ſeculis maxima erat apud PP. in auctoritate . Atque ita ſatis retunditur adverſariorum argumentum relate ad Juſtinum.

Relate vero ad Tertullianum ( de Irenæo enim ſatis ſupra)

pra ) hoc addimus , ipſum non de corruptione Hebraici textus loquutum fuiſſe, ſed de aliquibus libris, quos Judæi in Canone non admittebant, inter quos citat librum Enoch , quem prius in librorum ſacrorum canone contineri judicavit, ſed eum conſule de Hab. Mulier. c.3.

Ob. 2. Euſebius lib. 4. Hiſt. Eccl. c. 18. illis aſſentitur , qui Hebræos veluti corruptores reprehendebant , in iis locis præſertim, quæ Chriſti deſignant adventum. Ergo &c.

℞. Euſebium id tantum aſſerere , quod a Juſtino contra Tryphonem objectum eſt , a majoribus nempe ſuis capitula ſublata fuiſſe e Scripturis, quod de ipſa verſione 70. , & meo quidem judicio de verſionibus Aquilæ & Symmachi non ſecus ac Juſtinus judicavit.

Ob. 3. Idem crimen Judæis objecit Hom. 5. in Matth. Chryſoſtomus : Ergo &c.

Reſp. Hunc S. Doctorem reprehendere Aquilam, Symmachum, & Theodotionem, quos interpretationibus ſuis multa perperam poſuiſse in Chriſtianorum odium, putavit Chryſoſtomus.

Ob. 4. Origenes verſatiſſimus fuit in Hebraica litteratura, ſed ipſe Hom. 12. in Hierem. præſertim Judæos corruptores vocat. Ergo &c.

Reſp. Conceſſa maj. diſting. min. Et Origenes aliorum loquutus eſt ſententia , conc. min. propria , nego min. Non ignoramus ad Origenis auctoritatem reponere aliquos , Origenem credidiſſe Judæos corrupiſſe verſionem 70. , idque probare ex eo, quod aſſerat Adamantius , pro eo quod legitur, *Peccatum Juda ſcriptum ſtylo ferreo* , Hebræos poſuiſſe, *peccatum ejus ſcriptum &c.* Verior tamen eſt Richardi Simonii reſponſio, & Origenianis verbis explicandis accommodatiſſima. Obſervat enim Criticus iſte. Origenem modo ſua, modo aliena loquutum fuiſſe ſententia. Ea enim ætate penes PP. aliquos, & univerſum populum invaluerat opinio, Judæos ſumma impietate Scripturas S. violaſſe, unde nil facilius, quod Origenes ſe communi quandoque adtemperaverit opinioni, eo vel magis quod verſionem 70. tunc temporis ſolam pro authentica venerabantur Chriſtiani. Et reapſe methodum Origenianam advertens Euſtachius diſput. 9. contra Originem eum contradictionis ſæpe accuſat, quod magis conſtare poterit cuicumque Origenianas auctoritates ad trutinam revocanti.

Ob. 5. In cap. 3. ad Galat. & Epiſt. 89. ad Auguſt. & alibi Hieronymus præ ceteris Judæos de eodem crimine accuſat. Ergo &c. ℞. Diſt.

℟. Diſt. ant. Et aliena Hieronymus loquutus eſt opinione, conc. ant. propria, nego ant. & conſequens. Siquidem hunc S. Doctorem in eadem cauſa fuiſſe ac Origenem, aliqua ſunt præter jam allata, quæ id ſuadent. Hieronymo enim oppoſuit Ruffinus, quod non ſemper conſtans eſſet in accuſandis Hebræis, nec aliter in Apologia ſe ab inconſtantiæ nota expurgavit, quam exemplo aliorum PP. & præſertim Origenis, aſſerendo illos non ſemper, quod crederent, aſſeruiſſe, ſed quod magis ad propoſitum eſſe arbitrarentur. Hinc eſt quod Morinus contrariæ ſententiæ patronus animadvertens in exercitationibus bibl. hanc Hieronymi inconſtantiam fatetur libere eum in juventute verſioni 70. maxime addictum fuiſſe, at ætate provectum & ab Judæis edoctum adeo mutaſſe ſententiam, ut acriter 70. verſionem impeteret, Hebraicumque textum, quem ſæpe veritatem vocat Hebraicam, vindicaret. Accedit, quod dum Hebræos redarguit Hieronymus, aut dubius loquitur, aut aliorum refert opiniones. Quæ omnia magis Hieronymi verbis confirmantur. Scribens enim S. D. laudato cap. ad Galatas in illa verba *maledictus omnis qui pendet in ligno*. *Mihi videtur*, inquit, *aut veteres Hebræorum libros aliter habuiſſe quam nunc habent*, *aut Apoſtolum ſenſum poſuiſſe Scripturæ*, *non verba*, *aut quod eſt magis æſtimandum*, *poſt Chriſti paſſionem & in Hebræis & in noſtris codicibus ab aliquo Dei nomen appoſitum*, *ut infamiam nobis inureret* &c. Eadem ratione loquitur in c. 5. Mich. de urbe Ephrata, & idem præſtat in ceteris commentariis. Verum doctior factus Hieronymus libere Hebraicum textum defendit; unde in comm. Iſai. quæ ultimis concinnavit temporibus, riſu excipit eos, qui ſacros codices ab Hebræis cenſerent adulteratos. Ita Richardus Sim. & Ribera in c. 3. Joelis obſervarunt.

Ob. 6. Apud Hebræos extant correctiones Scribarum תקון ספרים. Ergo plura ſunt correcta & emendata.

Reſp. Nonnullos huic argumento reponere, Scribarum emendationem ortum potius habuiſſe ex Thalmudiſtarum deliramentis, eo quod nec Hieronymus, nec Origenes, nec alius quicumque de iſtis correctionibus ante Thalmud mentionem fecerunt. Unde correctiones haſce negarunt Sixtus Senenſis, Abenezra, aliique Judæi. Verum noſtra ſententia eſt, quod ſi aliquæ mutationes factæ fuerunt, a Scribis, non ab Judæis in Chriſtianorum odium, factæ ſunt vel ab Eſdra, vel Synagoga M. vel a quocumque alio, qui ſacra Biblia emendavit.

Ob. 7.

Ob. 7. Poſt Hieronymi tempora pauci admodum fuerunt qui linguas excolerent. Ergo Hebræis facile eſſe potuit ſacra Biblia corrumpere.

Reſp. Nego conſeq. Non defuerunt enim quovis ſæculo Judæi, qui ad Chriſtianam converterentur Religionem, quique rem exploratam habuiſſent, nec ſilentio prætermiſiſſent. Deinde non tantum quos habebant præ manibus codices depravare debuiſſent Hebræi, ſed qui in exoticis & Chriſtianorum prætertim bibliothecis ſervabantur. Quod cum nedum malitiam, ſed & vires excedat, jure concludendum Hebræos ſacra Biblia vitiare nedum noluiſſe, ſed ſi voluiſſent, minime potuiſſe.

Ob. 8. Cum Richard. Sim. Poſt Babylonicam deportationem Hebraica lingua mortua erat; ergo ſaltem amanuenſium incuria & imperitia debuerunt errores in ſacris libris irrepere.

Reſpond. Conc. ant. nego conſeq. Non enim amanuenſes vel copiſtæ erant viri de plebe rudes & imperiti, ſed legis Doctores, qui in ſacris Bibliis die ac nocte meditabantur, qui veluti grande habebant & inexpiabile peccatum in ſacris codicibus deſcribendis menda committere.

Ob. 9. Reapſe Hebræi ſacra Biblia corruperunt, ergo &c. Prob. ant. Eſai. 9. v. 6. ubi habet vulgata *Et vocabitur nomen ejus admirabilis*, poſuerunt יקרא icherà *vocabit* pro יקרא icharè *vocabitur*, ut inde ſenſus eſſet, non parvulum vocandum eſſe admirabilem, ſed Deum admirabilem &c. vocare debere nomen parvuli; atque hoc ut a Chriſto ablegaretur tam inſigne vaticinium.

Reſp. Multiplici ratione hoc argumentum, vel accuſationem iſtam enervari: 1. enim ſi allato in loco mendum eſt aliquod, incuriæ ſcriptorum, non Judæorum malitiæ tribuendum, pendet enim ab unius puncti mutatione, ideſt.. tzere in ֳ Cametz, ex quo verbum de paſſiva in activam tranſit conſtructionem. 2. Licet iſta fuerit, per malitiam facta depravatio, cum iſta ſe teneat ex parte punctorum, non litterarum, textus depravatio dici nequit, a quo abſunt puncta vocalia. 3. Denique non fuiſſe hoc verbum a Maſſoretis paſſiva expoliatum ſignificatione conſtat ex uſitatiſſima Hebraicæ linguæ ſyntaxeos ratione, per quam ſæpe ſæpius activa verba paſſivam habent ſignificationem. Ita Deuter. 15. 2. habetur קארא caarà *vocat*, & tamen vertendum

*voca-*

*vocatur annus* ille &c. Sic Gen. 27. 26. pro *& vocatum eſt nomen ejus Jacob*, habetur ויקרא Vaicrà & *vocavit*. Exod. 25. 13. pro *Vocatumque eſt nomen ejus Mara* eſt Hebraice Carà קרא activa punctatione, & alibi paſſim. Ergo a pari &c.

Ob. 10. Innumera ſunt loca ab Hebræis depravata, & præſertim 1. Iſaiæ 28. pro בלעגי *Belahaghè aliis linguis* poſuerunt בלענו belahano *ſubſannationibus*. 2. Iſai. 40. 5. pro eo quod habetur in vulgata *videbit omnis caro ſalutare Dei* poſuerunt *omnis caro pariter*. 3. Zach. 12. 10. pro *videbunt ad me quem confixerunt*, inſeruerunt *ad eum*. 4. Moyſis Teſtimonium, quo maledictum pronunciavit, qui pendet in ligno, ut Chriſtum execrarentur, addiderunt *maledictum a Deo*.

Reſp. Ad 1. In Hebraica lingua varias extare conſonantes inter ſe quadam ſimilitudine affines: E. G. ג aſſimilatur ב, וי, רד; תה, & נג. Qua de re nil facilius fuit librariis & amanuenſibus unam ex his litteris pro alia oſcitanter, non per malitiam tranſcribere, atque litteram Nun pro Ghimel apponere in voce בלעגי quod & in aliis multis locis factum fuiſſe excuſabile eſt, cum hujus generis variantia multa id omnium linguarum codicibus & exemplaribus clare deprehendantur. Ad 2. dico, mutationem textui acceſſiſſe, nulla ratione probari poſſe. etenim 70., & verſiones aliæ ſic legunt. Dein ſi ſenſum ſpectemus, in utroque loco futuram Dei gloriam prædici conſtat. Regero autem ad 3. Munſterum, Druſium & Grotium plura exemplaria obſervaſſe, in quibus ſcriptum erat Elai אלי pro Elò אלו *Ad me* pro *ad eum*. Verum etiam admiſſo, quod legendum ſit *ad eum* reponunt laudati Critici, Elò vertendum eſſe in prima perſona ſequente relativo. Ad 4. vero nullam firmam adinveniri rationem dicimus, qua hunc Deuteronomii locum corruptum quiſque ſibi poſſit ſuadere, quia Chaldæus, Symmachus, Aquila, Samaritanus, aliæque verſiones Hebræo conſonæ ſunt, in eo ſolum diſcrepans Chaldæus quod vertat, *quia propterea peccavit coram Domino maledictus eſt*. Deinde cum Moyſes hoc in loco nullam ibidem de Chriſto prophetiam ediderit, ſed de reis hominibus

nibus, qui in peccatorum pœna ſuſpendi in ligno debebant, loquutus fuerit, merito ſuſpendendum, adeo maledictum potuit pronunciare, quin Hebræos veluti ſacrorum librorum corruptores incuſemus.

Ob. 11. Hebrei Cainanis generationem de textu abraſerunt, ut Chriſti generationem interpolarent, cum Lucas in ſuo Evangelio cap. 3. v. 36. illam inſeruerit. Ergo &c.

Reſp. Hanc diſcrepantiam inter Hebræos, Græcoſque codices & Lucam diu multumque tum Interpretes, tum Chronologos exercuiſſe, ita ut alii aliam induerint ſententiam. Sunt enim qui Græcos defendunt, & Hebræos accuſant, alii e contra in 70. verſione Cainan primum intruſum & ab ipſis Lucam mutuatum fuiſſe volunt: Nonnulli exiſtimant Lucæ Evangelio a Criſtianis primum adjectum & deinde in 70. tranſlatum. Quidam denique ſentiunt, Moyſem Cainanis generationem data opera reticuiſſe, quem tamen 70. ſenes primum retulerint. Noſtrum non eſt hic omnium placita expendere, eo vel magis quod de hiſce peculiarem inſtituit quæſtionem Cl. Berti in tractat. de Incarnatione: quare legatur Buzianum Compendium, & ſi quis non dedignabitur, etiam Spanhemium in dub. Evang. part. 1. dub. 23. Qua de re hoc tantum adjungimus, nullam Hebræis cauſam fuiſſe, cur Cainanis generationem a textu expungerent, cum illius deſcriptio vel prætermiſſio nihil conferat ad dogmatum noſtrorum confirmationem, & nullum præbeat Judaicæ perfidiæ adjumentum; ſervata enim Hebraici textus Chronologia Chriſti adventus cum prophetarum oraculis apprime congruit. Verum cur Hebræi clariora alia de Meſſia teſtimonia non interpolarunt? Sed de hiſce ſatis. Excedunt enim hæc tam multa compendioſam tractationem.

## Caput V.

### *De Scripturarum Auctoritate.*

De Scripturarum canone, earumque integritate ſatis jam vidimus, de earum auctore nunc videndum, ut inde inferamus, quænam ſit ſacris litteris auctoritas deferenda. Ut autem omnia clara rectaque methodo pertractentur, ſequentibus propoſitionibus revelatæ Religionis ſyſtema veluti quodam nucleo porrigere in animo habemus, in quo ſtudioſi adoleſcentes neceſſaria ſaltem proſpiciant.

Pro-

## Propositio I.

*Revelata Religio homini prorſus eſt neceſſaria.*

Theſis iſta contra Tyndalium cap. 1. 2. 3. 4. 5. 6. & ſeqq. Thomam Morgan *le Philoſophe* &c. p. 16. ſuiv. Hobbeſium apud Abadie Trait. de la verité de la Religion Chret. P. 1. ſect. 3. c. 17. Spinoſam Tract. Theolog. Polit. c. 6. alioſque Deiſtas, qui rationem naturalem ſufficere ad Deum colendum miſerrime autumarunt, demonſtratur.

Neceſſaria ad Deo cultum præſtandum eſt aliqua Religio: ergo neceſſaria eſt revelatio. Prob. conſeq. humana ratio nequit ſola cognoſcere quiſnam ſit Deo cultus exhibendus, quique ſit ejus voluntati conformis: Ergo neceſſe eſt, ut Deus homini cultum ſibi debitum revelet. Rurſus humana ratio dictat Deo offerenda eſſe ſacrificia pro peccatis, at quænam Deo accepta ſint, humana ratio prorſus ignorat: Ergo &c. Ad hæc appoſite Lactantius lib. 1. Div. Inſtitut. *Quia fieri non potuit, ut homini per ſe ipſum ratio divina innoteſceret, non eſt paſſus hominem Deus lumen ſapientiæ requirentem diutius errare, ac ſine ullo laboris fructu vagari per tenebras inextricabiles. Aperuit oculos ejus aliquando &c.*

Denique ſolo rationis ductu innumera produxerunt ſuperſtitionum portenta Philoſophorum ſectæ. Ergo non poteſt homo ſola natura duce aliquid ſtatuere in cultu Deo exhibendo. Vide Stachouſium *le ſens litt. de l' Ecrit. t.* 2.

## Propositio II.

*Revelata Religio in libris extat veteris & novi Teſtamenti.*

I. Argumentum. In ſacris libris divinam adinveniri revelationem ex eo primum conſtat, quod cum a mundi pene exordio ſua habuerit iſta revelatio incunabula, per varios caſus & tot diſcrimina rerum ad nos ſarta tectaque pervenerit, quod non ſine peculiari divini Numinis providentia fieri potuiſſe, certiſſimum eſt. Quot enim prophanorum auctorum ſcripta & volumina ſane recentiora non deperierunt? Appoſite Tullius de leg. lib. 2. n. 27. *Antiquitas proxime accedit ad Deos.*

II. Argumentum. Id confirmat legum & præceptorum ſanctitas, quæ Deum tuliſſe in ſacris litteris fertur; non enim ad ea ferenda tot labores & tot impenſa ſunt ſtudia, quot a Græcis vel Romanis legiſlatoribus impenſa eſſe traditum eſt. Illico, non paulatim perfectæ ſunt leges iſtæ divina jura ceteris præferentes. Unde intolerabilis prorſus Janonis

nonis jactantia H. Civ. lib. 1. c. 7. qua Hebræorum legalia præcepta cum Romanorum legibus minime comparanda audacter pronuntiat.

III. Argumentum ex illorum conditione conficitur, qui ſacrorum librorum dicuntur auctores majori ex parte piſcatoriæ & paſtoritiæ artibus addicti, nulla imbuti litteratura homines, nec doctrina & eruditione excellentes, nec tales propterea, qui poſſent ſimplicibus fabulas venditare, & tam ſublime doctrinæ pabulum per aſtutiam adinvenire, illudque palam facere, ac proprio ſanguine defendere. Erant ergo homines inſpirati. Unde appoſite Theophilus Antioch. ad Autolic. lib. 2. p. 87. *Ipſe eſt Dominus loquens in Iſaia, ipſe in Elia, ipſe in ore Prophetarum.*

IV. Argumentum ex eo conflatur, quod mirabilis ſit plane concordia inter ſacros auctores. Sola Evangelia a variis auctoribus, diverſis temporibus, tam diſſitis conſcripta regionibus tantæ veritatis firmiſſimum præbent argumentum. Non enim unus auctor ab alio ſubſtantialiter diverſus, non pugnantia & contraria narrantur. Gentilium Philoſophorum ſcripta heu quam inter ſe miſerrime diſſentiunt! *Ipſi Philoſophi*, perbelle Auguſtinus de Civ. Dei lib. 18. c. 42. . . . *qui non videntur laboraſſe in ſtudiis ſuis, niſi ut invenirent quomodo vivendum eſſet accomodate ad beatitudinem capeſſendam, cur diſſenſerunt & a Magiſtris diſcipuli, & inter ſe condiſcipuli, niſi quia ut homines humanis ſenſibus & humanis ratiocinationibus iſta quæſierunt? Auctores noſtri* . . . . *abſit, ut inter ſe aliqua ratione diſſentiant.*

V. Argumentum ex Moyſis, Joſue, Prophetarum & Jeſu Chriſti ejuſque diſcipulorum miraculis in confirmationem tantæ revelationis patratis. Quid non in Ægypto, aquæ fontium & fluminum ad Moyſis imperium in ſanguinem verſæ, denſiſſimæ tenebræ in meridie, Primogenita Ægypti una nocte extincta, Mare rubrum virgæ elevatione diviſum, columnæ nubis & ignis portentum, manna per annos 40. in deſerto, ſitis per aquæ venas e dura ſilice eductas extincta, mœnia Jericho ad Tubarum clangorem prorſus diruta, ſol contra Gabaon immotus, Lazarus quatriduanus & fœtens in conſpectu populorum revocatus ad vitam, quinque piſcibus & quinque panibus hordeaceis 5000. millia hominum ſaturantur, & alia plura innumera miracula. Num iſta ex naturæ legibus? Quis audeat imaginari. *An vero dicet aliquis iſta falſa eſſe miracula.* M. fidei jubar inquit Auguſtinus De Civ. lib. 10. c. 18. *nec fuiſſe facta*,

*ſta*, *ſed mendaciter ſcripta? Quiſquis hoc dicit*, *ſi de his rebus negat omnino ullis litteris eſſe credendum*, *poteſt etiam dicere*, *nec Deos ullos curare mortalia*. Vide Ditton Relig. Chret. dem. t. 2. p. 40. Blanchinium Vindic. S. Script. præf. c. 5. Houteville Relig. prouvé par les faits lib. 1. c. 10. Grotium Ver. Relig. Chr. lib. 2. §. 1. Clarke exiſt. de Dieu t. 3. c. 17. Jacquelotium Demonſtr. de l'exiſt. de Dieu diſſ. 3. Sabbatier de veteri Italica præf. §. 2. Walton Bibl. proleg. V. n. 5. 6. Chandler Natur. & uſages de mir. c. 3. Anſelm. Frer. t. 8. de l'Acad. des bell. lett. Serces traité des miracl. Amſterd. 1729. Moshem. ad Cudwort. Siſt. c. 5. Le Vaſs la Verit. Relig. lib. 2. p. 1. c. 4.

VI. Argumentum. *Cui enim melius narranti præterita credimus*, verba ſunt Auguſtini lib. 18. de Civit. D. c. 40. *quam qui etiam futura prædixit*, *quæ præſentia jam vidimus?* Ex quibus luculenter infertur, quod, cum futurorum prænunciatio a Deo ſit juxta illud Iſai. 41. *Annuntiate quæ ventura ſunt in futurum*, *& ſciemus*, *quia Dii eſtis vos*, & aliunde in ſacris litteris multa fuerint de Chriſto præſertim prænuntiata, quæ temporum decurſu evenerunt, conſequens eſt, divinæ auctoritatis eſſe libros illos, qui futura prædixerunt. Vide præſertim lib. cui tit. Preuves de la Relig. de J. C. contr. les Spinoſiſ. & les Deiſt. & alium cui pariter tit. l'Incredule detrompé.

*Solvuntur Objecta.*

Ob. Frequentes in ſacris libris adinveniuntur contradictiones & antilogiæ; Ergo eorum auctores non ſunt inſpirati.

Reſp. diſting. ant. Et iſtæ contradictiones adparentes ſunt tantummodo, conc. ſunt reales contradictiones, nego ant. & conſeq. In omnium ferme prophanorum auctorum ſcriptis antilogiæ & contradictiones reperiuntur, quæ pro illis, quibus conſcriptæ ſunt temporibus tales non erant, ſed omnia tunc clara & inconcuſſa. Annorum decurſu poſtmodum factum eſſe cognovimus, ut cum ultimum fatum ſubierint vetera idiomata miſerabili quadam morum etiam transformatione intercedente, quæ prius antiquis erant perſpicua, poſteris facta ſint obſcuriſſima. Tot hinc veteribus addita ſcholia, tot hinc innumerabiles commentatores. At quis ſanæ mentis Criticus Homerum propterea, Pindarum, Plautum, Terentium, Virgilium, Horatium, Demoſthenem, Ciceronem rejiciet? Eadem de ſcripturis ſacris ferme dicenda. Quibus & adde ſacras litteras ab Hæbræo oportuiſſe

tuiſſe in Chriſtianorum commodum in varias linguas transferre, & diverſorum populorum linguis adcommodare. Quid mirum inde ſi aliqua difficillima irrepſerint a SS. PP. tamen luculentur enucleata? Quæ denique a Deiſtis objiciuntur contradictoria nitidiſſime probant, ſacros ſcriptores minime conveniſſe, ut mentirentur. Qua de re diverſitas iſta accidentalis tantummodo eſt, non eſſentialis. Vide Boſſuet diſcours ſur l'Hiſt. univerſ. reflex. 13.

Plura ſunt, quæ ab Iuliano objecta ſunt contra S. Scripturarum Divinitatem a S. Cyrillo Alex. confutata, & prorſus innumera, quæ protulerunt Manichæi ab Auguſtino ſolidiſſime prorſus enervata, qua de re vide Natal. Alex. H. E. V. T. in 4. M. Æ. Diſ. xi. Compendium Buzianum lib. 20. c. 6. & de Deo.

## Caput VI.

*Quomodo Deus ſacros Auctores inſpiraverit, quæ lingua ſcripti ſunt ſacri libri, & de variis eorum ſenſibus.*

Vetus eſt Grotii & Eraſmi cantiuncula ( Vid. Calmet. Diſſ. de Sacr. lib. Inſp. ) Sacros auctores in ſcribendo a Deo inſpiratos non fuiſſe, ſed ex ſeipſis memoria reviviſcente ſcripſiſſe, quod & Clericum ex profeſſo ſuſtinuiſſe conſtat ex litteris Theologorum Hollandiæ ab ipſo conſcriptis. Syſtema hoc a plurimis & præſertim a Cl. La Mothe confutatum eſt in lib. cui titulus Traité de l'inſpirat. des livr. Sac. N. T. Theologi vero, qui uſque ad ſeculum xvi. conſcripſerunt, in hac fuere ſententia, ut agiographi ſcriptores ita divinam habuerint adſiſtentiam, ut neque in ſenſibus, neque in verbis falli potuerint. Qua de re vid. Dupinum diſſ. prelim. ſur la Bibl. Nihilominus qui inde ſubſequuti ſunt ſcriptores aliqui, inter quos Melchior Canus, Cornelius a Lapide, Bonfrerius, Simonius, & Dupinus ipſe Spiritum S. agiographis auctoribus minuſcula quæque verba dictaſſe negarunt, ſed ſolum a Spiritu S. peculiarem habuiſſe directionem aſſeruerunt, ita ut ab ipſo firmam, conſtantem, & infallibilem habuerunt voluntatem vera ſcribendi, & clariſſimum etiam eorum mentibus lumen infunderetur, vi cujus poſſent nec fallere nec decipi. Iſta ſententia non obſtantibus Lovanienſium & Duacenſium an. 1587. & 1588. latis cenſuris conformior viſa eſt PP. tra-

traditioni, & ad Hæreticos proſternendos aptiſſima, varia inſpirationum genera diſtinguendo, quemadmodum factum fuiſſe novimus ab Eruditis. Calmet cit. loc. Ceterum nec fide, nec ratione cogimur aſſerere, ſingula Scripturarum Sanctarum verba Spiritu S. dictante fuiſſe conſcripta. Sed tueri ſufficit, verba & verborum conceptus Spiritum S. habuiſſe auctorem, quidquid Graveſonius & Arnaldus in contrariam partem tenuerint.

Ut autem de lingua, qua ſcripti ſunt ſacri libri, aliquid diſſeramus, ſolum Danielem dicimus ex libris Protocanonicis veteris teſtamenti, Chaldaica lingua conſcriptum fuiſſe, ceteros Hebraico idiomate fuiſſe exaratos. Vide Hieronymianas Præfat. Ex libris vero Deuterocanonicis, Tobias, Judith Chaldaici ſunt; liber Sapientiæ, & Eccleſiaſtici Hebraico idiomate donati, quemadmodum & primus Machabæorum, cum ſecundus in Græco legatur. Inter libros vero N. T. ſolus Matthæus Syriacus eſt, ceteri vero libri Græce ab Apoſtolis ſunt editi. Vide Juenin Diſ. 4. de loc. Theolog. pag. 80.

De variis Scripturarum Sanctarum ſenſibus pertractarunt eruditiſſime Bonfrerius Præloq. c. 20. Du Ham. Proleg. 3. c. 6. Sim. Hiſt. Crit. V. T. aliique multi Theologi. Nos omnibus omiſſis diſquiſitionibus brevitati in rebus minimis conſulentes dicimus, ſenſum Sacræ Scripturæ diſtingui in hiſtoricum ſeu litteralem & in myſticum, iſte in tres alias dividitur ſpecies, nempe in Allegoricum, Tropologicum & Anagogicum. Allegoricus dicitur, quando aliquid ex veteri teſtamento deſumptum transfertur ad novum ad aliquid de Chriſto & Eccleſia interpretandum. Tropologicus vero, quando e ſacris litteris aliquid ad mores inſtruendos deducitur. Anagogicus denique quando e ſacris litteris ad æternam vitam & felicitatem aliquid refertur. Ita nomen iſtud Jeruſalem litteraliter civitatem Judææ, allegorice Chriſti Eccleſiam, tropologice Juſti Animam, anagogice Civitatem cœleſtem ſignificat. Diverſi iſti ſenſus in prophetis præſertim adinveniuntur.

## Caput VII.

### *De verſionibus Sacræ Scripturæ, ac primum de Verſione 70. Interpretum.*

Licet Daniel Huetius Dem. Ev. prop. 4. c. 12. & Cl. Balthuſius in Defenſione PP. c. 3. Juenin de loc. Theol. p. 86. in ea fuerint opinione, quod ante Alexandri M. ex-

peditionem Græca fuerit quædam Pentateuchi verſio, vel ſaltem a Samaritanis cuſa; ut viſum eſt Ottingero in Theſ. Philolog. extra omnem tamen controverſiam poſitum eſt, omnium primo S. Scripturas a 70. Interpretibus græce verſas fuiſſe, cujus ſane verſionis ſequens hiſtoria perhibetur.

Alexaneriæ regiam Bibliothecam maximis incrementis donaverat Ptolomæus Philadelphus. Huic præfecerat Rex Demetrium Phalereum, cui ingentes ſummas ad hoc eroganda, tradiderat, ac propterea dabat operam, ut omnes totius orbis codices in eam deportarentur. Hic interrogatus a Rege quam multa millia comparaſſet, reſpondit ſe habere circiter ducenta millia, ſed brevi quingenta & amplius millia ſe habiturum ſpopondit ſi aliarum quoque gentium, & præſertim Judæorum ſcripta congererentur, non hactenus comparata, quia propria illorum lingua erant conſcripta. Hiſce auditis Rex Hebræos libertate donavit, ſcripſitque ad Eleazarum Pontificem Epiſtolam non ſine regiis muneribus illum enixe rogans de tali verſione peragenda. Reſcripſit Eleazarus, miſitque 72. viros in Ægyptum ſuum legis codicem deferentes, ut poſſent in hac peragenda verſione, quoniam peritiſſimi, adlaborare, quod reapſe omnium plauſu præſtitere in inſula Pharos.

Circa hujus verſionis hiſtoriam plures inſtitui ſolent quæſtiones. 1. Num fuerit vera. 2. Quot libros S. Scripturæ verterint 70. 3. Quantæ ſit auctoritatis inquiremus. Quapropter ſequentibus propoſitionibus mentem noſtram aperiemus.

## C o n c l u s i o I.

*Quidquid ſit de Ariſteæ libello, Verſionem, quæ dicitur 70. Alexandriæ ſub quodam Ptolomæo factam fuiſſe tenendum eſt.*

Antequam huic propoſitioni argumenti robur accedat, varia ſunt præmittenda. Ac primo quidem hæc de verſione per 70. Interpretes Alexandriæ ſub Ptolomæo Philadelpho adlaborata primum relata eſt hiſtoria a quodam, cui nomen Ariſteas, Ptolomæi conſiliario. Ab hoc eam acceperunt Joſephus lib. 12. Antiq. Philo lib. 2. de vit. Moyſis, Euſebius, Irenæus, Juſtinus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, & lib. 8. de Civ. D. c. 11. M. Auguſtinus, qui non omnia æqualiter referunt; ſiquidem Ariſteas, Philo, Euſebius, Epiphanius & Auguſtinus ad Ptolomæi Philadelphi tempora illam referunt. E contra Irenæus lib. 3. c. 25. Clem. Alex. lib. 1. Str. ſub Ptolomæo Lagi filio aſſerunt fuiſſe

fuiſſe peractam. Quidam denique volunt 72. ſenes vel 70. rotundo numero 72. cellulis fuiſſe incluſos, & profetaſſe, aliis præſertim Hieronymo præfracte negantibus. Nos ut nodum Gordianum ſolvamus, prorſus ſuſtinemus, negari non poſſe, quod verſio iſta ſub Ptolomeo quodam, quicumque fuerit ille, Alexandriæ peracta fuerit. Quod & demonſtramus omiſſis digladiationibus, quas contra Serrarium, Bonfrerium, Voſſium, Uſſerium, Waltonum alioſque habuerunt Scaliger, Valeſius, Hodyus, Vandalius, Dupinus, Simonius, qui pro falſitate hujus hiſtoriæ inſtituta acie dure nimis pugnarunt.

Dem. Illud tenendum eſt, quod univerſali PP. Traditione roboratur; talis eſt noſtra ſententia: Ergo tenenda. Minor non indiget probatione. Si enim perlegantur, quas pro more ſuo in unum congeſſit PP. auctoritates erud. Nat. Alexander diſſ. 8. prop. in VI. M. Ætat. res eſt evidentiſſima. Omnes enim PP. in hoc conveniunt, quod Alexandriæ ſub Ptolomæo Græce fuerint verſi S. libri, quorum dux & columen Auguſtinus, cujus verba lib. 8. de C. D. c. 11. cum non retulerit ceteroquin diligentiſſimus Natalis, hic ſubjicimus: *Ptolomæus Rex Ægypti ſcripturas propheticas gentis Hebræorum de Judæa popoſcit, & per 70. viros Hebræos, qui etiam Græcam linguam noverant, interpretandas habendaſque curavit. Quapropter in illa ſua peregrinatione Plato nec Jeremiam videre potuit tanto ante defunctum, nec eaſdem ſcripturas legere, quæ nondum fuerant in græcam linguam translatæ.*

Ad hæc Hebræorum non eſt ſpernenda confeſſio, qui hujus verſionis veritatem nunquam auſi ſunt denegare. Id reapſe probant Joſephus loc. cit. vetuſtiſſima Judæorum Calendaria, & Rabbinorum doctiſſimi Maimonides, R. Azarias cap. 8. Imrè Binàh, R. Gedalias fol. 24. Catenæ Cabbaliſticæ, aliique plures.

*Diluuntur Objecta.*

Ob. 1. In Judæa aderant tunc temporis ſolæ tribus Juda & Beniamin, cum eſſent ceteræ in captivitate: Ergo falſum eſt, miſſos fuiſſe 70. viros ex 12. tribubus ſelectos, quemadmodum refert Ariſteas.

Reſp. Ad hæc reponere Natalem Alexandrum cum aliis, non ita generalem fuiſſe decem tribuum aſportationem, ut nullæ ex ipſis reliquiæ in terra Iſrael permanſerint, quod ille probat ex 1. Paralip. c. 4. & 24. Verum quidquid ſit de hac peculiari hujus hiſtoriæ circumſtantia, noſtra nil refert de his

inquirere. Ad veritatem enim propoſitionis tuendam evincere ſufficit, hiſtoriæ ſubſtantiam ſalvam eſſe, quamvis circumſtantiæ quædam dubiæ ſint vel incertæ. Quam reſponſionem ſi probe tenueris, facile hujus generis quæcumque ſolvuntur argumenta.

## Conclusio II.

70. *Interpretes libros omnes veteris teſtamenti vertiſſe ex Hebraico in Græcam linguam probabilior ſententia eſt, quidquid Hodyus, Dupinus, Montfauconius ſenſerint.*

Dem. Ptolomæus Philadelphus magnam ſibi librorum copiam undequaque comparare vehementer exoptavit. Ergo probabilius eſt, omnes potius quam aliquos Hebræorum libros habuiſſe. Deinde illos verterunt libros 70. quos miſit Eleazarus, at probabilius ſane eſt miſiſſe libros, qui erant in canone; Ergo &c. Ad hæc Juſtinus Martyr in Cohort. ad Gentes, Irenæus lib. 3. adverſus Hæreſes, Clemens Alexandrinus, Cyrillus Hieroſolymit. Catech. 4. Euſebius lib. 8. præp. Ev. Hilarius in Pſ. 2. Epiphanius lib. de pond. & menſ. Chr. Hom. 4. in Gen. & S. Auguſtinus lib. 2. de Doct. Chr. pro hac ſteterunt ſententia, quorum teſtimonia expende apud Natalem Alex. loc. cit. Ergo &c.

Dubitandi ratio deſumitur præſertim ex eo, quod Joſephus lib. 2. contr. Appionem legem dumtaxat a 70. viris dicat Græce redditam fuiſſe; quod & Ariſtobulum tradidiſſe conſtat apud Euſebium lib. 13. præp. Ev. Sed iſta facillimæ ſunt ſolutionis, ſi dicatur, nomen legis vagum eſſe atque indeterminatum, nedum apud exteros, ſed etiam apud ſacros ſcriptores, quod maxime patet ex 10. Joannis, ubi Chriſtus ait: *Nonne ſcriptum eſt in lege veſtra* (nempe Pſ. 81.), *quia ego dixi: Dii eſtis*, & 15. ubi ſimiliter: *Ut adimpleatur*, ait Chriſtus, *ſermo, qui in lege eorum ſcriptus eſt* (ideſt Pſ. 24.) *Quia odio habuerunt me gratis*. Similia habentur 1. ad Cor. 14. & alibi. Præterquamquod non adeo Joſephi verba adverſariis favent, quemadmodum ſibi plaudunt adverſarii. Ait enim Joſephus loc. cit. *Deſideravit* Ptolomæus *agnoſcere noſtras leges, & ſacrarum ſcripturarum volumina concupivit*. Profecto, niſi fungum pro cerebro habemus, S. Scripturarum volumina ſolo forſitan Pentateucho continentur?

Non ignoramus profecto, S. Hieronymum in quæſt. Hebraicis, in c. 3. Ezech. & in 2. Mich. in contrariam propendere ſententiam. Sed cum Romæ Pſalterium juxta 70.

cor-

correxerit, & Salomonis libros emendaverit, & in commentariis, quæ in Prophetas ſcripſit, hujus verſionis mentionem fecerit, hoc tantum inde poſſet evinci, S. Doctorem dubium fuiſſe.

## Conclusio III.

*Extat nunc antiquiſſima illa 70. Interpretum verſio genuina & authentica.*

Antequam theſis iſta firmetur, quid per τὸ *authentica* intelligamus, præmittendum videtur. Quocirca authenticum illud nos dicimus, quod ſuo Originali eſt conforme, vel ſaltem ab eo non diſcrepat eſſentialiter. Hujus noſtræ definitionis rationem reddituri ſumus, cum ad Vulgatæ noſtræ authenticitatem tuendam deveniemus. Quare

Prob. Theſis. Auguſtini temporibus Senum 70. verſio authentica agnoſcebatur, ut ex lib. 18. de Civ. D. c. 43. aſſerit idem S. D. ubi ait: *Nam cum fuerint & alii Interpretes, qui ex Hebræa lingua in Græcam ſacra illa eloquia tranſtulerunt, ſicut Aquila, Symmachus, Theodotion, hanc tamen, quæ 70. eſt, tamquam ſola eſſet, ſic recepit Eccleſia, eaque utuntur Græci populi Chriſtiani, quorum plerique, utrum alia ſit aliqua, ignorant.* Ex quibus Auguſtini verbis tale conficitur argumentum. Vetus & recens Græcorum Eccleſia verſionem iſtam venerata eſt, & adhuc firmiter legit ac tenet: Ergo authentica eſt. Confirmatur auctoritate Sixti Papæ V. qui probavit verſionem ſtudio Cardinalis Caraffæ anno 1582. editam ex antiquiſſimo Biblioth. Vatic. codice hiſce verbis: *Volumus & ſancimus ad Dei gloriam & Eccleſiæ utilitatem, ut vetus Græcum Teſtamentum juxta 70. ita recognitum, & expolitum, ab omnibus recipiatur & retineatur, quo potiſſimum ad latinæ vulgatæ editionis & veterum SS. PP. intelligentiam utantur, prohibentes ne quis de hac nova Græca editione audeat in poſterum quicquam immutare.* Theſis denique argumentorum magis conſtabit ſolutione contra Uſſerium, qui verſionem 70. interiiſſe prorſus credidit.

*Solvuntur Objecta.*

Ob. 1. De Verſione 70. teſtatur Ariſteas, quod inventa fuerit ſuo Originali conformis: talis non eſt quæ ſub eorum nomine circumfertur.) Ergo &c. Minor pr. Plura in novo Teſtamento laudantur ex veteri, quæ in iſta verſione deſiderantur. Ergo &c. ant. abunde conſtabit Hieronymi auctoritate, qui Præfat. in Pentat. hæc habet de Apoſtolorum ſcriptis: *In quibus*, inquit, *multa de veteri teſtamento legimus, quæ in noſtris codicibus non habentur, ut eſt illud, ex*

*Ægypto vocavi filium meum, & quoniam Nazaræus vocabitur: & videbunt in quem compunxerunt: & flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ: & quæ nec oculus vidit nec auris audivit . . . . & multa alia, quæ proprium σύνταγμα deſiderant*. Eadem repetit S. D. præfat. in lib. Paralip. præfat. in Eſdram, & Nehemiam, in lib. de opt. gen. interpr. & alibi. Ergo &c.

Reſp. Relate ad primum 70. Interpretes in textu Hebraico legiſſe בנו banàu cum ו pro בני beni cum Jod, unde verterunt *Ex Ægypto vocavi filios ejus* pro *filium meum*, quemadmodum legit S. Lucas. Qua de re error iſte ſe tenet ex parte eorum, qui codicem Hebraicum tranſcripſerunt, in quo hujus generis ſphalmata occurrere plura mirum non eſſe diximus ſupra c. 4. in reſponſione ad Objectionem 10. Relate vero ad ſecundum idem dicimus occurrere reſponſum: ſiquidem notandum eſt, verba illa *Quoniam Nazaræus* ſupponi deſumpta ex Iſaiæ 11. & ex illa vocula *flos* de radice ejus &c. & cum nomen hoc Hebraice dicatur נצר netſer, ita ſcriptum non reperierunt 70. ſed legerunt נזר nezir ſcriptum cum zain, non cum tzade, quod ſignificat *Nazaræus*. En itaque ob unius litteræ apicem tanta diſſidia. Legite Hieronymum comment. in Iſai. in cap. 2. Matth. & tract. de opt. gen. interpret. Nullius ponderis eſt tertium: Sive enim legendum ſit Zachar. 12. *Aſpicient ad me pro eo quod inſultaverunt* vel *confixerunt*, utrumque enim reddit Græcum verbum κατωρχήσαντο, *tamen ſermonem varietas ſpiritus unitate concordat*, inquit Ep. 101. ad Pammachium præfatus S. Doctor. Quartum Teſtimonium, quod S. Joannes c. 7. ſui Evangel. ex veteri laudat Teſtamento, nec apud 70. nec apud Textum Hebraicum reperitur. Marianus Victorius in Scholiis ſuper Præf. S. Hieron. in Pentat. deſumptum putat ex c. 18, Proverb. ubi habetur: *Aqua profunda ex ore viri, & torrens redundans fons ſapientiæ*, pro quibus legunt 70. *Aqua profunda ſermo in corde viri, flumen autem ſcaturit, & fons vitæ*. Verum ſi non ſunt eadem verba, idem tamen verborum eſt ſenſus. Non enim ita verſionem iſtam defendimus, ut nulla in ea admitti debeant leviſſima menda. Ultimum denique, quod Paulus Ep. 1. ad Cor. c. 2. laudat, putat S. Hieronymus deſumptum ex c. 64. Iſaiæ, ſed utrumque textum quicumque legerit, videbit aperte in voculis quibuſdam totam eſſe diſcrepantiam. Fatetur tamen

idem

idem S. Doctor cit. Epiſt. ad Pammach. Apoſtolum *non verbum e verbo expreſsiſſe, ſed* παραφραστικῶς *eumdem ſenſum aliis ſermonibus indicaſſe*. Sed vide Morinum lib. 1. Exerc. Bib.

Ob. 2. S. Matthæus c. 2. laudat quoddam Michææ c. 5. Teſtimonium hiſce verbis: *Et tu Bethleem terra Juda nequaquam minima es in principibus Juda:* quod diverſimode legitur in 70. verſione ſequentibus verbis: *Et tu Bethleem domus Ephrata modica es ut ſis in millibus Juda*. Ergo in verſionem 70. manifeſtiſſimus error irrepſit.

Reſp. Verſionem 70. concordare cum textu Hebraico, qui teſte Hieronymo ita vertit: *Et tu Bethleem Ephrata parvulus & in millibus Juda*. Vid. cit. Ep. ad Pammachium. Quid inde? erravit S. Matthæus? abſit. *Arbitror Matthæum volentem arguere Scribarum & Sacerdotum erga divinæ ſcripturæ lectionem negligentiam, ſic etiam poſuiſſe, ut ab eis dictum eſt*, verba ſunt Hieronymi in c. 5. Mich. Alii volunt Bethleem etiam Ephrata vocatam fuiſſe.

Ob. 3. Errores innumeri in verſione 70. irrepſerunt relate ad Patriarcharum chronologiam, ſiquidem in verſione 70. ab Adæ creatione uſque ad Diluvium excurriſſe dicuntur anni 2262., e contra in textu Hebraico anni ponuntur 1656. Ergo &c.

Reſp. Varie inter ſe digladiatos eſſe Interpretes omnes, ut chronologiam 70. cum textu Hebraico conciliarent, ſed uſque adhuc inutili marte pugnatum eſt. Nos vero ab omnium recedimus ſyſtemate, novamque cudimus reſponſionem, quam ſi admittere non libuerit, liberum unicuique diſſentiendi jus eſto. Dicimus itaque, apparenter non ſubſtantialiter inter ſe diſſidere Hebraicum textum, & 70. verſionem. In Generationibus enim primorum decem Patriarcharum adnumerandis diverſum ſcopum habuerunt Moyſes & Interpretes. Iſti cum ſacros libros verterent apud Ægyptios, in animo habuerunt chimericam illam ante Adamum tot ſeculorum antiquitatem exſufflare. Illi vero ſatis erat ſcribere Adamum, cum eſſet annorum 130. genuiſſe Seth. Seth vero ætate annorum 105. genuiſſe Enos, & ſic de ceteris, donec uſque ad diluvium ſic enumerando annorum ſumma compleretur 1656. Interpretes e contra ut ſibi ſtatuta conſilia executioni mandarent, majori indigebant annorum numero, ne opponerent Ægyptii, annorum ſpatio 1656. tanta populorum generatione minime terram potuiſſe compleri, qua de re ut id facilius præſtarent, annos ſimultaneos poſuerunt, ideſt aſſeruerunt Adamum genuiſſe Seth ætate annorum 230. non

quod res ita ſe habuerit, ſed centum annorum vitæ Seth in Adæ annis includendo, ſimili modo Seth dixerunt genuiſſe Enos annorum ætate 205. non 105. ſed numerum centenarium ex vita Enos fecerunt addititium. Ex quibus ſequitur chronologiam 70. non eſſe Mundi chronologiam, ſed pro hac recte ſtatuenda ad Hebraicum textum eſſe recurrendum. Quæ omnia ex eo confirmantur, quod tam 70., quam textus Hebraicus in totali ſumma annorum uniuſcujuſque Patriarcharum conveniant. Utrobique enim legitur Adamum vixiſſe annos 930. & ſic in ceteris. Tota igitur in eo figitur reſponſio, quod Moyſes a 70. diverſum habuerit ſcopum in Patriarcharum annis enumerandis: quod ſi non placet admittere, ex pene omnium Theologorum variis reſponſionibus, planiorem, qui invenerit, amplectatur.

Ob. 4. Hieronymus hanc 70. verſionem ſæpiſſime improbavit. Ergo &c.

Reſp. Negari non poſse Hieronymum duriuſcule quandoque, ut ſuam extolleret verſionem, loquutum fuiſse, diſputationis æſtu abreptum, atque oſcitantium amanuenſium errores reprehendiſse; verum fateri etiam debemus, ætate ingraveſcente aſpere quædam notata emolliſse, quemadmodum pluribus in locis ſuorum operum ſatis oſtendit. *Ergo ne*, inquit Apolog. 2. adv. Ruffinum *contra 70. Interpretes aliquid ſum loquutus, quos ante annos plurimos, diligentiſsime emendatos, meæ linguæ ſtudioſis dedi, quos quotidie in conventu fratrum ediſſero, quorum Pſalmos jugi meditatione decanto.* Similia habet Apolog. 3. & Præfat. in Pentateuchum, & in lib. Paralip.

Qui plura in hac quæſtione deſiderat, Natalem Alex. adeat Sec. 2. Uſserium in Syntag. Iſaacum Voſſium in lib. de 70. Interpr. Joan. Morinum in Exerc. Bibl., Henricum Valeſ. in Ep. ad Us, & Brianum Walt. in Prol.

## CAPUT VIII.

### *De ceteris Græcorum Verſionibus.*

POſt 70. Interpretum verſionem octo tantum enumerantur, quarum & auctores & hiſtoriam paucis perſtringenda cenſemus ad majora properantes.

Primam itaque poſt Chriſtum natum verſionem græco adornavit idiomate Aquila Ponticus genere, patria Synopenſis, primum Ethnicus, deinde Chriſtianus, denique Proſely-

ſelytus Judæorum . R. Akhibam præceptorem habuit , ac brevi linguam edoctus Hebraicam duas edidit ex Hebræo in Græcum translationes , teſte D. Hieronymo in c. 6. Jerem., qui eum vocat diligentem & curioſum Interpretem , licet contentioſum . Floruit an. 12. Hadriani , Chriſti vero 129.

Secundam ex Hebræo Verſionem confecit Samaritanus quidam genere, Symmachus nomine , qui cum a ſuis defeciſset, ad Hebræos tranſivit, inde ad Nazaræos tranſmeavit Princeps Ebionitarum factus, teſte M. Auguſtino C. Creſc. lib. 2. c. 31. Quo tempore vixerit incertum. Probabilior fert ſententia, verſionem ſuam in odium Samaritanorum an. Chr. 200 ſub Severo evulgaſſe.

Theodotion natione Ponticus , patria Synopenſis tertiam elucubravit . Tatiani Hæretici quondam auditor , deinde Marcionis ſectator factus eſt . Qua ætate verſionem ſuam ediderit , inter Eruditos implacabile diſſidium . Illud tantum hic obiter notamus, Aquilæ, Symmachi, Theodotionis verſiones miſerrime deperiiſſe.

Quarta poſt Chriſtum Græca editio Hierichuntina vocatur, quia in Hiericho anno Ch. 217. fuit inventa.

Quinta vero Nicopolitana dicitur, utpote in doliis occluſa in Civitate Nicopoli incerto auctore anno Chr. 228. inventa eſt.

Antequam ad ceteras progrediamur, hic brevi narratiuncula perſtringenda ſunt Tetrapla, Hexapla, & Octapla Origenis , opus prorſus immenſum . Tetrapla igitur nil aliud erant, niſi quatuor verſiones, quarum prima verſio Aquilæ, ſecunda Symmachi, tertia 70. Interpretum , quarta Theodotionis, quatuor diverſis columnis diſtincta . Hexapla vero conſtabant ſex columnis , in quarum prima & ſecunda erat textus Hebraicus litteris Hebraicis & Græcis deſcriptas, quibus Tetrapla adjungebantur . Cum vero Hexapliis iſtis duas alias addiderit verſiones Adamantius, videlicet Hierichuntinam & Nicopolitanam , Octapla confecit . Ex his ſextam habes inter Græcas verſionem , non quod Origenes ſacras litteras ex Hebræo in Græcum verterit ſermonem, ſed quod Octaplis ſuis aſteriſcos , obelos , lemniſcos , hypolemniſcos addiderit. Obelus ⌐ indicabat ea, quæ legebantur in verſionem 70. Interpret. non in textu Hebræo. Aſteriſcus *, vel ut alii malunt .X. indicabat id, quod vel ex textu Hebræo, vel ex aliis verſionibus addiderat Origenes. Lemniſcus erat

linea

linea, cujus medio punctum ſuperimponebatur hoc modo ∸ Hypolemniſcus e contra ita erat depictus ∸ Labor iſte pene immenſus fatalem exitum habuit graſſantibus in Oriente Saracenorum irruptionibus. Attamen. Doctiſſimus P. Montfauconius duobus tomis licet non in integrum reparavit. Ad quem proinde qui plura optat remittimus. Septimam S. Lucianus M. elucubravit translationem. Hanc propria ipſius Martyris manu deſcriptam repertam fuiſſe Nicomediæ ſub Conſtantino M. Imperatore apud Judeos in pariete turrito calce circumlito, in quo, ut aſſervaretur, poſita fuerat, teſtis eſt Auctor Athanaſ. Synopſeos. Quamquam Luciani verſio emendatio verſionis 70. potius dici debeat, ea tamen uſos fuiſſe Chriſtifideles Conſtantinopoli Antiochiam uſque teſtatur S. Hieronymus in Præfat. in lib. Paral. Paſſus eſt Lucianus ſub Maximino an. Chr. 311. Poſtremæ auctor fuit Heſychius ex Monacho Epiſcopus. Eodem quo S. Lucianus anno martyrium ſubiit. Verſionem 70. Interpr. emendavit, cujus editionem Eccleſias Ægypti amplexatas fuiſſe innuit S. Hieronymus ibid.

## CAPUT IX.

### *De latinis Verſionibus S. Scripturæ, ac de Vulgata præſertim.*

POſt Græcas S. Scripturæ verſiones, quæ a Latinis editæ ſunt appoſite hoc loco commemorandæ, quæ Auguſtini & Hieronymi ætate propemodum erant innumeræ, ut ex lib. de Doct. Chr. 2. c. 11. & ex Præf. in Joſue apertiſſime infertur. Ait enim cit. loc. Auguſtinus: *Qui .... Scripturas ex Hebræa lingua in Græcam verterunt, numerari poſſunt, Latini autem Interpretes nullo modo*. Et loc. cit. Hieronymus: *Apud Latinos tot . . . exemplaria, quot codices*. Nihilominus cum primis illis Eccleſiæ temporibus una ceteras auctoritate præſtaret apud Occidentales præſertim, quæque idcirco *Itala* vocabatur, hinc aliquantiſper in hujus verſionis characteribus & nobilitate immorabitur, ceteris ſilentio prætermiſſis. *Itala* igitur verſio in ſacris Chriſtianorum conventibus ab Auguſtino legebatur, & licet ab ignoto elucubrata fuiſſet auctore, maximo habebatur in pretio, utpote ex Græca 70. Verſione confecta. Cel. Caſleyus in Cat.MSS. Bib. Lond. falſo autumavit, antiquam Italam Verſionem numquam extitiſſe, innixus Auguſtini verbis lib. 2. de Doct. Chr.,

Chr., quæ cum ità ſe habeant : *In ipſis . . . . Interpretationibus Itala ceteris præferatur, nam eſt verborum tenacior &c.* Vir Doctiſſimus legebat : *Illa ceteris præferatur, quæ eſt verborum tenacior*; ſed a P. Sabatierio de Vet. Verſ. Ital. ſolidiſſime confutatus, nullum protulit codicem in hujus lectionis confirmationem. Quidquid tamen de his ſit, antiquà Itala uſque ad Gregorii M. tempora auctoritatem obtinuit, poſt quæ D. Hieronymi verſio ejus locum & dignitatem obtinuit. Etenim cum Hebraicæ linguæ peritiam S. Doctor ſibi comparaſſet, id injuſte Clerico negante in Art. Crit., ex Hebraico fonte novam ſtuduit verſionem adornare, Pfeifero aliiſque Proteſtanribus apud Dupinum miſerrime contradicentibus. In hac Hieronymi verſione libri, qui erant in Hebræorum Canone, ſolummodo comprehenduntur, Tobia & Judith exceptis. De libro Pſalmorum magna eſt controverſia; certum tamen eſt ab Hieronymo verſos non fuiſse, ſeu illos, quos modo legit Eccleſia, Pſalmos S. Doctoris non eſse. Non deſunt Theologi, inter quos Morinus Exerc. Bib. & Melchior Canus De loc. Theol. lib. 2. c. 14., qui velint, Hieronymum in ſua Verſione elucubranda divinitus fuiſse inſpiratum, ſed inanem prorſus operam ludunt. Huic enim ſententiæ Hieronymus ipſe pluribus in locis opponitur aperte aſserens, ſe potuiſse decipi, & ſe reapſe deceptum fuiſse confirmans : qua de re legendus Dupinius loc. cit. & Calmet diſsert. de Vulg. Quod maxime tamen ad operis noſtri inſtitutum confert, illud ſane eſt, præſenti in loco exquirere, num Verſio iſta Vulgata, qua utitur Eccleſia, & quam adornavit Hieronymus, jure merito a Tridentino Concilio declarata ſit authentica. Quocirca breviori, qua poterimus, methodo quæſtionis ſtatum aperiemus.

Cum Tridentina Synodus ſeſſ. 4. c. 2. Vulgatam declaraſſet authenticam illis verbis : *Vetus & Vulgata editio...pro authentica habeatur*, mirum profecto eſt, quam impudenter contra hoc Decretum clamaverint Proteſtantes eo inſaniæ deducti, ut crederent, Hebraicos fontes ceteraſque tum Græcas, tum Latinas verſiones hoc uno Decreto eſſe damnatas. Aſt cum Tridentina Synodus Vulgatam declaravit authenticam, ipſamque prætulit ceteris, alias non damnavit, nec ulla inuſſit ſane cenſura. Id ea cautione a Concilio factum arbitror, quod cum tunc temporis innumeræ fuiſſent elucubratæ verſiones a quibuſdam privatis hominibus vel hæreticis, vel fidei ſaltem ſuſpectæ, illæ ſaltem compeſcerentur, data

data tamen omnibus Hebraicos Græcoſque fontes adeundi facultate.

Quæ omnia magis confirmantur, ſi Concilii ſcopum attendamus enucleando, quid per τὸ *Authenticum* Sancta Synodus intellexerit. Apud Juriſperitos *Authenticum* illud dicitur, *quod ex ſe fidem facit in judicio, & ſupremæ eſt auctoritatis, ut a nullo rejici, vel in quæſtionem vocari queat.* Ita Julian. Juriſconſ. Tract. de fide Inſtrum. Mens igitur Concilii Tridentini fuit, quod Vulgata ex ſe fidem faceret in quotidiano Eccleſiæ, Theologorum, Concionatorum uſu, ita ut a nullo rejici, aut vocari in queſtionem poſſet: quod ut rationi fieret conſentaneum, ſatis erat, Vulgatam Verſionem nihil continere aut fidei aut moribus contrarium. Aſt dum iſta decrevit ſacroſancta Synodus, fontium auctoritati non derogavit, ex quibus Vulgata manavit. Talem fuiſſe Concilii mentem, Cardinalis Pallavicinus in Hiſtor. Concil. lib. 6. aperte ſcripſit, & qui Concilio interfuerunt Alphonſus Salmeron, & Vega. teſtati ſunt, quod etiam Generalis Lainez Soc. Jeſu confeſſus eſt apud Mariana Append. ad Bonfr. Qua de re hiſce præmiſſis nil aliud videndum, niſi diligenter exquirere, num jure merito a Concilio Tridentino Vulgata declarata ſit authentica, ideſt num pura ſit, atque ſuis fontibus conformis, quemadmodum Ludovicus de Dieu in Not. ad Ev. Fagius Præf. ad Con. translat. Grotius in annot. V. T. Walton Proleg. 10. Millius Proleg. in N. T. Græc., aliique Proteſtantium Doctiſſimi confeſſi ſunt. Quare ſit

### Conclusio Unica.

*Verſio Vulgata latina, qua modo utitur Eccleſia in rebus ad mores & fidem ſpectantibus, nulla ratione a fontibus ſuis diſſentit, & conſequenter jure merito authentica declarata eſt a Concilio Tridentino.*

Dem. Ac primo quidem, illo prætermiſſo argumento deſumpto ex Concilii Tridentini definitione, cui reponunt Heterodoxi, non probare infallibilitatem Eccleſiæ ex Scriptura, & Scripturæ infallibilitatem ex Eccleſia, negare ne audebunt Hæretici per octo & amplius ſecula, quot nempe a M. Gregorio uſque ad Concilium præterierunt, Vulgatam noſtram in Occidentalibus Eccleſiis viguiſſe, eamque ſolam in Homiliis, in Concionibus, in commentariis, diſquiſitionibus, Synodis &c. a PP. fuiſſe conſtanter & perpetuo uſurpatam? Minime ſane. Ergo per octo & amplius ſecula ſuis fontibus ab Eccleſia habita eſt conformior; merito ergo authen-

thentica declarata eſt a Concilio Trid. Præterquamquod contra mores & fidem nulli ſunt in hac Verſione errores. Ergo &c. Ant. conſtabit argumentorum ſolutione.

*Diluuntur Hæreticorum Objecta.*

Ob. 1. Ante Concilium Vulgata Verſio non erat authentica: Ergo neque talis habenda eſt poſt Concilii Decretum. Prob. ant. Ante Concilium, innumeris ſcatebat erroribus: Ergo &c.

Reſp. Nego ant. & ad ejus prob. diſting. antec. innumeris ſcatebat erroribus interpretis vitio, nego antec. Ex incuria & oſcitantia librariorum, conc. ant., & nego conſeq. Negare ſane non audemus, ante Synodum Tridentinam errores multos in Vulgatam irrepſiſſe, eoſque non ex Interpretis, ſed amanuenſium ignorantia promanaſſe, quemadmodum & adhuc multa in Vulgata manſiſſe credimus. At quæcumque hujus generis vitia irrepſerint, ad caſtigata & ſincera exemplaria erant emendanda, quemadmodum ſub Pio IV. S. Pio V. Sixto V. & Clemente VIII. præſtitum eſt. Verum quomodo declarari potuit authentica, ſi erat corrigenda, inquit Maſtonus Hæreticus Anglus? Bellum ſane argumentum? Quis enim non videt, Concilium Verſionem illam authenticam declaraſſe, prout extabat in accuratioribus & melioris notæ codicibus, in quibus & leviora extaſſe fatemur Hebraico textui non omnimode conſona? At quæſo quænam ſacrorum Bibliorum verſio eſse potuit ſuis fontibus omnino ſimillima? Forſan Munſteri verſio? ſed non potuit iſta a Zuinglianis probari. Verſio forſitan Leonis Judæ, & Bibliandri? at eam Lutherani ſpreverunt. Caſtalionis editio, licet a viro Calviniſta edita, nec ipſis placuit Calviniſtis, imo cenſura notata maxime a Theodoro Beza. Quid eſt ergo, quod clamant Hæretici, Verſionem latinam erroribus & mendis ſcatere?

Ob. 2. S. Hieronymus plura ut mendoſe tranſlata reprehendit, quæ in Vulgata reperiuntur: Ergo &c.

Reſp. S. Hieronymum quædam in Vulgata editione mutanda cenſuiſse, quæ poſtea ut recta approbavit, cum melius Hebraicæ linguæ peritia codices conſuluiſset. Præterquamquod & nos fatemur, nonnulla adhuc menda poſt Clementis VIII. correctionem remanſiſse, quod aperte legitur in Præf. ad ſacra Biblia ſequentibus verbis: *In hac tamen pervulgata lectione ſicut nonnulla conſulto mutata, ita etiam alia, quæ mutanda videbantur, conſulto immutata relicta ſunt, tum quod ita faciendum eſſe ad offenſionem populorum* vi-

*vitandam S. Hieronymus non ſemel admonuit*. Menda iſta majori ex parte & ſaltem præcipua collegit Natalis Alexander ſec. 4. Diſs. 39. ſed tanti non ſunt, ut ſuam valeant Vulgatæ authenticitatem auferre.

Ob. 3. Vulgatus Interpres labi potuit, & in errorem induci. Non ergo Vulgata declarari potuit authentica.

Reſp. Conceſso anteced. negamus conſequentiam. Etenim ex quo Vulgatæ auctor, vel Auctores decipi potuerint, non ſequitur, fuiſse deceptos. Eccleſia non declaravit, illos non potuiſse errare, non tamen fuiſse deceptos aperte ſancivit. Lege ad hanc Theſim prænotata. Plura eſsent loca adducenda ex ſacris Litteris, quæ Calvinus, Chemnitius, aliique Proteſtantes corrupta & depravata eſse contendunt, ſed nullus eſset finis controverſiæ, ſi omnia vellemus expendere. Qua de re qui plura deſiderat, adeat Doctiſ. Bellarminum de Verbo Dei lib. 2. c. x. & ſeqq.

## CAPUT X.

### *De Pentateucho Samaritano, & Paraphraſi Chaldaica, de Syriaca, ceteriſque Orientalibus Verſionibus.*

CUM decem Tribus Hebraici Populi a Roboamo defeciſsent, Jeroboamum ſibi in Regem elegerunt duabus relictis Tribubus, quæ Roboamo obtemperabant, Juda ſcilicet & Beniamin. Hinc duplex ſchiſma, Religionis nempe, & Imperii. Cum autem decem Tribus in Samaria potiſſimum habitarent, Samaritani dicti ſunt, quorum ſicut fuit a duabus Tribubus diverſa Religio, ita & diverſum habuerunt Sacrarum Litterarum Codicem, ſolum nempe Moyſis Pentateuchum, cujus modo duplex evulgata eſt verſio, una Arabicis ſcripta characteribus, altera Syriacis ſeu Chaldaicis, phraſi tamen & idiomate Samaritano. Samaritanum Pentateuchum Harleus Sancius Congreg. Oratorii Gallicani ex Oriente primum attulit, & in Bibliotheca Oratoriana Pariſienſi depoſuit, eumque in lucem produxit Pariſiis anno 1631. Joannes Morinus ejuſdem Cong. Eum antiquiſſimum eſse conſtat ex Euſebio Cæſareenſi, S. Hieronymo, Cyrillo Alexandrino, Diodoro Tharſenſi, & Procopio Gazæo. An autem quem modo habemus idem ſit, qui a veteribus laudatur, magnum inter recentiores diſſidium. Partim ex Hebræo & Græco conflatum tenent Uſserius, Seldenus, Bootius, Hottingerus, Buxtorfius, aliique; pro contraria tamen ſen-

tentia valide pugnant Jo. Morinus, Capellus, Waltonus, aliique. Quapropter, qui de Samaritano Pentateucho plura cupit addiſcere, citatos poterit auctores adire.

Ut aliqua vero de Chaldaica paraphraſi proferamus, a Babylonica captivitate exordiendum cenſeo, in qua cum patriæ legis & linguæ obliti eſsent Hebræi, neceſse fuit illis ſacra Biblia Chaldaice exponere. Unde tres præſertim elaboratæ ſunt verſiones juxta triplicem Chaldaicæ linguæ Dialectum, Babylonicam nempe, Chaldaicam & Syriacam. In prima quinque librorum Moyſis, in 2. Joſue, Judicum, Regum, trium prophetarum majorum cum duodecim minoribus, in tertia librorum Job, Pſalterii, librorum Salomonis, Danielis, Paralipomenon, Eſdræ, Eſther, & Ruth interpretatio exhibetur. Primæ Paraphraſis ab Hebræis præſertim Onchelos, ſeu Oncheloſus quidam dicitur auctor; ſed de ejus ætate, maxima inter Eruditos controverſia. 2. Jonathano Uzielis filio tribuitur. 3. Joſepho cuidam cæco tribuunt non tamen ante quintum Eccleſiæ ſeculum, utpote variis idiomatibus reſperſam, ſyriaco nempe, græco & latino. Nullius autem ſunt auctoritatis in Eccleſia Paraphraſes iſtæ majori ex parte Judaicis fabulis, & Thalmudiſtarum nugis refertæ. Si contra Judæos argumento, ut ajunt, ad hominem procedendum ſit, laudabilis eſto harum verſionum uſus, de quarum utilitate, fuſe & abunde pertractat Lucas Brugenſis in Apologia pro Theologis Lovanienſibus de Chaldaica S.Scripturæ Paraphraſi.

Quod ad Syriacam Verſionem attinet, quemadmodum certum eſt, antiquam eſse in Eccleſia, ita incertum, vel prorſus ignotum, a quonam Verſio iſta prodierit auctore. Ejus utilitas non modica eſſe poteſt, non vero tanta, ut illi ſtandum ſit omnino. Vid. Ricc. Sim. & Walt. in Proleg.

Præter Chaldaicam & Syriacam aliæ extant verſiones apud Orientales Chriſtianos, Arabica nempe, Egyptia ſeu Coptica, Æthiopica, Perſica, Armena. Harum verſionum rationem reddit S. Jo. Chryſoſtomus Hom. 1. in Jo. dicens Æthiopes, Ægyptios, Indos, Perſas, & multos alios populos habere libros ſacros proprio idiomate deſcriptos. In genere loquendo Verſiones iſtæ non magnæ ſunt auctoritatis, quia non admodum veteres, nec admodum diligenter adornatæ. De iſtis fuſius pertractant Auctores prænotati. Ad ipſos ergo confugiendum.

LI-

# LIBER SECUNDUS.

HActenus de Sacra Scriptura pertractavimus ea ſolummodo generaliter inquirentes, quæ omnibus ſacris libris communia eſſe deprehendimus, ut ex præmiſſis ſatis ſuperque conſtat. Nunc de Sacra Scriptura in ſpecie, ſeu de ſingulis S. Sciruræ libris brevi ſaltem calamo nonnulla ſuſcipimus diſcutienda, ne omnia videantur Theologiæ Candidatis deeſſe. De auctoribus itaque ſacrorum librorum præſertim agemus, eorumque Canonicitate, vel illorum ſaltem, quorum auctoritas aliquandiu adducta eſt in controverſiam ab Hæreticis. Sit itaque

## CAPUT I.

*De Auctore librorum Moyſis & Joſue.*

PEntateuchum Moyſis non eſſe Hobbeſius, Peirerius, & Spinoſa, aliique autumarunt, contra quos Natalis Alexander, Cardinalis Gotti, Huetius, aliique ex Catholicis & ex Proteſtantibus innumeri, pro veritate ſteterunt. Circa vero librum Joſue tot ſunt ſententiæ quot capita, alii enim iſtius libri Eleazarum Pontificem, Samuelem nonnulli, Iſaiam aliqui faciunt auctorem. Andreas Maſius, Grotius, Hobbeſius poſt tempora Salomonis exaratum arbitrati ſunt, quorum momenta antequam expendamus, noſtram ſequenti propoſitione firmare oportet ſententiam.

### PROPOSITIO.

*Pentateuchum a Moyſe, librum Joſue ab Joſue ipſo fuiſſe conſcriptos pro certo habemus.*

DEM. 1. Pars. Pentateuchus continent leges, ſermones Domini, Cantica, certamina, victorias, & Hiſtorias ſimillimas; ſed Exod. 17. 14. 34. 27. Deut. 31. 19. 2. Paralip. 34. 14. Baruch 2. 28. legitur, Deum Moyſi præcepiſse, ut hæc omnia litteris conſignaret, & aliunde Deut. 24. 47. Exod. 24. 4. Deut. 31. 22. & alibi habetur, Moyſem litteris illa conſignaſse, Ergo Moyſes eſt auctor &c.

Præterea Chriſtus Dominus Moyſem Pentateuchi declaravit auctorem. Ergo &c. Prob. ant. Joan. c. 5. 46. 57. hæc protulit Chriſtus; *Si enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan*

*tan & mihi*, *de me enim ſcripſit ille*. Ubi voluit Chriſtus alludere ad ea, quæ de Meſſia leguntur Gen. 3. 15. 22. 18. 49. 10. Deuter. 18. 15. Ergo &c.

Ulterius. Omni tempore Hebræi Moyſem Pentaeuchi fecerunt auctorem, quod ſane eſt conſtantiſſimæ traditionis argumentum. Hebræis Teſtimonium ſucceſſit Chriſtianorum, qui certe vanam Judæorum rejecisſent oſtentationem, Argumentum eſt S. Auguſtini lib. 33. cont. Fauſtum c. 6. ubi probat, Apoſtolorum libros ab Apoſtolis eſse conſcriptos ex continua Eccleſiæ traditione: Quod ſane argumentum ineluctabile prorſus videtur. Unde enim conſtat, Hippocratem, Platonem, Ariſtotelem, Plinium &c. auctores eſse librorum, qui ſub eorum nomine circumferuntur, *niſi eadem temporum ſibimet ſuccedentium conteſtatione continua?* inquit S. Doctor. Simili ergo ratione &c. Quæ omnia magis ex eo confirmari posſunt, quod a primis Eccleſiæ incunabulis quotquot Sacrorum librorum indicem adornarunt PP. Pontifices, concilia, Pentateuchum Moyſi tanquam genuino auctori inſcripſerant. Prætermittimus Apoſtolicos Canones, Melitonem Sardenſem Ep. ad Oneſ. Origenem in Expoſ. Pſal. 1. Cyrillum Hieroſolym. in Cat. S. Athanaſium Præf. in Pſalm. S. Auguſtinum lib. 1. de Doctr. Chr. S. Hieronymum ad Paulin. alioſque, quorum teſtimonia videri posſunt apud ſupra citatos Theologos. Concludendum igitur, Pentateuchum Moyſis eſse opus genuinum.

Prob. 2. pars. Ultimo capite libri Joſue 26. iſta leguntur: *Scripſit quoque* (Joſue) *omnia verba hæc in volumine legis Domini*. Quænam ergo de Auctore libri Joſue poteſt amplius ſubſiſtere controverſia? Argumentum eſt Thalmudiſtarum in Bababatra c. 1. Deinde Eccleſiaſtic. c. 46. Joſue dicitur Moyſis ſucceſſor *in Prophetis*, vel in *Prophetiis*: Ergo &c. Præterea adverſarii ideo ab Joſue librum iſtum abjudicare conati ſunt, quia in eo referuntur nonnulla, quæ poſt Joſue evenerunt: Neque ergo hujus libri auctor erit Eleazarus, qui paulo poſt Joſue ſupremum diem clauſiſse certiſſimum eſt. Denique liber Joſue antiquior eſt lib. 3. Reg. quod patet ex hujus lib. c. 16. 34., in quo ex libro Joſue c. 6. 25. 26. tranſlata ſunt ipſiſſima verba: Non ergo hujus libri auctor erit Samuel, Iſaiſas, &c. Concludendum igitur, librum Joſue ab ipſo Joſue fuiſse exaratum.

*Objecta diluuntur.*

Ob. 1. Potuit Moyſes Scribis mandare, rerum, quæ contigerant, hiſtoriam texere: Ergo &c.

Reſp. Imprimis concedi poſse antecedens. Siquidem probandum eſt, Moyſem reapſe hanc provinciam Scribis demandaſse. Deinde negamus, id Moyſem præſtare potuiſse. Ipſe enim, ut ſupra oſtendimus, a Deo mandatum accepit ſcribendi. Vel ergo Moyſes divinum præceptum tranſgreſsus eſt, quod nefas eſt dicere, vel ipſe ille omnia geſta conſcripſit. Denique, ut ſupra vidimus, Moyſes Pentateuchi dicitur ſcriptor, non alius quiſpiam, & Paralip. 2. c. 34. 14. dicitur, quod *reperit Helcias Sacerdos librum legis Domini per manum Moyſis*. Quibus omnibus adſtipulatur conſtans Hebræorum, & Eccleſiæ Chriſti traditio.

Ob. 2. Ab exordio Iſraelitici Populi ſemper in Judaica Rep. Scribæ, & Hiſtorici extiterunt Diariis conſcribendis deſtinati. Credi ergo poteſt, a Scribis & Hiſtoricis Pentateuchum fuiſse litteris conſignatum.

Reſp. Hæc omnia fieri potuiſſe, ſed reapſe eveniſſe, quemadmodum potuerunt contingere, hoc probandum eſt. Allata enim ſuperius fundamenta contrarium manifeſte probant.

Ob. 3. In Deuteronomio deſcribitur mors Moyſis, ejus ſepultura, luctus filiorum Iſrael &c. Iſta non potuerunt a Moyſe deſcribi: Ergo &c.

Reſp. Joſephum Antiq. Judaic. lib. 4. Philonem de vita Moyſis, Maimonidem lib. de Bened. Sac. c. 13. aſſeruiſſe, Moyſem κατὰ πρόληψιν (per anticipationem) divino ſpiritu afflante iſta ſcripſiſſe, & multa alia notaſſe, quæ longo poſt ejus mortem tempore contigerunt, Hebræos videlicet Manna comediſſe per annos 40., uſque dum tangerent fines terræ Chanaan; cum aliis paucis, quæ ſane jam Jordane trajecto evenerunt. Nihilominus cum pluribus ſacris Criticis minime veremur aſſerere, hæc omnia vel ab Joſue, vel Eleazaro, vel Eſdra, vel alio quocumque addita fuiſſe, ut tota haberetur Moyſis hiſtoria, & finis Deuteronomii cum initio Joſue cohæreret.

Ob. 4. Auctor Pentateuchi de Moyſe, veluti de aliena perſona loquitur, Moyſis laudes celebrat Numer. 12. 3. Deut. 36. 10. Non ergo fuit Moyſes.

Reſp. His omnibus S. Gregorium ſatisfeciſſe Præfat. in Expoſ. lib. Job. c. 1. ſequentibus verbis: *Moris Scripturæ Sacræ eſt, ut ipſi, qui ſcribunt, ſic de ſe in illa, quaſi de aliis loquantur. Hinc eſt enim, quod Moyſes ait: Erat Moyſes vir mitiſſimus ſuper omnes homines, qui morabantur in terra. Hinc Joannes dicit: Diſcipulus ille, quem diligebat Jeſus. Hinc Lucas ait: Quod ambularent duo ex diſcipulis in*

*in via, Cleophas & alius. Quem profecto alium, dum tam ſtudioſe tacuit, ut quidam dicunt, quid niſi ſeipſum fuiſſe monſtravit? Scriptores igitur ſacri eloquii, qui impulſu Spiritus Sancti agitantur, ſic de ſe in illo teſtimonium, quaſi de aliis proferunt, Spiritus ergo S. per Moyſem loquutus eſt de Moyſe*. Hactenus Gregorius, qui dum iſta in Auctoribus Sacris notaſſe videtur, id etiam in prophanis ſcriptoribus, Cæſare præſertim, Cicerone &c. paſſim uſitatum eſſe deprehendimus.

Ob. 5. Sic incipit liber Deuteron. *Hæc ſunt verba, quæ loquutus eſt Moyſes trans Jordanem*, ſed Moyſes nunquam fuit trans Jordanem. Ergo Moyſes non eſt auctor Deuteronomii.

Reſp. Non eſſe legitimam conſequentiam. Ut enim juxta regulas logicæ directe procedat argumentum, deduci debet: *Ergo Moyſes illa verba loquutus non eſt*. Quo in caſu nimis probaretur. Hoc tamen prætermiſſo ita legitur in Hebræo: Eie addebarìm Aſcer Dibèr Moſcè behéver aiardèn. Ubi vox בעבר behever aliquando ulteriora, citeriora aliquando ſignificat, aliquando per *trans*, per *cis* aliquando vertitur, & melius *in tranſitu* dici poteſt, ut adnotarunt Pagninus, Buxtorfius aliique Hebraicæ linguæ peritiſſimi. Denique quomodocumque verti debeat reponimus, regionem illam campeſtrem, in qua Moyſes loquutus eſt, trans Jordanem fuiſſe reſpectu Terræ Sanctæ, cujus comparatione Scriptura Sacra ſitus locorum ſolet conſignare.

Ob. 6. Plura ſunt in Pentateucho, quæ a Moyſe ſcribi non potuerunt. Geneſ. 37. 14. mentio fit Civitatis *Hebron*, quæ prius *Cariatharbe* dicebatur. Gen. 14. 14. memoratur civitas Dan, quæ Moyſis ævo Lais dicebatur. Gen. 11. 18. nomen *Chaldæorum* legitur ſcriptum. Gen. 8. 8. *Ninive* nominatur. Denique Gen. 40. 15. legitur, Joſephum furto ſublatum de terra *Hebræorum*. At ubinam terra iſta Hebræorum?

Reſp. Ad hæc omnia ſuas excuſationes in promptu habuiſſe Huetium, &, qui ex eo ſuſtulit multa, Natalem Alexandrum. Verum quid pugnat, hæc omnia vel a Scribis, vel ab Eſdra, vel a quocumque alio adjici potuiſſe?

Ob. 7. Geneſ. 12. 6. narratur egreſſus Abrahæ de terra ſua in terram Chanaan, poſtmodum ſubiungitur: *Chananæus autem tunc erat in terra*. Ex quibus videtur, auctorem hujus libri vixiſſe, quando jam e ſedibus ſuis expulſi erant Chananæi.

Reſp. Iſta facili exſufflari negotio, ſi dicatur, Auctorem hujus libri poſuiſſe: *Chananæus autem tunc erat in terra*, ut indicaret, quo tempore Abraham in terram illam migravit, Chananæos illam jam incoluiſſe.

Ob. 8. In Pentateucho fit mentio libri *Fœderis Domini*, libri *Bellorum Domini*, & *libri Dei*, Exod. 24. 4. 7. Num. 21. 14. Deuteron. 31. 9. Pentateuchi auctor igitur eſt valde recentior.

Reſp. Nos probabilius cum P. Cellier Hiſt. des Autheurs Sac. lib. 1. c. 1. exiſtimare, libros iſtos fuiſſe a Moyſe conſcriptos, aut forſitan a Pentateuchi libris minime diſtinctos. Si primum, illos periiſſe dicendum eſt; ſi ſecundum, adverſariorum cadit argumentum. Verum a quocumque fuerint exarati libri iſti, dummodo concedatur, eorum auctores Moyſi fuiſſe coævos, evaneſcit argumentatio.

Ob. Ultimo. Geneſ. c. 36. 31. hæc habentur: *Reges autem, qui regnaverunt in Edom antequam haberent Regem filii Iſrael, fuerint hi*. Et 8. Reges numerantur. Sed hoc cum temporum chronotaxi, uſque ad Saulem deducta non concordat: Ergo &c.

Reſp. Huic argumento multos multa repoſuiſſe. Explicant enim aliqui nomen illud *Regis* pro quocumque publicam habente auctoritatem, ita ut ſenſus ſit, Reges illos regnaſſe, antequam Moyſes Hebræis præeſſet, idque probant ex Jud. 9. 6. 21. 25. Deut. 33. 5. Sed ſi res ita ſe haberet, Reges Edom nec ipſi veri fuiſſent Reges. Præterquam quod ex alia parte inſuperabiles occurrunt difficultates. Alii vero, cum animadvertant in 1. Paralip. 1. 43. eamdem repeti chronologiam Regum & Ducum Eſau, arbitrati ſunt, hoc unum eſſe ex Eſdræ, vel alicujus cujuſque additamentis, quibus non adhæremus.

Ob. 1. contra 2. partem. Librum Joſue varia ſunt, quæ ab ipſo Joſue abjudicant. 1. Enim in eo fit mentio *libri juſtorum*. 2. Ibi legitur illa particula *uſque in præſentem diem*. 3. Ibi fit mentio terræ *Chabul*, quod nomen non excedit tempora Regum Iſrael 3. Reg. 9. 12. 4. In eodem Danitarum expeditio adverſus Leſen commemoratur, quod ex Judic. 18. 29. poſt Joſue mortem ſcimus contigiſſe. 5. Denique Joſue mors deſcribitur, aliaque plura, quam poſt ipſum contigerunt.

Reſp. His omnibus facillimam eſſe ſolutionem. Et quidem quoad primum reſponſionem habes ſupra ad object. 8. Quoad ſecundum dicendum eſt, etiam S. Matthæum c. 27. 8. eam-

8. eamdem phraſim adhibuiſſe, quam etiam ſequenti capite, idem Evangeliſta repetere non eſt veritus; quin tamen negari poſſet, Evangelium Matthæi illius eſſe, cujus nomine inſcribitur. Quamquam enim particula uſque in præſentem diem indicare poſſit rem, de qua eſt ſermo, longo antea tempore contigiſse, non tamen ſemper eamdem habere ſignificationem patet ex Matthæo, & ex aliis Sacræ Scripturæ locis. Ad tertium reponit Huetius, Joſephi auctoritate lib. 8. Antiq. aliam eſse terram Chabul in lib. Joſue memoratam, a terra Chabul, cujus in 3. Reg. ſit mentio. Illa enim vicus eſt in confinibus Ptolemaidis, iſta vero regiuncula eſt 20. conſtans oppidis, quam Salomon Hiramo Regi Tyri dono dedit. Ad quartum ut ſatisfaciat Huetius reponit, unum eſse ex Eſdræ, vel cujuſpiam alius additamentis. Alii vero Euſebii auctoritate moti dicunt, Urbem *Leſen*, quam a Danitis expugnatam, narrat Joſue, aliam eſse ab Urbe Lais, quam 600. viri ex Tribu Dan occupaſſe memorantur Jud. 18. 27. En verba Euſebii 2. tom. Oper. S. Hieronymi edit. Maurinæ: *Leſen hanc filii Dan vi captam cognominaverunt Dan . . . . Laiſan hanc filii Dan captam manu poſſederunt . . . . Sita eſt autem juxta Paneadem, de qua Jordanis fluvius erumpit*. Ad quintum denique vide ſup. Reſp. ad Ob. 3.

## CAPUT II.

*De libris Judicum, & Ruth.*

De horum librorum auctore obſcuriſſimum erit inquirere, ut ex Huetio, Natali Alex. aliiſque Theologis conſtat. Legantur præ ceteris Eruditiſſimi Calmet Prolegomena.

### Conclusio.

*Judicum & Ruth libri auctorem habent incertum; Judicum tamen liber antiquior eſt lib. Pſalm. & Reg.*

Dem. 1. pars. Ubi multæ inter ſe digladiantur ſententiæ nullo innixæ probabiliori argumento, ibi maxima ponenda eſt incertitudo; atqui relate ad libros Judicum & Ruth variæ inter ſe digladiantur ſententiæ, &c. Ergo &c. Et ſane quoad librum Judicum nonnulli ipſum tribuunt Samueli ea ducti ratione, quod cap. 1. 21. mentio fiat Jeruſalem captæ a Jebuſæis ante Davidis Regnum, quodque in hoc libro ſæpius repetatur nullum ſub Judicibus Regem fuiſſe, quod

cum Samuele videtur congruere, qui ſub Saule agens politiam ſuæ ætatis a politia ſub Judicibus quantum diſtaret, ſincera illa narratione demonſtrare volebat. Econtra qui hoc negant, inſurgunt dicentes, in hoc libro occurrere nomen נביא *Nabi*; cum ex libro 1. Reg. 9. 19. conſtet, antea prophetas vocatos fuiſſe Videntes. Obſervant inſuper, mentionem in eo libro fieri de *Domo Domini*, quæ ſane phraſis obtinere cœpit poſt Templum a Salomone ædificatum. Aliaque plura proferunt de Silo Jud. 21. 12. & de captivitate Zabulon, & Nephtali ſub Theglatphalaſare Jud. 18. 30. Quæ omnia ſane luculenter oſtendunt, nil certi poſſe deprehendi circa auctorem libri Judicum.

Sed & neque relate ad auctorem libri Ruth. De ipſo enim ait in Proleg. Erud. Calmet: *Quiſnam rogo auctor iſte & cujus ætatis? Sunt qui Samuelem, ſunt qui Ezechiam, qui Eſdram credant. Nihil certi ea in re habemus*, & quas inde adducit pro Samuele leviſſimas conjecturas, leviſſimas eſſe cuique oculos habenti conſtare poterit; Ergo &c.

Prob. 2. pars. Ex libro Judicum plura ſumpſerunt Auctores Pſalmorum & librorum Regum: Ergo antiquiorem auctorem habere facile conſtat, vel ſaltem ineluctabilis eſt iſta conſequentia: vel aliqua in Pſalmis & libris Regum ex libro Judicum fuiſſe poſita, vel viceverſa, quo in caſu minus conſtabit de auctore hujus libri. Confer Judic. loca cap. 5. 4. cum Pſalm. 67. 9. & 96. 5. Judic. 9. 53. & 2. Reg. 2. 21.

## CAPUT III.

### *De quatuor libris Regum.*

PRimi duo libri Regum apud Hebræos Samuelis nomine inſcribuntur; tertius vero, & quartus Melachìm מלכים ſeu *Reges* habent in titulo. De Auctore horum librorum inter ſe nimium diſſentientes quoque opiniones habemus. Qua de re cum nullius ſententiæ plauſibili aliqua probabilitate adhærere liceat, hinc contenti ſumus noſtram fateri ignorantiam & obſcuritatem. Unde ſit

Conclusio.

*Libri quatuor Regum incertum habent auctorem.*

Demonſtratur Prop. quoad ſingulos Regum libros, & 1. quoad duos præcedentes. Primi & ſecundi libri Regum Judæi præſertim auctores faciunt Samuelem, Nathan, & Gad, inni-

innixi teſtimonio 1. Paralip. 29. 29. Grotius Jeremiam, alii Davidem, Ezechiam alii. Sed quæ in hiſce duobus libris leguntur allatas diverſorum ſententias nimium implicant atque perturbant: Ergo &c. Minor facillime oſtenditur. Siquidem hiſce in libris aliorum teſtimonia laudantur, quibuſdam hiſtoriis annotationes adjiciuntur, phraſes occurrunt, quæ auctorem coævum produnt, aliæ vero, quæ recentiorem. Hujus generis exempla deſumuntur plura ex eo, quod dicat auctor 1. Reg. 3. 1. quod *in diebus illis non erat viſio manifeſta*, quod certe Samueli non competit: quod 13. cap. 15. Urbi *Bethel* nomen *Bethaven* appoſitum eſſe dicat, quæ nominis tranſmutatio Jeroboamo fuit ſynchrona. Inſuper horum librorum auctor c. 7. 15. de Samuele tamquam jam mortuo loquitur. Alibi etiam c. 6. 18. prodit, Arcam Domini ad ætatem uſque ſuam manſiſſe in agro Joſue Bethſamitæ. Cap. 27. 6. narrat, Urbem Siceleg ſemper in poteſtate Regum Juda manſiſſe, quæ ſane attingunt tempora diviſionis Regni Juda a Regno Iſrael; atque hujus generis plura a Cl. Calmet in Proleg. rite notata, quæ cum diverſarum ſententiarum auctoribus nullo modo poſſunt componi.

Eadem argumentandi ratione quoad 3. & 4. Regum librum procedendum, res eſt in aperto. Licet enim aliqui Regi Ezechiæ, Prophetis Jeremiæ, Iſaiæ veluti auctoribus diverſis hoc opus tribuant, aliique Eſdræ concedant, nihilominus multa in eo adinveniuntur obſcura, & nodum habentia inextricabilem. Siquidem ultimo 4. Regum capite captivitas Babylonica apertiſſime exprimitur, & quidem ut ex c. 10. adhuc perdurans. Deinde nonnulla auctor quandoque obſervat, & ſummatim repetit, quæ omnia auctoris indicia ſunt minime coævi. Ulterius 3. Reg. 8. 8. ſermo habetur de Arca Dei in templo adhuc manente, & cap. 12. 19. fit mentio diviſionis Regni Iſrael a Regno Judæ adhuc ſubſiſtentis; & c. 6. 1. & 38. duo menſium nomina Sìf & Bùl, quæ neque Hebraica neque Chaldaica ſunt. Quæ omnia ſane multis aliis prætermiſſis cum citatis auctoribus concordare difficillimum cenſeo. Ex quibus omnibus prudentiori quodam judicio concludendum, de auctore librorum Regum certam proferri non poſſe ſententiam. Quæ ſufficiat ſummis, ut ajunt, labris attigiſſe.

## CAPUT IV.

### *De Paralipomenis, & duobus Eſdræ libris.*

QUÆ Græce παραλειπόμενα, latine *Prætermiſſa* dicuntur, atque ita Paralipomenωn libri inſcribuntur, ut videlicet unuſquiſque ſciat, in iis ea narrari, quæ in libris Regum ſunt prætermiſſa. In ipſis omnem eruditionem Scripturarum contineri in Ep. ad Domnionem teſtatus eſt S. Hieronymus eadem ferme repetens in Prologo Galeato. Nec parvo habendi ſunt pretio, qui proxime ſequuntur libri Eſdræ nomine inſcripti, de quorum omnium auctoribus inquirendum.

### CONCLUSIO.

*Paralipomenωn auctor controverſus, ſicuti & II. Eſdræ. Primi vero Eſdram fuiſſe auctorem probabilior eſt opinio.*

Dem. 1. Pars. Notiſſimum eſt, Paralipomenωn Judæos & noſtrates Eſdram feciſſe auctorem, quia eadem habetur ſtyli æquabilitas hoc in libro, & quod poſt captivitatem ſcriptum eſſe deprehendatur ex edicto Cyri de Judæis in Jeroſolymam remittendis. Saltem iſta præcipua ſunt. At quæſo iſta ne Eſdram deſignant, aut quemvis alium? Non pauci e contra clamant Eſdram non potuiſſe Zorobabelis genealogiam texere uſque ad duodecimam generationem, quæ ſpatium ut minimum tercentum annorum debuit comprehendere. Atque iſta de Paralipomenis dicta ſufficiant, quæ poterunt clarius in Prolegomenis Calmetianis introſpici.

Quod vero ad 2. Eſdræ librum pertinet, ſcio, communiter genuinum opus Nehemiæ haberi. Verum nobis magis veritas arridet, quam conjectura. Et ſane Commentarii Nehemiæ in Machabæorum ſecundo 11. 13. laudantur, recitataque ibi verba nuſpiam in libris ejus nomine inſignitis occurrunt. Inſuper liber Nehemiæ plura continet a Nehemia prorſus aliena. Recitat ſiquidem monumenta, in quibus nomina referebantur Sacerdotum, & Levitarum ad ætatem Jonathan filii Eliaſib, & Darii Codomani pertinentium c. 12. 27., qui ambo utpote ad tempora Alexandri M. ſpectantes cxx. amplius annis Nehemiæ in Judæam adventu recentiores ſunt. Præterea agit ibidem Auctor de Nehemia quaſi de alieno, & longa jam ætate fatis functo, c. 12. 26. Ad hæc: In Narrationum ſerie multa extra ſedem vagantur.

tur. Ita dedicatio mœnium extra locum aberrat c. 12. 27., aberrat & caput quintum, in quo Nehemias de rebus geſtis anno 12. regiminis ſui diſſerit. Ex quibus omnibus concludi quidem poteſt, Nehemiam accuratas regiminis ſui Ephemerides reliquiſſe, atque ex iſtis fuiſſe librum ſecundum Eſdræ conſarcinatum.

Sed ad primum, qui Eſdræ nomine inſcribitur, regreſſum faciamus, cujus cap. 7. 14. iſta leguntur: *A facie enim Regis, & ſeptem conſiliatorum ejus miſſus es, ut viſites Judæam & Jeruſalem in lege Dei tui.* Dein verſu 27. ſubditur: *Benedictus Dominus Deus Patrum noſtrorum, qui dedit hoc in corde Regis, ut glorificaret nomen Domini .... Et in me inclinavit miſericordiam ſuam coram Rege & conſiliatoribus ejus .... Et ego .... congregavi de Iſrael Principes.* Ex quibus verbis evincitur, auctorem libri illum eſſe, qui invenit gratiam coram Rege & ſeptem conſiliariis ejus, in quem Deus inclinavit miſericordiam ſuam, & qui congregavit Iſrael; ſed iſte Eſdras fuit; Ergo auctor hujus libri &c. Prob. min. præced. verſ. 25. legitur: *Tu autem Eſdra .... conſtitue Judices & Præſides*, quæ verba ſane probant ad illum ſpectare verba ver. 27., ad quem ſpectat verſ. 25. qui non alius ab Eſdra eſſe dignoſcitur: Ergo &c.

*Eorum ſolutio, quæ contra primum Eſdræ librum opponuntur.*

Ob. 1. Scriptor Operis hujus Hieroſolymis degebat, quando a Rege Perſarum legati miſſi ſunt, qui Judæos de Templi reſumpto ædificio interpellarunt c. 5. 4. Sed Eſdras abeſſe debuit, cum niſi longo poſt Zorobabelem tempore redierit Hieroſolymam: Ergo Scriptor Operis non eſt Eſdras. Maj. patet, quia c. 5. v. 3. iſta leguntur: *In ipſo autem tempore venit ad eos Thathanai, qui erat dux trans flumen, & Stharbuzanai, & conſiliarii eorum, ſicque dixerunt eis: Quis dedit vobis conſilium, ut domum hanc ædificaretis? ... ad quod reſpondimus eis &c.* Ex quibus patet Scriptorem Operis unum ex illis fuiſſe, qui reſponderunt eis. Minor apud omnes conſtat: Ergo &c.

Reſp. Hoc argumentum adeo multorum vexaſſe mentem, ut conceſſa majore duplicem diſtinguerent Eſdræ reditum, unum cum Zorobabele, alterum vero poſt obtentam Templi reædificandi facultatem. Nos vero, qui ea non aſſerimus, quæ meram ſapiunt conjecturam, negamus majorem. Negamus nempe, Eſdram unum ex illis fuiſſe, qui Perſarum Legatis reſponderunt, quod ſane non evincitur ex quo lega-

bus verſiculis mors Tobiæ Junioris referatur, illi merito collectori tribuuntur : Ergo &c.

Oſtenditur 2. pars. Ille Liber inter Canonicas Scripturas eſt adſcribendus, qui inter Canonicas Scripturas relatus eſt ab Eccleſiæ Conciliis, & PP. Res ita ſe habet de eo libro Tobiæ : Ergo &c. Et re quidem vera, cum primum de ſacris libris agi cœptum ſit ætate Auguſtini, Concilium Hipponenſe & Carthaginenſe III. hunc librum conſecrarunt. Unde Auguſtinus ipſe librum de Doctrina Chriſt. exaraturus promittit, ſe nihil eſſe adducturum, quod in Scripturis ſanctis non reperiatur, in quo plures adducit libri Tobiæ ſententias. Idem probatur ex S. Irenæo, Origene, Hilario, Clemente Alexandrino, Cypriano, Baſilio, Ambroſio, Polycarpo, aliiſque a Serario, Natali Alex. relatis, quos brevitati conſulentes prætermittimus. Vana ergo ſunt Hereticorum contra hujus libri auctoritatem deliramenta.

*Solvuntur Objectiones contra II. Partem.*

Ob. 1. Liber Tobiæ in Canone non fuit Hebræorum, eumque inter ſacras Scripturas non recenſuerunt plures ex PP. Ergo &c.

Reſp. Nego conſequent. Fatemur quidem Tobiæ librum in Canone Hebræorum non fuiſſe, vel quia jam occluſus erat Canon, quando Tobiæ liber ad Hebræorum manus venerat, vel quia Chaldaice erat exaratus. Atque hoc potiſſimum in cauſa fuit, quod, cum primis Eccleſiæ temporibus novus Sacrorum librorum Catalogus non texeretur, antiquiores ex PP. Canonem Hebræorum ſatis authenticum ſequerentur. Hinc Tobiæ liber inter Canonicos relatus non eſt a Melitone, ab Origene, a Concilio Laodiceno, ab Epiphanio, & paucis aliis, quia ſacrorum librorum cauſa primum agitata eſt anno 393. in Hipponenſi Concilio. Poſtmodum tamen temporum decurſu cœpit liber Tobiæ in Eccleſiis veluti ſacer haberi. De quibus ſatis ſupra.

Inſtab. Hieronymus : Hiſce omnibus aperte contradicit in Prologo Galeato, ubi ait : *Tobias & Paſtor non ſunt in Canone. Judith, & Tobiæ, & Machabæorum libros legit quidem Eccleſia, ſed eos inter Canonicas Scripturas non recipit.* Ego &c.

Reſp. 1. Hieronymum Præfationes in Sacros libros litteris conſignaſſe an. 394. ideſt tribus annis ante Carthaginenſe Concilium III. cujus ſanctionibus Tobiæ libri auctoritas magis firmata eſt. 2. Verba illa *non ſunt in Canone... Inter Canonicas Scripturas non recipit*, idem ſignificare ac ſi di-

dixiſſet: Eccleſia non habet veluti ex Canone Hebræorum *deſumptos*, de quorum divinitate univerſalis tunc erat Eccleſiarum conſenſus. 3. Hieronymum Ep. ad Chromatium fateri, Hebræos librum Tobiæ inter hagiographa numerare.

Ob. 2. Apud Joſephum de Tobiæ libro, & geſtis altum ſilentium. Ergo &c.

Reſp. per inſtantiam, de vita, & geſtis Job Joſephum ſilere: Ergo ne inter apocryphas Scripturas amandandus liber Job? Directe tamen reponimus, Joſephum lib. Antiq. 10. aperte teſtari, ſe tantum Græce translaturum eſſe ſuæ gentis libros Hebraica lingua conſcriptos. Hinc mirum non eſſe, ſi hiſtoriam Tobiæ prætermiſit, qui Chaldaice, ut diximus, primum fuit elaboratus.

Ob. 3. Tobias hoc in lib. dicitur de Tribu Nephtali, & in captivitatem ductus a Salmanaſare, ſed ex 4. Reg. 13. 29. conſtat, Tribum Nephtali a Theglatphalaſare in ſervitutem redactam fuiſſe; Ergo vel falſum primum, vel ſecundum: Ergo non eſt liber Canonicus.

Reſp. Quod licet in libro Regum dicatur, omnes filios Nephtali ductos fuiſſe in captivitatem a Theglatphalaſare, non ſequitur, quod omnes reapſe ita fuerint translati, ut nullus in terra ſua remanſerit. Siquidem & in 1. Tobiæ capite legitur v. 5. Iſraelitas omnes ad Jeroboami vitulos converſos fuiſſe, non tamen inde credendum, ſolum Tobiam ſe ab Idololatria abſtinuiſſe. Ita 3. Reg. 19. 10. dicitur, ſolum Eliam in divina fide manſiſſe, verſ. tamen 18. legitur, ſeptem millia fuiſſe, quorum genua incurvata non ſunt ante Baal. Et ſane 2. Paralip. 43. 6. 9. habemus, Joſiam Regem Juda poſt aliquot annos a cæde Theglatphalaſaris Civitates Manaſſe, Simeonis, Ephraim, & Nephtali ab Idololatriæ reliquiis repurgaſſe, adeo verum eſt, non omnes ex Tribu Nephtali translatos fuiſſe.

Ob. 4. Sara ex c. 3. 7. habitaſſe dicitur in Rages civitate Medorum, & ibidem narratur, Tobiam cum Saræ domum attigiſſet miſiſſe Raphael ad Gabelum in Rages; ſed hæc ſunt repugnantia: Ergo &c.

Reſp. Tot fuiſſe in hujus nodi ſolutione ſententias, quot Interpretes. Alii ſiquidem repoſuerunt, duas in Medorum Regno fuiſſe urbes ex eodem nomine appellatas. E contra alii erroris Vulgatam accuſant, cum Græca Verſio, Syriaca, & Hebraica exemplaria Munſteri, & Fagii pro Rages habeant Ecbatanis. Omiſſis tamen reſponſionibus eruditorum virorum, quæ ipſorum venia nobis minime arrident

in

in eam ſententiam imus, quæ Vulgatum interpretem laudat, ceteraſque Verſiones non contemnit. Dicimus itaque, recte in Vulgata legi: *Sara filia Raguelis in Rages civitate Medorum*, recteque etiam alias Verſiones poſuiſſe: *In Ecbatanis civitate Medorum*. Et ratio eſt, quoniam *Ecbatana* & *Rages* nomina erant unius ejuſdemque civitatis, quod ex Græcis, & Hebraicis textibus facillime oſtenditur; ſiquidem Græca exemplaria *Ecbatana* vocant etiam *Rhaga*, & Hebraica nunc *Rigou*, nunc *Ragiau*, modo *Ecbatana* dicunt. Quæ omnia magis ex Athenæo confirmantur, qui libro 12. affirmat, Parthorum Reges conſueviſſe æſtivo tempore in Rages vitam agere, & Iſidoro Caraceno apud Bochartum, qui teſtatur, Rages totius Regni Medorum fuiſſe Metropolim, quod ſane Ecbatanis quammaxime convenit. Cui reſponſio iſta non arridet, meliora ſeligat, ſi invenerit.

Ob. 5. Hoc in libro Angelus Raphael mentitur, manducat & bibit; ſed iſta abſurda ſunt: Ergo &c.

Reſp. Nego ant. Angelum Tobiæ comitem mentitum fuiſſe lib. 1. c. Edmund. Camp. p. 77. probare conatus eſt impudentiſſimus Wittakherus, ex quo Raphael ſe Iſraelitam dixerit de Tribu Nephtali, Azariam nomine, Ananiæ Magni Patris filium, & in civitate Rages Gabelo neceſſitudinis vinculo conjunctum; ſed iſta facillime diſſolvimus oſtendendo, Raphaelem in omnibus hiſce veritati conſuluiſſe, atque id ex pluribus non ſpernendis rationibus. Imprimis Angeli in veteri Teſtamento Dei nomine nuncupabantur, abſque eo quod ullus ex Proteſtantibus dixerit, illos eſſe mentitos. Deinde Tobiæ Angelus Azariæ formam ſumpſerat, merito ergo potuit de ſe illa omnia prædicare, quæ huic Iſraelitæ maxime conveniebant. Nonne Alexandri M. perſonam gerens, aut Cæſaris, vere ſe Alexandrum, & Cæſarem eſſe profitetur? Ad hæc *Azarias adjutorium Dei* interpretatur. Merito ergo Raphael Azarias dictus eſt, qui in duorum Iſraelitarum adjutorium venerat. Denique Angelicarum actionum mirabilis œconomia ex humanis metiri nequit, cum ordinem naturalem prætergrediatur. Spiritus Angelici a Deo mittuntur, qui eſt fons & origo veritatis: Ibi ergo locum non habet humana ratio, ubi divinorum myſteriorum incomprehenſibilis altitudo nullum præbet experimentum.

Quod vero de Angeli potu & eſu allatum eſt, tenuit hinc inde diſtractas diverſarum ſententias. Rabbini, Theodoretus, S. Thomas 1. p. q. 51. a. 2. & 3. ad 5. aliique in Angelis aerea corpora admiſerunt, quibus ſane rationibus nulla addu-

adduci poteſt illuſionis excuſatio. Juſtinus M. in Dial. cum Tryph. ex quo legatur in Pſ. 77. *Panem Angelorum manducavit homo*, male arbitratus eſt, Angelos in cælis manducare. In tanta opinionum varietate dicimus, Raphaelem imperfecte ſolummodo manducaſſe, ideſt cibum utique ſumpſiſſe, eumque in ſtomachum induxiſſe, non ut per corporales functiones in corpoream verteret ſubſtantiam, ſed ut in inviſibiles ſubtiliſſimas partes diſſolveret, quemadmodum ſolaribus radiis nivem diſſolvi cognoſcimus. Sed urges: Sara & Tobias arbitrati ſunt, Raphaelem vere, & perfecte manducaſſe. Ergo decepti ſunt. Utique ſane arbitror, illos deceptos fuiſſe, ſed hoc infirmitati tribuendum humanæ naturæ, non Angelo. Cetera, quæ contra hujus libri divinitatem objici ſolent, videre poteris apud Calmetium, Natalem Alexandrum, Criticos Sacros, alioſque.

## CAPUT VI.

### *De Libro Judith.*

ARduam ac perdifficilem aggredimur de libro Judith diſputationem, in quo aut libri auctorem, aut hiſtoriam, vel denique ſanctitatem inſpiciamus, inextricabiles propemodum occurrunt quæſtiones. Auctore libri prætermiſſo utpote incertiſſimo reliquas duas quæſtiones, nempe tempus hiſtoriæ, & libri ſanctitatem duabus theſibus abſolvemus, in quibus ea producturi ſumus, quæ in aliorum commentariis licet doctiſſimis non ſunt antiquiora. Atque hac de cauſa omiſſo brevitatis ſcopo in difficilioribus quibuſque terendis pauliſper immorabimur. Quare ſit

CONCLUSIO.

*Hiſtoriam Judith ſub Artaxerſe Ocho Artaxerſis Mnemonis filio, qui juxta Euſebium regnare cœpit A. P. Jul.* 4348. *M.* 3618. *U. C.* 388. *ante Chr.* 366. *uſque ad annum Per. Jul.* 4374., *& conſequenter poſt Babylonicam deportationem contigiſſe, ſententia eſt ceteris anteferenda, ac prope certa.*

Contra hanc Theſim pugnant Bellar. de V. Dei, Gretſer. in ejus Def. Salmeron Ep. ad Tuccium, Serarius in Judith, Bonfrerius Præloq. Petavius De Doct. Temp. Uſſerius ad an. M. 3348. Huet. Demonſt. Evang. Newt. in Chr. Dupinus Diſſ. ſur le Bibl. Montfaucon Verité &c. Calmet, Harduinus apud Neville, Tournemin. dans les Memoires de Tre-

voux

voux 1727. Hiſtoriæ Univerſalis Auctores, alliqne multi, qui ad 5. M. ætatem Hiſtoriam Judith collocant. Poſt Babylonicam captivitatem contigiſſe tamen volunt Euſebius in Chronic. Auguſtinus de C. D. l. 18. c. 26. Sulpitius Sev. Hiſt. Eccl. lib. 2. Beda lib. de 6. etate. Julius Afric. apud Suidam, Natalis Alex. Hiſt. Eccl. t. 5. Suurin t. 4. diſcours 13. aliique plures, qui tamen non conveniunt in Perſarum Rege aſſignando, ſub quo Bethuliæ obſidio contigerit. Pro noſtra tamen ſententia hæc ſunt momenta.

Dem. Præcipui characteres libri Judith nulli poſſunt melius aptari, quam Artaxerſi Ocho: Ergo &c. Prob. ant. Præcipui characteres libri Judith ſunt, hanc hiſtoriam contigiſſe ſub Nabuchodonoſore Aſſyriorum Rege, Holopherne duce, poſt Templum Judæorum ſolo æquatum, poſt captas eorum civitates, poſt eorum congregationem ex diſperſione, & Jeruſalem iterum conſtructam, Judith 5. 22. & ſequ. Sed iſti characteres nulli melius, quam Artaxerſi Ocho conveniunt; Ergo &c. Minor per partes oſtenditur. Julius Africanus, Syncellus, Sulpitius Severus cit. loc. Nabuchodonoſoris nomen Ocho datum fuiſſe ex *Nebo* vel Nabo Chaldæorum Idolo aperte teſtantur. Vid. Fourmont t. 1. lib. 2. ſect. 4. c. 14. Deinde mirum non eſt, Artaxerſi Aſſyriorum Regis nomen per Cyrum deletis Aſſyriis datum fuiſſe. Nonne 1. Eſdræ 6. 22. Perſarum Rex, qui probabiliter Darius erat Hyſtaſpis filius, Aſſyriorum Rex dicitur: *Convertat cor Regis Aſſur ad eos?* Nonne Zachariæ 10. 11. legitur: *Humiliabitur ſuperbia Aſſur*, quibus ſane verbis Perſarum Regnum certe intelligitur, cum Zacharias poſt Cyrum prophetaverit? Præterea prophani Scriptores teſtantur apud Gibert Memoir. des Inſcript. t. 1. p. 42. ſuivant edit. Pariſ. 1754. in Ochi expeditione Ægyptiaca inter ſui exercitus Primores Holophernem quemdam nomine fuiſſe, & Vagao quemdam memorant, qui in lib. Judith, Holophernis Eunuchus dicitur. Quid clariora amplius inquirimus? Hæc autem omnia ſi conferantur cum Judith memorato c. 5. res evadit manifeſtiſſima. Ibi enim ex Achiorris reſponſione conſtat, Hebræos captivitate Babylonica ſoluta in Jeruſalem regreſſionem jam feciſſe. Ulterius ex lib. Judith conſtat, omnia ad Sacerdotis nutum & imperium tunc conſueviſſe fieri, nulla habita Regiæ auctoritatis mentione. Quodnam fuit igitur tempus iſtud, in quo non Reges, ſed Sacerdotes imperarunt, niſi poſt Babylonicam ſolutam captivitatem? Quæ omnia cum in aliorum Syſtematibus nequeant demonſtrari, ſequitur, ſen-

ſententiam noſtram prope certam eſſe ac ceteris jure merito anteferendam.

*Diluuntur Objecta.*

Ob. 1. In libro Judith dicitur c. 1. 5. Nabuchodonoſor regnaſſe in Ninive, ſed poſt Babylonicam deportationem Ninive everſa erat. Ergo non poteſt poſt captivitatem Babylonicam aſſignari tempus hujus hiſtoriæ.

Reſp. Ninive quidem everſam fuiſse, ſed poſt Cyrum reſtauratam Meerdatis expeditio ſub Nerone oſtendit apertiſſime, quod ex Ammiano Marcellino oculari teſte magis magiſque comprobatur. Præterquamquod Clar. Viri Bochartus atque Marshamus, duas fuiſse civitates Ninive unam prope Eufratem, prope Tigrim alteram, atque hanc ab Aſsyriis everſam ſolidis rationibus demonſtrarunt.

Ob. 2. Poſt Hebræorum Captivitatem jam Medi Cyri ſucceſsoribus ſerviebant; quomodo ergo poſt eamdem captivitatem Arphaxad Rex Medorum contra Nabuchodonoſor pugnare potuit? Judith c. 1.

Reſp. Medos quidem Cyro, ejuſque ſucceſſoribus ſerviiſſe poſt Hebræorum captivitatem; at quid inde ſi aliquis Arphaxad nomine aſſumpta Regis dignitate ad rebellionem Medos incitavit, quemadmodum reapſe eveniſſe Herodotus lib. 1. c. 130. Xenophon Hellen. lib. 1. p. 435. Scriptores coævi cum Ariſtotele de Rep. lib. 3. teſtantur?

Ob. 3. Eodem cap. 1. legimus Arphaxad ædificaſſe Ecbatanam; ſed hoc falſum eſt; Diodorus enim lib. 2. ante Semiramidem hanc civitatem extitiſſe probat, & Herodotus lib. 1. c. 98. eam a Dejoce Medorum Rege ædificatam fuiſſe tradit.

Reſp. Quiſquis ille fuerit, qui a fundamentis Ecbatanam excitavit, de hoc enim non conveniunt Hiſtorici, dicimus, verbum *ædificavit* in lib. Judith ſumendum eſſe pro *reſtauravit*. Ita legitur in lib. Reg. David Jeruſalem, Salomonem quinque civitates, quas illi Hiram dono dederat, Roboamum Abiam, Manaſſe civitates Juda ædificaſſe, quas ſolummodo illi reſtauraverant. Imo de Nabuchodonoſor 4. Daniel. 27. dicitur, *Babylon magna, quam ego ædificavi*, quæ a multis jam annis erat condita: ſimili ergo ratione &c. Quæ ſane omnia veritati conſona eſse, Græca verſio pleniſſime oſtendit.

Ob. 4. In Vulgata non legitur templum ſolo æquatum, deinde quod habetur in Græca, explicari poteſt de aliqua templi prophanatione.

Reſp.

Reſp. Utique in omnibus Græcis Codicibus ſolummodo illa extare verba, qua ratione tamen oſtendi poterit admittenda non eſse? Nec unus eo inſaniæ devenerit. Ut autem clare dignoſcatur, verba Græci textus intelligenda eſse de templo ſolo æquato, & non aliter, pauliſper in ipſis immoremur oportet. Græca itaque verſio ſic habet: ϗ ὁ ναὸς τοῦ Θεοῦ αὐτῶν ἐγενήθη εἰς ἔδαφος. Ideſt *Et Templum Dei ſui factum eſt ſolo æquatum*. Verba illa εἰς ἔδαφος nullum alium pati ſenſum, ex Græcis auctoribus facillimum eſt oſtendere. Thucydides lib. 3. hæc habet. Ὕστερον δὲ καταλύοντες αὐτὸν εἰς ἔδαφος πάντα ἐκ τῶν θεμελίων. *Poſtea demolientes eam ſolo tenus ex omnibus fundamentis ſuis*. Plutarchus Ἐξανδραποδισάμενος τὴν πόλιν εἰς ἔδαφος κατέβαλε. *In ſervitutem redigens civitatem ſolo dejecit*. Joſephus lib. x. Antiq. c. 11. de Excidio Templi a Nabuchodonoſor eadem utitur phraſi, nempe εἰς ἔδαφος καταλεῖν. Similia adinveniuntur apud Æſchylum, Heſichium, & in Theſauro Henrici Stephani, a quibus referendis ſuperſedemus.

## Conclusio II.

*Liber Judith eſt inter Canonicos adnumerandus.*

Dem. iiſdem rationibus, quibus in ſuperioribus libri Tobiæ divinitas vindicata eſt, utriuſque enim libri eadem ſors fuit. Qua de re videre poteris Patrum, quos ſupra citavimus, apud Natalem Alexandrum teſtimonia. Interim ad argumenta adverſariorum properamus.

*Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1. Cap. ix. 13. Judith ſic Deum oravit dicens: *Capiatur laqueo oculorum ſuorum in me, & percuties eum ex labiis charitatis meæ*, vel ut habent Græca *ex labiis deceptionis meæ*. Quibus verbis Deum deprecata eſt, ut Holophernes ſui accenderetur deſiderio. At quis dicat, viduam illam non peccaſse? & ſacrum eſse librum, in quo tam iniqua ſcelera deſcribuntur? Ergo &c.

Reſp. Minime Juditham peccaſse, quæ mediis uſa eſt irreprehenſibilibus ad juſtum finem, occiſionem nempe Holophernis, conducentibus. Sane media, quæ Judith adhibuit, in cap. 10. leguntur; videlicet: *Lavit corpus ſuum . . . diſcriminavit crinem capitis ſui, impoſuit mitram ſuper caput ſuum, & induit ſe veſtimentis jucunditatis, . . . aſſumpſitque dextrariola, & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis ſuis ornavit ſe*. Media iſta ſane irreprehenſibilia fuiſse, ex contextu habemus expreſſe manifeſtum: *Cui etiam Dominus contulit ſplendorem. Quoniam* (en irre-

prehenſibilitatis ratio) *quoniam omnia iſta compoſitio non ex libidine, ſed ex virtute pendebat, & ideo Dominus hanc in illam pulchritudinem ampliavit*, (perinde ac ſi naturalis venuſtas non ſufficeret) *ut incomparabilis decore omnium oculis appareret*. Optavit igitur Judith Holophernem ſui amore captum inflammari, ſed amore caſto, licito, honeſto, ac maritali.

Sed inquies: Judith certe nolebat ſe Holopherni copulare. Concedo. Potuit tamen licite hoc in Holopherne deſiderium excitare.

Inſtabis. Conjugia cum alienigenis Hebræis erant illicita Deut. 7. 3. Tranſeat. At quænam inde conſequentia? Iſta profecto: Ergo Judith non poterat ſe Holopherni conjungere. Poterat tamen licite hoc in Holopherne deſiderium excitare, licet non executioni mandandum. Dixi, tranſeat, quoniam allata Deuteronomii lex connubia vetabat Hebræorum cum Populis conterminis Etæis, Gergezæis, Amorrhæis, &c. qui erant per ipſos ſubjugandi. Et reapſe Eſther nupſit Aſſuero: Ergo &c.

Inſtab. Clemens Alexand. Pædagog. lib. 2. c. 2. hæc habet: *Solam Eſther juſte invenimus ornatam*. Ergo Judith injuſte.

Reſp. Clementem in mulieres illas invehere, quæ quotidiano quodam faſtu, atque immoderato fuco ſe liniebant; ſecus argumentum nimis probaret. Vult enim Apoſtolus 1. Tim. 2. 9. *Mulieres in habitu ornato*. A reprehenſione igitur Clementis excludenda Judith, quæ quotidie induebat ſe cilicio, & ad Holophernem obtruncandum ſolummodo induit ſe veſtimentis jucunditatis ſuæ. Ceterum Clemens Alex. Strom. lib. 4. c. 6. hæc habet: *Judith, quæ conſummata fuit in mulieribus*.

Ob. 2. Judith in verbis & factis mentita eſt; id probant illa verba Judith exploratoribus Aſſyriorum c. 10. 12. *Ideo fugi a facie eorum, quoniam futurum agnovi, quod dentur vobis in deprædationem, pro eo, quod contemnentes vos noluerunt ultro tradere ſeipſos*: Ergo &c.

Reſp. Calmet eruditiſſimum virum, & S. Thomam apud Cl. Nicolai in hunc locum admiſiſſe in Judith verum mendacium. Verum nos eam damnare minime audemus ob auream S. Irenæi lib. 4, c. 50. regulam, quæ ſic ſe habet: *De quibus Scripturæ non increpant, ſed ſimpliciter ſunt poſitæ, nos non debere fieri accuſatores*. Qua de re Judith apologiam texere paucis hic ſtudemus firmiter pronuntiando, Judith quidem

dem mentitam fuiſſe, ſed materialiter tantum, ideſt credidiſſe licitum eſſe mentiri cum hoſtibus. Et re quidem vera antiquiſſima apud veteres fuit illa Platonis in lib. de Rep. ſententia, oportere videlicet *aliquando mentiri vel contra hoſtes, vel pro patria & civibus*. Varia hujus erroris exempla, quem Auguſtinus validiſſime oppugnavit in lib. de Mend. apud Socratem, Xenoph. l. c. Plutarch. de Stoic. repugn. Quintilianum Inſt. l. 8. alioſque paſſim adinveniuntur, quibus Philonem Hebr. de Cherub. Clementem Alexandrinum, qui tamen defendi poteſt, & Origenem certe apud Hier. c. Ruff. adjungimus, non omiſſis Hilario in Pſ. 14. cujus hæc ſunt verba: *Eſt neceſſarium plerumque mentiri, & nonnunquam falſitas utilis eſt:* Chryſoſtomo Hom. 53. in c. 26. Gen. Theodoreto, Theophylacto, Œcumenio, & præ ceteris Caſſiano coll. 27., contra quos licet non audeamus definitivam proferre ſententiam, illud tamen Auguſtini admittimus in Levit. q. 68. *De mendacio pene omnibus videtur, quod ubi nemo læditur, pro ſalute mentiendum ſit*. Quæ ſane erat ſententia S. Doctoris ætate pene univerſalis, de qua ait de Mend. c. 1. quod ad eam oppugnandam *eſt magna quæſtio, latebroſa tractatio, diſputatio inter doctos alternans*. Ex quibus præmiſſis en Judith apologia. Licet poſt S. Auguſtinum & Innocentii III. Decretum in cap. *Super eo de Uſuris* extra controverſiam poſitum ſit, quodcumque mendacium quacumque circumſtantia prolatum eſſe peccatum, nihilominus non fuit antiquis temporibus ita per ſe aut naturæ lumine clarum dogma, ut Cl. Virorum plures in contraria non fuerint opinione. Quomodo igitur mirari debemus, ſi una mulier rudi præſertim ætate licitum eſse mendacium ad Patriæ liberationem opinata eſt? Plura ſunt, quæ addi poſsunt, ſed hæc pro Judith defenſione ſatis dicta arbitramur.

Ob. 3. Judith cum intraſset ante faciem Holophernis, adoravit eum c. 10. 30. Hoc ſane nefas: Ergo &c.

Reſp. Diſt. maj. Adoravit politica adoratione, conc. maj. adoratione religioſa neg. maj. Apud Perſas, Aſsyrios, & Orientales adorationem in uſu fuiſse, ex Q. Curtio lib. 8. Valerio Max. lib. 8. c. 3. Ammiano Marcellino lib. 8. aliiſque ſatis conſtat. Et reapſe Abraham Gen. 23. 12. Efron, Jacob ibid. 33. 3. Eſau, Juda, & fratres ejus ibid. 42. 6. Joſeph adoraverunt, quod & ab Achior erga Judith factum fuiſse noſcimus ex c. 13. 30. Politica itaque, & ex civili uſu, non ex ſacro & religioſo deducta fuit Judith adoratio.

Inſtab. Eſther c. 3. 2. Mardochæus noluit Aman adorare: Ergo &c.

Reſp. Mardochæum Aman non adoraſse, quia Amalecita iſte cultu religioſo petierat ſe adorari: legatur citatum c. 3.

Ob. 4. cap. 11. v. 5. *Juravit Judith dicens: vivit Nabuchodonoſor Rex terræ & virtus ejus &c.* Sed per ſolum Deum jurare licet; ergo &c.

Reſp. cum Baſilio in Pſ. 14. *Sunt quidam ſermones juramentorum quidem figuras habentes, non tamen juramenta omnino exiſtentes, ſed remedia potius perſuadendi.* Quocirca ita apud veteres in uſu juramentum fuiſse credendum eſt. Vid. 1. Reg. 1. 26. 2. Reg. 25. 26. Geneſ. 42. 15. Verum concedatur, Judith juraſse per vitam Holophernis, quid inde? Doctiſ. Maldodatus in Matth. 5. 34. oſtendit, hujus juramenti genus licitum eſse, dummodo neceſſitas adſit, ſervetur veritas, quod etiam confirmat S. Thomas lect. 4. in Ep. ad Hebræos, qui ſex aſſignat ſufficientis neceſſitatis capita, nempe: *Pro pace firmanda . . . pro fama conſervanda, pro fidelitate tenenda .... pro obedientia implenda .... pro ſecuritate facienda, pro veritate atteſtanda*, inter quæ certe illud recenſet *pro ſecuritate facienda*. In verbis autem Judith veritatem adfuiſſe uſque ad v. 6. ſuper quæ juramentum cadit, eſt manifeſtum. In ceteris vero, quæ ſequuntur, non cadit juramentum, & ſi quid eſt in illis mendax & fraudulentum, ad ſuperiorem reſponſionem recurrendum.

Ob. 5. Judith Sichemitarum cædem commendat a Simeone patratam, ob quam Jacob eum maledixit, Gen. 49. 6. Ergo &c.

Reſp. Ex diverſis principiis maledictionem Simeonis, & ejuſdem commendationem proficiſci. Jacob maledixit modo vindictæ, quod contra initum fœdus ſuſceperat Simeon. Judith commendat in Simeone zelum divinorum præceptorum. Quæ ſane prorſus diverſa ſunt. Sed in his ſatis ſuperque a brevitate digreſſi ſumus. Vid. Thomam Ang. in c. 34. ſuper Gen.

## CAPUT VII.

### *De Libro Eſther.*

De hujus libri auctore, & divinitate, deque Aſſuero Eſtheris marito potiſſimum eſſet hoc loco inquirendum. Verum cum dubia adhuc ac prorſus incerta ea ſint ha-

haſtenus, quæ relate ad primum & ultimum diſquiſitionis hujuſce caput protulerunt inter ſe diſſentientes eruditi Critici, nos idcirco de libro Eſther inter Canonicas Scripturas reponendo diſſeremus tantummodo. Et quidem jure: Siquidem inter SS. PP. Epiphanius, Auguſtinus, ille de pond. & menſ. iſte vero de Civit. D. l. 18. c. 36. hunc librum Eſdræ opus dixerunt. Eſdra recentiorem putat Euſebius Chron. l. 2. Dupinus Prol. de la Bib. Huetius Dem. Ev. prop. 4. ex Hebræorum traditione Synagogæ M. adſcribunt. Denique Serarius, Calmet in Proleg. Mardochæum, & Eſther hujus libri faciunt auctores. Omnes pro ſua ſententia invicte pugnare videntur, ſed lis adhuc eſt ſub judice. Eadem ferme ratione de Aſſuero Eſtheris marito loquendum. Siquidem licet omnes pene Critici operam omnem contulerint ad hoc, ut Aſſueri vel Artaxerſis illius ætatem clavo figerent trabali, tamen cogor Terentianum illud repetere.

*Feciſtis probe, incertior ſum multo quam dudum.*

Qua de re Libri Eſther divinitatem vindicantes contra Proteſtantes inſurgimus, qui ceteroquin cum Luthero ſolummodo ſeptem ultima hujus libri capita a ſacro Canone expugnunt. Vid. Buddæum H. E. V. T. tom. 1. Grotium Præf. ad hunc lib. Fabricium Bib. Græc. 1. 2. alioſque. Verum quoniam & cum Anabaptiſtis hunc librum omnimode reſpuentibus decertandum eſt, omnes idcirco uno mucrone confodimus.

## Conclusio Unica.

*Liber Eſther cum omnibus ſuis partibus undequaque Canonicus eſt, atque divinus.*

Dem. Eccleſiæ Concilia & PP. Librum Eſther cum omnibus ſuis partibus undequaque Canonicum & divinum agnoverunt: Ergo &c. Antecedens conſtat. Siquidem Concilium Laodicenum c. ult. Carthaginenſe III. can. 47. decreverunt, omnes libros ex veteri, & ex novo Teſtamento eſſe recipiendos, qui legebantur in Eccleſia; ſed liber Eſther in Eccleſia cum omnibus ſuis partibus legebatur: Ergo &c. Min. oſtenditur. Hieronymus Præfat. in hunc lib. apud Cl. Nicolai teſtatur, Verſionem Vulgatam latinam in Eccleſiis conſueviſſe legi, quæ certe cum omnibus ſuis partibus legebatur; quod adeo verum eſſe deprehendimus, ut Hieronymus ipſe in Epiſt. ad Galat. citet verſ. 11. c. 14. libri Eſther. Ex quibus conſtat, recte minus quam par erat ſenſiſſe de Hieronymo Bellarminum in lib. Eſth. De ceteris vero Eccleſiæ PP. non erit valde operoſum hujus veritatis cognitionem aſ-

ſequi. Idcirco legantur Origenes apud Euſeb. Hiſt. Ec. l. *6.* Cyrillus Hier. Cat. 4. Epiphanius lib. de pond. & menſ. Hilarius Præf. in Pſalm. Joannes Damaſcenus de fid. l. 4. Auguſtinus de Doct. Chr. lib. 2. c. *6.* Innocentius I. Ep. ad Exup. Gelaſius I. Syn. Rom. Eugenius IV. Inſtruct. Arm. Chryſoſtomus ad Populum Antioch. Hom. 3. alioſque plures, quorum teſtimonia ſatis prolixa collegit Natalis Alexander. Reſtat igitur, ut aliqua in contrarium adducta diſſolvantur.

*Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1. Septem, quæ defenſantur Eſtheris ultima capita aberant a textu Hebraico: Ergo &c.

Reſp. De iis libris, qui in Hebræorum canone non fuerunt, ſatis in ſuperioribus diſputatum.

Ob. 2. Varia in hoc libro adinveniuntur inter ſe pugnantia: Ergo &c. Prob. ant. Cap. 2. dicitur Mardochæus inſidias detexiſſe Eunuchorum anno 7.; cap. *6.* ob detectas inſidias nihil muneris retuliſſe; cap. vero 12. memoratur, Mardochæum inſidias iſtas detexiſſe anno Aſſueri 2. eique data pro tali detectione munera: Ergo &c.

Reſp. Nego ant., ad cujus probationem 1. reponimus, nos accurate caput 2. perlegiſſe, minimeque in eo legiſſe *anno* 7. 2. Dicimus iſta quidem prima fronte contradictoria apparere, ſed talia non eſſe accurate inſpecta. Siquidem imprimis pro certo habendum eſt, in Vulgata præſertim verſione capitum, & verſiculorum factam fuiſſe luxationem, unde quæ in poſterioribus erant conjicienda, in antecedentibus tranſlata ſunt, quod ex verſionum, collatione luculentiſſimum eſt; hinc aliqui volunt ſomnium Mardochæi initio libri eſſe collocandum, detectionemque inſidiarum, quæ ponitur c. 12. & revera anno 7. contingit, capiti 2. eſſe adnectendam. Quod vero dicatur Mardochæus nihil muneris recepiſſe pro inſidiarum detectione, de publico munere intelligendum credimus, quod ex cap. 12. ei ſcimus fuiſſe collatum.

Ob. 3. In multis Vulgatæ locis c. 3. 1. c. 12. *6.* c. *16.* 10. 14. Aman dicitur Agagita, Bugæus, & Macedo. Iſta ſunt incohærentia. Ergo &c.

Reſp. Ut hæc inter ſe diverſa nomina conciliarent, omnem operam Interpretes contuliſſe. Sulpitius Severus Hiſt. lib. 2. Amanum Perſam vocat. Harduinus, Plinii auctoritate (Vid. Chron. V. T.) producit Macedones Caduenos in Lydia, Hircanos in Jonia, Aſchilacos in Æolide, Myſo Macedonas in Myſia, concluditque, Amanum fuiſſe ex Lydiis & Jonibus.

bus. Cl. tamen Tourneminius Diſſ. Chron. in Newton deprompta penitiori eruditione oſtendit, Macedones ex Amalecitis ortum traxiſſe, atque ita rationem reddit duplicis nominis in Aman. Ad illud vero, quod *Bugæus* dicatur, Erudit. Calmet in hunc locum opinatus eſt, illud non proprium eſſe, ſed appellativum nomen, veluti ſi aliquem Thraſonem, vel Sycophanta diceres.

## CAPUT VIII.

### *De Libro Job.*

TRES hoc in capite occurrunt dirimendæ quæſtiones. 1. De auctore libri Job. 2. De veritate Hiſtoriæ Jobi. 3. De hujus libri Canonicitate. Primam harum controverſiarum partem malumus præterire, quam aliquid incertum prorſus ſtatuere. Legantur in hunc locum Erud. Calmet Prolegomena, & ex tam diverſis PP. & Criticorum ſententiis colligat, qui poteſt, hujus libri auctorem. Interim lege Origenem contra Celſ. l. 6. Gregorium M. in Job lib. 1. Suidam vocab. *Job*, Huetium Dem. Ev. prop. 4. Boſſuet diſc. ſur l' Hiſt. Uni. §. 3. Vavaſorium Præf. in Job, Dupinum Diſſert. Prælim. Riccardum Simonium Critique ſur Dup. t. 3. Clericum Sentim. des Theol. d' Holland. lett. 9. Codureum Præfat. in Job, P. Cellier des Autheurs Sacr. alioſque plures. Quod vero ſpectat ad altera dirimenda quæſtionum capita, non veram hiſtoriam, ſed parabolicam narrationem eſſe Jobi hiſtoriam ſentiunt Thalmudiſtæ, Maimonides, Anabaptiſtæ, Lutherus, aliique, ad quos confutandos duo ſumus demonſtraturi, videlicet, librum Jobi veram continere hiſtoriam, & inter ſacros atque divinos eſſe adnumerandum.

### CONCLUSIO I.

*In Libro Jobi vera hiſtoria continetur.*

Dem. variis argument. & 1. Ex Eccleſiæ Latinæ & Græcæ traditione conſtat, veram fuiſſe Jobi Perſonam. Ergo &c. Prob. antec. Eccleſia Latina memoriam colit B. Jobi die 20. Maji. Vid. Martyrolog. Rom. Bedæ, Uſuardi, & Adonis, aliorumque Latinorum. Eccleſia vero Græca ejuſdem Jobi celebrat feſtum ad 6. diem ejuſdem menſis ſequentibus verbis: *Memoria Jobi Viri juſti, & multorum certaminum victoris*. Vid. Menolog. Baſilii Porphyrogeniti. Eadem leguntur in Typico S. Sabæ apud Syros, & in Martyrologio,

quod ex arabico latinum reddidit Simonius. 2. In Sacris litteris de Jobo fit mentio, tanquam de homine juſto, qui revera extiterit. Vid. Tob. 2. 12. 15. Jacob. 5. 7. Interque cetera illuſtrius eſt illud Ezechielis teſtimonium c. 14. 14. *Etſi fuerint tres viri iſti in medio ejus Noe , Daniel , & Job .* Quis profecto neget Danielem, & Noe veros homines fuiſſe? 3. Eadem eſt PP. Latinorum & Græcorum ſententia, inter quos celebriores evaſerunt Origenes Hom. 4. in Ezechiel. Euſebius lib. 1. Dem. Ev. c. 5. S. Baſilius Hom. 4. de Grat. Act. S. Jo. Chryſoſtomus Hom. 5. ad Pop. Antioch. Tertullianus lib. de Patient. S. Cyprianus de Bono Pat. S. Hieronymus in c. 14. Ezech. S. Auguſtinus lib. 18. de Civit. Dei c. 47. S. Ambroſius lib. de Paradiſo, demum S. Gregorius M. Præf. in lib. Job, aliique pene innumerabiles, quorum teſtimonia videre poteris apud Natal. Alex. t. 1. Diſſ. 13.

*Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1. Nomina Jobi & amicorum ejus ſcenica ſunt: Ergo argumenta fabuloſæ hiſtoriæ. Prob. ant. Jobi nomen interpretatur *Dolens*, Hus *conſilium* ſignificat: Baldad idem eſt ac *vetuſta ſecreta*: Sophar idem quod *ſpeculator*: Eliphaz idem quod *aurum Dei*. Et ſic de ceteris: Ergo &c.

Reſp. Hæc & alia plura nullius ponderis eſſe. Si enim quæ de Jobo proferuntur, ſcenica habenda ſunt, quia nomina Perſonarum ſignificationem habent accommodam argumento, fabuloſa prorſus erunt, quæ in Geneſi & alibi ſæpe de Abraham, Iſaac, Jacob, & duodecim filiis ejus enarrantur, quia nomina habuerunt rerum eventibus congruentem.

Ob. 2. Liber Jobi partim proſa, carminibus partim hexametris ac pentametris ſcriptus eſt. Ergo opus fabulantis Poetæ.

Reſp. Et hæc eſſe ceteris futiliora. Deuteron. enim c. 32. Canticum Moyſis inſeritur, Judic. 5. Canticum Debboræ, 2. Reg. 22. Canticum David, quæ metrice conſcripta ſunt, nec tamen fabuloſa. At quænam quæſo in prophanis ſcriptoribus non adinveniuntur metro elaborata? Quis dicat ergo aut Ovidium in exilio non fuiſſe pulſum, aut Cæſarem adverſus Patriam Rubicone tranſacto arma tuliſſe ex eo, quod & Ovidius proprias lamentationes, & Lucanus arma pluſquam civilia verſibus exaraverint?

Ob. 3. Concilium Angelorum, colloquia Satanæ, quæſtiones a Deo factæ, Dæmonis reſponſiones parabolam ſapiunt: Ergo &c.

Reſp. Quis dixerit veram non eſſe Adami hiſtoriam, Hevæ

væ lapſum per hoc, quod Gen. 3. narretur colloquium Hevæ cum Dæmone ſub ſpecie ſerpentis, Dei deambulatio ad auram? Quis ex hoc quod audiat, Deum deſcendiſſe ut videret peccata Sodomorum, arguat, peccatum Sodomorum, eorumque punitionem parabolicam eſſe? Pari ratione licet concilium Angelorum, Satanæ colloquia imaginaria fuerint Scriptoris viſio, non ſequitur inde, veritatem hiſtoriæ non adeſſe quoad cetera, ſicut nec hiſtoriæ veritati officit viſum Michææ Prophetæ 2. Reg. 22. in quo narratur, egreſſum fuiſſe ſpiritum, & ſtetiſſe coram Domino ad decipiendum Achab.

Ob. 4. Joſephus hiſtoriam Jobi ſilentio prætermiſit: Ergo &c.

Reſp. Joſephum Judaicæ gentis hiſtoriam deſcribendam tantummodo ſuſcepiſſe, quod ut exequeretur, neceſſe non erat, Jobi mentionem facere. Verum ſi apud Joſephum altum de Jobo ſilentium, non ita apud Ariſteam, de quo apud Euſebium lib. 8. c. 25. Præpar. Evangel. hæc habentur: *Ariſteas in ſua de Judæis hiſtoria auctor eſt, Eſaum ex Baſſara conjuge Jobum in Idumæa filium genuiſſe .... Eumdem æquitate præſtantem, ac pecore imprimis abundantem fuiſſe ..... Porro Deum explorandæ hominis probandæque virtutis gratia diuturnis eum gravibuſque calamitatibus exercuiſſe, &c.*

## C O N C L U S I O II.

*Liber Jobi vere Canonicus eſt.*

Dem. Ille liber Canonicus eſt, ex quo ceteri ſacrorum librorum auctores varias deprompſerunt ſententias. Res ita ſe habet relate ad librum Job: Ergo &c. Ad minoris propoſitionis probationem confer Job 3. 2. cum c. Jerem. 22. 14. Job 15. 35. cum Pſ. 7. 14. Job 19. cum Threnis 3. 8. 9. Job 21. 7. 8. cum Jerem. c. 12. 1. 2. Job 28. 28. cum Proverb. 17. Job 38. 41. cum Pſalm. 146. 9. & alibi paſſim.

Deinde Liber ille Canonicus eſt, de cujus divinitate univerſalis extat SS. PP. conſenſus; ſed talem eſſe Jobi librum univerſalis eſt PP. conſenſus: Ergo &c. Minor certa eſt ex Melitone in Ep. ad Oneſimum, Origene in Expoſit. Pſ. 1. Concilio Laodiceno can. ultimo, Cyrillo Hieroſol. Cat. 4. Gregorio Nazianz. can. 33. 6. Epiphanio Hæreſ. 5. S. Hilario Præf. in Pſal. S. Hieronymo in Prol. Gal. Auguſtino de Doct. Chr. c. 8. 11. Concilio Carthag. 3. Innocentio I. Ep. ad Exuper. Gelaſio I. in Synod. Rom. ex aliiſque propemodum infinitis Eccleſiæ monumentis, de quibus apud Natal. Alex. cit. loc.

Di-

*Diluuntur Objecta.*

Ob. 1. Liber Jobi nobis hominem repræſentat, qui 1. maledixit diei nativitatis ſuæ c. 3. qui 2. ſuſpendium optavit, & laqueum præ acerbis doloribus c. 7. 15. 16. & tamen nobis proponitur veluti ſummum patientiæ exemplar. Hæc ſane libro Canonico minime competunt: Ergo &c.

Reſp. ad 1. Animadvertiſſe nonnullos familiarem Orientalium ſermonem magis vividum eſſe, igneum magis quam noſtrum, res ipſos exprimere phraſibus, quæ multo infra ſignificationis ſuæ vim explicandæ ſunt, ut juſto ſenſu reddantur. Verum dicimus, Jobi verba non eſſe juxta litteræ corticem penſanda, ſed altiorem in eis ſenſum conſiderandum. Non enim ex impatientis animi motu maledixit diei nativitatis ſuæ ſimpliciter ſumpto, ſed in ipſo attendit originale peccatum, ex quo in nobis calamitates, & miſeriæ derivarunt. Appoſite ad hæc S. Gregorius M. lib. 4. Moral. c. 6. *Aliter maledictum profertur judicio juſtitiæ, aliter livore vindictæ. Maledictum quippe juſtitiæ judicio ipſi primo homini peccanti prolatum eſt, cum audivit:* Maledicta terra in opere tuo. . . . . *Igitur ſi ſubtiliter B. Job verba penſamus, non eſt ejus maledictio ex perſona delinquentis, ſed ex rectitudine judicis.*

Ad 2. reponimus, non eſſe illa verba, niſi ex carnis imbecillitate, non vero ex animæ conſenſu prolata. Imbecillitas quidem carnis tot dolores ferre non valebat, ſed mens deſperatione nequaquam agebatur, quod ex c. 13. 15. luculentiſſimum eſt: *Etiamſi occiderit me*, ajebat religioſus animus, *in ipſo ſperabo.*

Ob. 2. Job cap. 9. 22. hæc profert Deo injurioſa: *Innocentem & impium ipſe conſumit, ſi flagellat, occidat ſemel, & non de pœnis innocentum rideat:* & cap. 30. ſic Deum alloquitur: *Mutatus es mihi in crudelem, & in duritia manus tuæ adverſaris mihi:* Ergo &c.

Reſp. Ut quæcumque diſſolvantur, quæ contra ſanctiſſimum virum ab improbis proferuntur, pro certo habendum eſt, juxta mortuam litteram memoratas ſententias non eſſe intelligendas, ſed in eis abſque dubio myſticam vivificantis ſpiritus intelligentiam eſse perpendendam juxta M. Gregorii doctrinam cit. loc. Dum ergo ait Job: *Si flagellat, occidat ſemel*, non per odium & exprobrationem, ſed ex ardenti deſiderio humanæ reparationis ad Deum Patrem prophetico ſpiritu emiſsa ſunt, perinde ac ſi diceret: Quia vita noſtra quotidie premitur flagello vindictæ, ille jam veniat, qui pro nobis

nobis ſine culpa moriatur, ut de innocentis pœna non rideat, ſi ipſe carne paſſibilis appareat. Sic & cum Deum vocat *crudelem*, credere oportet, non eſſe illa verba in Deum per iram aut indignationem prolata. Sicut enim in Scripturis Sanctis Deus quandoque dicitur iraſcens, ita humano more ab Jobo dicitur *crudelis*; crudelis quippe dicitur, qui diſtricte feriendo non parcit, ut *crudelis* hoc loco diſtricte feriens intelligatur. Sed de his uberrime ſatis apud Interpretes.

## CAPUT IX.

### *De Libro Pſalmorum.*

De Auctore libri Pſalmorum varia eſt inter PP. ſententia. Multi enim omnium Pſalmorum Davidem arbitrantur auctorem ceteris negantibus. Inter primos adnumeramus Chryſoſtomum in Pſal. 1. Ambroſium Præfat. in eumdem Pſal. Auguſtinum de Civit. Dei lib. 17. 14. Theodoretum Præfat. in Pſ. Caſſiodorum Prolog. in Pſal. Euthymium Præf. in Pſ. Philaſtrium Hær. 70. Inter ſecundos acceſemus Hilarium Prolog. in Pſal. Pſeudo Athanaſium in Synopſi t. 2. S. Hieronymum Ep. ad Sophr. & Ep. ad Cypr. & alios ſexcentos. Nos utriuſque ſententiæ momenta breviter allaturi ſumus partium ſtudio in re tam obſcura ac difficili minime abrepti. Qui igitur Davidem totius Pſalterii faciunt auctorem, animadvertunt 1. In novo teſtamento Pſalmorum ſententias ſub Davide nomine commendari Matth. 22. 42. Luc. 20. 42. Marc. 12. 36. Act. 11. 25. 35. & 4. 24. 25. 2. In templi Salomonici dedicatione Cantores nullos noverant Pſalmos præter Davidicos. 1. Paral. 23. 5. 2. Paral. 7. 6. Poſt Babylonicam captivitatem dedicatio templi facta eſt Pſalmis David; 1. Eſdræ 3. 10. & 2. Eſdræ 12. 35. 39. 4. Perpetuus & conſtans Eccleſiæ & Eccleſiaſticorum Auctorum ſtylus Pſalterium ſemper Davidicum appellat.

Contrariæ vero ſententiæ Patroni hæc habent in adverſam partem momenta. 1. Auctores Pſalmorum ſatis eſſe in titulis Aſaph, Idithun, Core &c. expreſſos. 2. Iſtos fuiſſe ab ætate Davidis remotiſſimos ſatis ex rerum notis, quæ in ipſis leguntur, dignoſci. 3. Ezechiam Levitis præcepiſſe, ut *laudarent Dominum ſermonibus David, & Aſaph videntis*. 4. Salomonem Scriptura teſte ſcripſiſſe quinquies mille Pſal-

mos

mos 3. Reg. 4. 32. 5. Argumentum ex titulis deſumptum ſatis ſe prodere infirmum, cum tituli ex majori parte ducantur, quod apparet in collectionibus Epiſtolarum Hieronymi, Auguſtini, Ciceronis, quorum non omnes ſunt Epiſtolæ. 6. Alterum ex ſcripturis deductum claudicare dicunt, quoniam & in ſacris litteris nomen Davidis tacetur, & Pſalterium tantummodo indigitatur, Act. 1. 2. Luc. 24. 44. ad Epheſ. 3. 19. ad Coloſ. 3. 19. Hæc & alia plura producunt negantes Pſalterium integre fuiſſe a Davide conſcriptum, de quibus extant clariora in Prolegomenis Calmetianis, de quibus nullum audemus proferre judicium, relicta cuicumque opinandi libertate.

Quicumque tamen ſit qui Pſalmos concinnavit, certum eſt ex Philaſtrio loc. cit. Nicolaitas, Gnoſticos, & Manichæos Pſalterii divinitatem impugnaſſe, ejuſque auctorem prophanæ ac ſæcularis cantionis compoſitorem fuiſſe autumantes. Ex Epiſtola Concilii Antiocheni, quæ extat apud Euſeb. lib. 7. hiſt. Eccl. c. 25. idem error Paulo Samoſateno tribuitur, qui Pſalmos velut neotericos ceſſare fecit, & a ſe compoſitos mulieribus canendos in Eccleſiis produxit. Theodorum Mopſueſtenum eadem fuiſſe pice tinctum conſtat ex actis quintæ Synodi; quorum omnium hæreſis per Anabaptiſtas renovata eſt, quam ſequenti propoſitione profligandam ſuſcipimus.

## Conclusio Unica.

*Pſalterium Davidis divinitus fuit inſpiratum.*

Dem. Ex libro Pſalmorum multa deprompſerunt ſacrorum librorum auctores: Ergo &c. Prob. antec. Pſal. 17. deſcribitur c. 22. lib. 2. Reg. Pſalmi 95. & 104. leguntur lib. 1. Paralip. c. 16. Initium Pſalmi 1. ab Jeremia c. 17. deſcriptum eſt, & inde ut plura invenias confer illud Iſaiæ 28. 18. cum Pſal. 6. 6. illud Lib. 2. Reg. 22. 43. cum Pſ. 15. Cap. 16. Proverb. 16. 5. cum Pſal. 50. 18. Iſaiæ 52. 10. cum Pſal. 97. 1. 3. Amos 9. 2. cum Pſal. 142. & in pluribus aliis V. T. locis. In Novo vero federe perlege S. Matthæum c. 13. 35. 27. 35. ejuſque verba ſumpta inſpicies ex Pſal. 77. 2. & 21. Apud Lucam ſimiliter 24. 44. & in Epiſtolis S. Pauli videbis Pſalmos veluti divinos commendari.

Deinde in Pſalmis clariſſima ſunt de Chriſto & Eccleſia vaticinia. Sic verſ. 6. & 7. Pſal. 2. ad Meſſiam pertinere veteres Judæi palam confeſſi ſunt, quod conſtat ex libro Thalmud c. 5. ex R. Selomoh Jarchi, ex Bereſcit Rabba, Abenezra,

nezra, David Kimchi, R. Simeone in Talcùt, ex Thryphone apud S. Juſtinum, & Midraſc. Thiilìm, quod & Muhamedani etiam confeſſi ſunt teſte Muhamedo Alfirauzabadio in Lexico, quod *Oceanum* inſcripſit. Vide Tertullianum lib. *adverſus Judæos* c. 12. & Euſebium lib. 4. *Dem. Evang.* c. 6. In Chriſto Jeſu pariter adimpleta eſſe verba illa Pſal. 8. *Quid eſt homo quod memor es ejus?* &c. In Ep. *ad Hebræos* S. Paulus teſtatus eſt capite 2. 8. Perlege Juſtinum Mart. *in Dialogo cum Tryphone*, & *Apologia* 2. *pro Chr.* Tertullianum loc. cit. & S. Auguſtinum *lib.* 17. *De Civ. Dei c.* 17. ex quorum auctoritate aperte deprehenditur, Pſalmum 21. de Paſſione, & Morte Chriſti, nec non de vocatione gentium fuiſſe prænunciatum: quemadmodum & illa Pſalmi 3. verba *Ego dormivi* Chriſti Reſurrectioni aptanda eſſe, idem Auguſtinus cit. loc. cap. ſeq. luculentiſſime oſtendit. Prætermittimus Pſal. 15. de quo S. Petrus in *Apoſtolorum* Act. 2. 24. & Pſal. 44. de quo S. Paulus in *Epiſt. ad Hebræos* 1. 8. aliaque plura Pſalmorum teſtimonia a PP. laudata, quæ videre poteris apud Natal. Alex. t. 2. p. 695. edit. Pariſ.

*Satisfit Objectionibus.*

Ob. 1. Verba illa Pſalmi 68. 40. in quibus prædicitur, Sion ſalvam faciendam, & ædificandas Civitates Juda, à ſpiritu divino eſſe non poſſunt, quoniam poſt Chriſti mortem everſæ ſunt: Ergo &c.

Reſp. Myſtice intelligenda eſſe allata Pſalmiſtæ verba: Eccleſia enim per Sion intelligatur, & per Civitates Juda templa illa deſignantur, quæ poſt Chriſti Paſſionem ad ejus cultum extructa ſunt. Ita fere SS. PP. ſed lege, quæ de multiplici Scripturarum ſenſu 1. libro diſſeruimus.

Ob. 2. Librum Pſalmorum nil prophetici continere, ipſi teſtantur Hebræi, qui eum a propheticis libris excludunt: Ergo &c.

Reſp. Hebræos librum Pſalmorum inter agiographa collocare, ac per conſequens firmiter opinari a Spiritu S. fuiſſe dictatum. Plura in Pſalmis ſunt, quæ ſpiritu prophetico prolata eſſe arbitrantur; quemadmodum & de Meſſia ſuo exponere Pſalmos 2. 44. & 102. certiſſimum eſt. Vid. quæ initio quæſtionis protulimus.

Ob. 3. Pſal. 20. Hebraice legitur כארי ידי ורגלי *Caari Jaddì Veragelai*, ideſt ut vertit Chaldæus Paraphraſtes: *Sicut Leo manus meæ, & pedes mei*, non vero ut legit Vul-

Vulgata *foderant manus meas, & pedes meos*: Ergo falſæ ſunt interpretationes illæ, quæ Chriſto accommodantur.

Reſp. Facile potuiſſe Amanuenſium incuria in verbo כארי *Caari* Jod pro Vau ponere, pro quo legendum erat כארו Caarù *foderunt*. Vide quæ primo lib. diximus ad quæſtionem de integritate textus Hæbraici. Paraphraſtem Chaldæum hac in re minimi facimus Hebraica perfidia laborantem.

Ob. 4. Plura in Pſalmis leguntur, quæ a divino ſpiritu abhorrent. Veluti cum dicitur: *Veniat mors ſuper illos; & deſcendant in infernum viventes... Diſpereant, & fiant ſicut ſtercus terræ.... Deus meus pone illos ut rotam &c.* Quibus indignationibus Pſalmi pleni ſunt, ut in ipſis videatur Callimachus Apollonium Rhodium, & Ovidius Ibin ſuum diris devoviſſe.

Reſp. Hæc digna eſſe ſententiarum portenta hæreticarum, quæque a Catholicis, & cordatis viris execrentur. Quis enim eſt, qui neſciat, Sanctos mala imprecari non optantis voto, ſed prævidentis intuitu futura hominibus prænunciantes mala, ut poſtquam prænunciata evenerint, intelligant homines, ſe non fortuito hæc pati, ſed certe juſtiſſima Dei deliberatione, aut inveſtigabili viarum ſuarum conſilio? Vid. S. Thomam 2. 2. q. 83. a. 8. ad primum, & ad ſecundum.

## CAPUT X.

### *De libris Proverbiorum, & Eccleſiaſtis.*

DE Proverbiorum libro primitus differentes paucis rem totam abſolvimus. Scriptum enim a Salomone opus vulgo creditur, cum ejus nomen præfixum in titulo in contextu etiam recurrat: vid. c. 25. 1. Qua in re Eccleſia Chriſti, & Synagoga conveniunt. Cum autem ex 3. Reg. 4. 29. conſtet, Salomonem tria millia Parabolarum ſcripſiſſe, hinc Eruditi conjiciunt, librum Proverbii, qui græce παραβολαί inſcribitur, fragmentum eſſe amplioris collectionis. Sunt enim hoc in libro quædam præſertim breves ſententiæ inter ſe nullimode conjunctæ abſolutum ſenſum ſingulæ præſeferentes. Quis vero hæc Proverbia collegerit, arduum eſt divinare. Nobis tamen ſuademus; unicum Auctorem non potuiſſe intermiſſe eadem repetere veluti priorum oblitum.

Vid.

Vid. c. 14. 2. 16. 25. 18. 12. 19. 5. 9. 20. 10. 23. Qua de re poſſet fortaſſe probari R. Kimchi opinio, quæ fert, ſub Ezechia pulcherrimas Salomonis, aliorumque forte Sapientum Virorum ſententias collectas fuiſſe, quod etiam tradidit S. Hippolytus ab Anaſtaſio Nicæno quæſt. 39. in Script. citatus. De hujus libri auctoritate ambigit nemo. Solus Theodorus Mopſueſtiæ Epiſcopus ( Vide Concil. CP. IV. col.4. ) hoc ſcriptum a Salomone opus humana tantum ſapientia autumavit, quam opinionem inſtauravit Auctor in ſpecimine opinionum Theologorum quorumdam Hollandorum, ſed horum deliria irridere præſtat potius, quam confutare. Quemadmodum & Grotium hac in re ſpernimus & rejicimus, qui ſubleſtam Rabbinorum fidem ſequutus cenſuit, collectas juſſu Salomonis ſententias e vetuſtiſſimis Poetis, & hiſtoricis. Niſi enim quæ verbo præfert monumentis confirmet, facillime exſufflantur. Quare ad librum Eccleſiaſtis properamus. Interim vide Daniel. Huet. in *Dem. Evang.* & Natalem Alex. t. 3. p. 136.

Circa librum Eccleſiaſtis varia ſunt inquirenda, videlicet de ejus auctore, de tempore, quo fuit exaratus, & denique de ejus Canonicitate. Relate ad auctorem hujus libri, Grotius Præfat. in hunc lib. ſuſpicatur ab aliquo viro docto, juſſu Zorobabelis exaratum fuiſſe: Auctor opinionum quorumdam Hollandorum teſtatur, non deeſſe, qui credant, Dialogum toto eo libro ſcribi inter pium Virum, & impium dogmata Sadducæorum prædicantem. Ad hæc appoſite altera ſequitur de tempore, quo fuit liber iſte conſcriptus, diſputatio, quæ quoniam ab ejus auctore firmando nonnihil dependet, idcirco unica propoſitione utramque quæſtionem diſcutiemus. Et quoniam non ſemper idem fuit erga divinum hoc opus obſequium, ut patet ex iis, quæ ſupra de Grotio & Amanuenſi Theologorum Hollandorum præmiſimus, tum quia Theodorus Mopſueſtenus perſuaſum habuit, Salomonem, eo, quo præſtabat comparatæ ſapientiæ acumine abſque Spiritus S. revelatione hunc librum ſcripſiſſe, non omiſſa Lutheri in colloq. Convival. audacia, qui auctorem Eccleſiaſtis *neque ocreis neque calcaribus* indutum eſſe dixit, idcirco argumentorum pondere ejus divinitatem firmabimus. Quare ſit

### Conclusio I.

*Eccleſiaſtes fuit a Salomone conſcriptus.*

Dem. Quæ in hoc libro ſcripta ſunt, auctorem Salomonem deſignant: Ergo &c. Prob. ant. De auctore hujus libri

prima propoſitione allata ſunt ex PP. Siquidem PP. illi, qui hujus libri auctorem faciunt Salomonem, ipſum quoque divina inſpiratione donatum aſſeverant. Reſtat igitur, ut audiamus Anonymi cujuſdam apud Philaſtrium argutationes.

*Solvuntur Objecta.*

Ob. 1. Liber iſte creaturas negat eſſe bonas; ait enim: *Vanitas vanitatum & omnia vanitas:* Ergo &c.

Reſp. Hoc argumentum a D. Hieronymo jam fuiſſe in Comm. exſufflatum hiſce verbis: *Si cuncta quæ fecit Deus, ſunt valde bona, quomodo omnia vanitas, & non ſolum vanitas, verum etiam vanitas vanitatum? .... Poſſumus igitur & nos in hunc mundum cœlum, terram, .... & omnia, quæ in hoc circulo continentur, bona quidem per ſe dicere, ſed ad Deum comparata eſſe pro nihilo .... Recogitans autem omnia pertranſire, & mundum ſuo fine ſeneſcere, ſolumque Deum illud ſemper eſſe, quod fuerit, compellor dicere non ſemel, ſed bis: Vanitas vanitatum & omnia vanitas.* Iſta Hieronymus. Ex quibus apparet omnia vana quatenus caduca appellari.

Ob. 2. Liber iſte ſapit Epicureiſmum. Allicit enim homines ad vitam belluinam, ad voluptates, quaſi iſte ſit unicus hominis finis. Inquit ſiquidem c. 2. 23. *Nonne melius eſt comedere & bibere, & oſtendere animæ ſuæ bona de laboribus ſuis?* & c. 8. *Laudavi igitur lætitiam, quod non eſſet homini bonum ſub ſole niſi quod comederet & biberet, atque gauderet, & hoc ſolum ſecum auferret de labore ſuo.* Ergo non eſt divinus hujus libri Auctor.

Reſp. Diſt. ant. Allicit homines ad vitam belluinam &c. apparenter, conc. ant. vere & proprie, nego ant. Non deſunt inter ſacros interpretes, & non infimæ notæ Theologos, qui aſſerant, hæc, & alia plura teſtimonia non Salomonis eſſe, ſed in ſententia ſtultorum, vel impiorum hominum perſona fuiſſe prolata. Vid. Natal. Alex. Hiſt. Eccl. V. T. tom. 3. p. 142. At non video, quomodo ad hæc ſit confugiendum, quæ ſatis ſibi non conſtant, cum aliunde harum omnium difficultatum explanationem reddere arduum minime videri poſſit. Primi enim teſtimonii ſenſus hic eſt, ut videlicet velit anxietates a corde illorum amovere, qui cum ſibi opes comparaverint labore & induſtria, ignorentque quiſnam ſit hæres futurus, ſe implicant inutilibus deſideriis; *Melius eſt ergo comedere, & bibere,* & ſua ſecum pace gaudere, quam divitiarum cura premi & affligi. Similiter

dum c. 8. legimus laudari *lætitiam*, & nihil melius eſſe comestione & potu, quibus verbis ſolam ſui curam commendat Eccleſiaſtes, neglecta divinorum myſteriorum inveſtigatione, quietem ac tranquillitatem inſinuat abjecta arcanorum perſcrutatione. Quamobrem non ſenſu Epicureorum illa teſtimonia ſunt accipienda, aut obvio & rigoroſo ſenſu, ſed ſemper ſuppoſita divinorum præceptorum obſervatione Eccleſiaſtis ſcopo lætandum & bibendum eſt in gratiarum actionem & laudem Dei.

Opponitur etiam, Eccleſiaſtem de animæ immortalitate male ſenſiſſe, ſed de his prætermittimus diſputationem, quoniam a P. M. Berti de primo Homine in quæſtione de Anima ſatis arbitror ſatisfactum.

Quoniam vero de Canticis Canticorum diſſerendum reſtat

## CAPUT XI.

*De Cantico Canticorum, Libro Sapientiæ, & Eccleſiaſtico.*

Canticum Canticorum, Ezechiæ Regi Thalmudiſtas, Iſaiæ Prophetæ R. Moyſem Kimchi tribuiſſe certiſſimum eſt, Hebræi tamen veteres & recentiores, Eccleſiæ PP. & Interpretes univerſi adjudicant Salomoni; idque probare videntur verba c. 3. 7. 9. præter libri inſcriptionem, quæ Salomonem exhibet auctorem. Quæ in contrarium adducuntur momenta, aut nullius vel ferme nullius ponderis a Viris Cl. jam ſunt confutata. Vid. Card. Gotti 3. Tom. §. 7. Natal. Alex. t. 3. p. 152. alioſque. Quod vero ejus divinitatem reſpicit, paucis ſimiliter expedimus. Anabaptiſtæ ſiquidem Caſtalio, Grotius, & anonymi quidam Hæretici apud Theodoretum Præfat. com. & Philaſtrium Hæreſ. 131. ſentiunt, librum hunc nihil divinitatis continere, utpote prophanis voluptatibus hinc inde ſcatentem. Hebræi tamen, qui hunc librum habent in Canone Eſdrino, ut ajunt, Rabbinorum Doctiſſimi, & Chriſti Eccleſia hunc habent pro ſacro & canonico, ipſumque non litteraliter, ſed myſtice eſſe accipiendum. De PP. choro & Traditione nil eſt certius; omnium ſane agmen claudit Theodoretus hiſce verbis cit. loc. *Multi ex veteribus illum commentariis & interpretationibus illuſtrarunt, & qui deinceps non ſunt interpretati, ejus tamen ſententiis ſcripta ſua decorarunt, nec ſolum Euſebius Palæſtinus, & Origenes Ægyptius, & Martyrii corona redimitus Cyprianus Carthaginenſis, & his antiquiores, Apo-*

*ſtoliſ-*

*ſtoliſque propinquiores ; verum etiam qui etiam qui poſt in Eccleſiis excelluere M. ille Baſilius &c.* Ex quibus ſatis ſuperque Cantici Canticorum divinitas comprobatur. Sed vid. citatos Auctores.

Quis autem librum Sapientiæ conſcripſerit, prorſus incertum. Inter varias tamen multorum opiniones duo ſunt celebriores ſententiæ, quarum una Salomonem, altera Philonem Alexandrinum, vel eo alium antiquiorem facit auctorem. Primam ex Catholicis nonnulli, ſecundam Proteſtantes fere omnes ſuſtinere ex Calmetiana diſſertatione compertum eſt. Huic altera eſt proxime ſequens quæſtio de ejus divinitate; dato enim quod a Philone fuerit liber ſapientiæ elucubratus, quis profecto dicat, illum fuiſſe divina inſpiratione ſuffultum? Qua de re unica propoſitione ſingula dirimemus. Quemadmodum & de auctore & divinitate libri, qui dicitur Eccleſiaſticus, ea qua indigemus brevitate diſſeremus.

## C o n c l u s i o I.

*Liber Sapientiæ nec Salomonem, nec Philonem quemlibet habere videtur auctores. Quidquid tamen ſit de his, eſt certe divinæ auctoritatis.*

Dem. Quatuor Philonis nomine Scriptores inſignitos apud veteres invenimus. Primum Ptolomæo Philadelpho coævum, & e numero, ut quidam ferunt, 70. Interpretum. Alterum, quem Biblium Joſephus, & Euſebius appellant. Tertium, qui ſub Philonis Judæi nomine celebratur. Quartum denique auctorem libri *De Anima*, de quo in libro *Juchasìn*, qui ſub ſecundo templo florebat. Sed nullus ex his Pilonibus librum Sapientiæ conſcripſit: Ergo &c. Non quidem primus, quia nulla de eo apud veteres eſt mentio, ac fortaſſe numquam eum inter vivos fuiſſe credimus. Non ſecundus, quia Religione Ethnicus vertendis Phœnicum hiſtoriis in Græcum operam impendit, teſte Euſebio *Præpar. lib.* 1. Supereſt ergo Philo Judæus, de quarto enim adverſariorum conſenſu minus ſolliciti ſumus. Iſte primo Eccleſiæ ſæculo floruit, ac pro Judæis Alexandrinis ad Imperatorem Caligulam legatione functus eſt anno Æræ Vulgaris 40. ſed eum auctorem eſſe libri Sapientiæ obſtat 1. Judaicæ Religionis profeſſio, quam ſane uſque ad vitæ exitum ſervavit, licet ea viveret ætate, quam pluribus annis Chriſti obitus præceſſerat. 2. Styli diſcrepantiæ. 3. Silentium Veterum, ac potiſſimum Euſebii, Photii, Suidæ, aliorumque. 4. Loca plura ex eo libro in Evangelio, & Epiſtolis Apoſtolicis lau-

laudata infra notanda, vel Philonis ſcriptis vetuſtiora, vel ferme coæva. 5. Denique maxima inter librum Sapientiæ, & opera Philonis diſcrepantia; Videlicet Sapientiæ auctor c. 7. 2. decem menſibus puerum in utero Matris claudi docet. Philo de Mundi Opif. ſeptem. Auctor Sapientiæ c. 11. 23. dicit, hominem a Deo productum ad ſui ſimilitudinem cum immortalitate, & innocentia, & hominis corpus e terra eductum in terram reducendum. Philonis vero de Op. M. & Confuſ. ling. ſententia eſt, totam Dei cum homine ſimilitudinem ad animam ab uno Deo ab exordio creatam referri; additque, accitos a Deo in ſocietatem conſtruendi hominis Angelos malos, iiſque auctoribus acceptam referendam eſſe contrariam in malum propenſionem. Quæ omnia ſapiunt Manichæiſmum. Præterquamquod Philoni minime convenire poſſunt verba illa cap. *Tu elegiſti me Regem populo tuo, & judicem filiorum tuorum .... & dixiſti me ædificare templum in monte ſancto tuo &c.* quemadmodum & illa c. 8. 14. 15. cum pluribus aliis. Dicendum ergo, Philonem hujus libri auctorem minime eſſe poſſe, & conſequenter falſam eſſe traditionem illorum de quibus Hieronymus in Prolog. Gal. *Nonnulli ſcriptorum veterum hunc eſſe Philonis Judæi affirmant*.

Dem. 2. pars. Textus Hebraicus hujus libri non extat: Ergo a Salomone ſcriptus non eſt. Sed ais: Deperiit. Verum quis unquam dixit, Hebraicum exemplar ſe vidiſſe? Adeone potuit Hebræos latere, ut nullum in eorum Canone haberet locum? Inſuper hujus libri phraſes, ſtylus, & cetera omnia nil Hebraicum, Græcum vero plurimum ſapiunt. In eo loci quidam recitantur ex iis libris, qui diu poſt Salomonem fuerunt abſque ulla hæſitatione conſcripti. Quid ex PP. auctoritate proferemus? In ea ſane re opus eſt unus ſit PP. conſenſus, & conſtans quidem. Hieronymus cit. loc. a Salomone hoc opus abjudicat. S. Auguſtini ea fuit ſententia, ut auctor ſcripti Operis idem haberetur ac Eccleſiaſtici, nempe Jeſus filius Sirach: de Doct. Chr. lib. 2. c. 8. brevi tamen errorem ſenſit, cujus palinodiam canens Retract. lib. c. 14. fatetur multo probabilius alium a Jeſu filio Sirach auctorem fuiſſe libri Sapientiæ. Nil tamen ea de re ulterius addit. De Civ. D. tamen lib. 17. c. 20. aperte negat, Salomonis eſſe. Denique Salomon antiquior certe fuit Iſaia, Jeremia, & Baruch. Confer igitur Sap. 3. 14. cum Iſaiæ 56. 4. & Sap. 9. 13. cum Iſaiæ 40. 11. Sap. 13. 11. & 14. 8. cum Jeremiæ 11. 3. 4. 5. & Baruch 6. 3. & ſta-

ſtatim compertum erit, ea loca non potuiſse a Salomone citari, quod ſupra & de Philone monuimus. Quæ cum ita ſint, quid objectionibus reſpondeas habes enucleatum.

Quæres num liber Sapientiæ ex Salomonis ſcriptis potuerit colligi?

Reſp. Probabilius, ſed a quonam fuerit facta iſta collectio Deus oſtendat.

Dem. 3. pars, contra Heterodoxos. Ex libro Sapientiæ plura ab Apoſtolis & omnium ſæculorum Patribus citata ſunt teſtimonia: Ergo &c. Antec. conſtat, ſi ſimul conferas Sapientiæ 3.7. cum Matth. 13. 43. Sap. 3. 8. cum 1. ad Cor. 6. 2. Sap. 4. 10. cum Ep. ad Hebr. 11. 5. Sap. 7. 26. cum 2. ad Cor. 4. 4. Sap. 15. 17. cum Ep. ad Rom. 9. 21. & alibi ſæpiſſime. Quemadmodum & idem ex PP. poterit deprehendi, ſi eorum conſulantur teſtimonia apud Nat. Alex. t.3. H. E. V. T. pag. 539. ad ſatietatem uſque exarata. Reſtat igitur, ut quaſdam adverſariorum argutatiunculas confutemus.

*Solutio Objectionum.*

Ob. 1. D. Hieronymus Præfat. in lib. Salomonis aſſerit, quod librum Sapientiæ *Eccleſia inter Canonicas Scripturas non recipit*, ſed legit *ad ædificationem plebis, non ad auctoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum confirmandam*. Ergo &c.

Reſp. Eccleſiæ nomine in Hieronymiano textu univerſalem intelligi Eccleſiam, ideoque hunc præſeferre ſenſum allata verba, videlicet: cum liber Sapientiæ obſignato jam Judæorum Canone auctoritatem obtinuerit temporum decurſu, hinc factum eſt, quod non ſtatim a primis illis exordiis probari cœperit ab omnibus Eccleſiis, ſed ab aliquibus tantum. Qua de re certum eſſe debuit, univerſalem Eccleſiam ipſum inter Canonicas Scripturas non recepiſſe, quia ad confirmanda Eccleſiaſtica Dogmata neceſſarius erat totius Eccleſiæ conſenſus; qui tamen paulatim cum acceſſiſſet ejus explorata divinitate inter Canonicas Scripturas receptus eſt. Atque hæc meo quidem judicio ceteris ſanior viſa eſt reſponſio.

Ob. 1. Auctor libri Sapientiæ originem Idololatriæ deſumit ex inordinato amore Patrum in filios c. enim 14. 15. hæc habet: *Acerbo enim luctu dolens Pater, cito ſibi rapti filii fecit imaginem, & illum, qui tunc quaſi homo mortuus fuerat, nunc tanquam Deum colere cœpit, & conſtituit inter ſervos ſuos ſacra & ſacrificia*. Sed falſum eſt, hanc eſſe idololatriæ originem: Ergo &c.

Reſp. Diſt. maj. Et inter varias idolorum origines iſta partialis cenſenda eſt cauſa, conc. Sola eſt idolorum origo,

 neg.

neg. maj. ſimiliterque diſtincta, min. neg. conſeq. Nec lato quidem ungue a veritate receſſiſſe dicimus Sapientiæ auctorem allato in loco. Noluit enim ille omnes idololatriæ cauſas recenſere, nec primam originem ejus rei indicare, ſed exemplum quoddam exhibere craſſioris illius ſuperſtitionis, quæ divinos honores fato jam functis mortalibus, atque ſculptis marmore ſimulacris impendit. Stultum hoc Idololatriæ genus recentius eſt altero, quo Spiritus, Aſtra & elementa colebantur.

## Conclusio II.

*Eccleſiaſtici liber opus eſt Jeſu filii Sirach, & divina inſpiratione conſcriptum.*

*Duo libri, quorum unus Sapientia, alter Eccleſiaſticus inſcribitur, de quadam ſimilitudine Salomonis eſſe dicuntur,* inquit M. Auguſtinus de Doct. Chr. l. 2. c. 8. Et quidem jure merito: Salomone enim recentiorem eſſe illius auctorem certo ſcimus ex multis momentis; 1. Quia in eo libro laudatur Salomon, Reges poſteriores & Prophetæ celebrantur, virique inſignes ante & poſt Captivitatem Babylonicam clari commendantur, ſummiſque laudibus extollitur Simon Summus Sacerdos, paulo Machabæis vetuſtior. 2. Aliqua de ſe prodit auctor, quæ Salomoni nulla ratione conveniunt. Cum itaque Salomonis eſſe nequeat liber iſte, verus Auctor inquirendus, quem Jeſum filium Sirach eſſe dicimus ſequentibus rationibus, quibus ſimul 1. propoſitionis pars demonſtratur.

Interpres in Præfat. diſerte aſſerit, ſcriptum Hebraice opus ab Avo ſuo Jeſu hiſce verbis: *Avus meus Jeſus..... voluit & ipſe ſcribere aliquid horum, quæ ad doctrinam & ſapientiam pertinent.... Hortor itaque vos..... nam deficiunt verba Hebraica*. Ergo &c. Quod magis confirmatur ex c. 50. 29. in quo apertis verbis legitur: *Doctrinam ſapientiæ & diſciplinæ ſcripſit in codice iſto Jeſus filius Sirach*, & ex capitis ſequentis initio: *Oratio Jeſu filii Sirach:* Ultraquamquod in capitis hujus decurſu ita de ſe loquitur, ut omnia cum reliquis libri partibus congruant. Ita E. G. itinera ſua ob ſtudium ſapientiæ ſuſcepta proſequitur, uti & mala a ſe tolerata. Denique in eam ſententiam vulgo noſtra ætate omnes iverunt. Neque abludunt PP. cum accuratius rem diſquirendam ſuſceperunt. Lege Euſebium in Chronico, S. Hieronymum in Daniel. 9. S. Auguſtinum de Doct. Chr. cit. loc. S. Atha-

Athanaſium in Synopſi, & S. Epiphanium Hæreſ. 8. alioſque plures.

Dem. 2. Pars. Ex Teſtimoniis PP. omnium ſæculorum, & omnium Eccleſiarum traditione iſte liber ſemper Canonicam obtinuit auctoritatem. Ergo &c. Prob. ſatis uberrime antec. Traditio enim Eccleſiæ Græcæ ſpectatur in teſtimoniis Clementis Alex. Strom. lib. 1. c. 8. Euſebii Cæſar. Præp. lib. 8. c. 8. S. Iſidori Pleuſiotæ Ep. 106. S. Baſilii M. in Iſaiam 8. S. Gregorii Nyſſ. Hom. 3. in Eccl. S. Cyrilli Alexandr. Orat. Epheſi hab. S. Joannis Chryſoſt. Hom. 13. ad pop. & Hom. 15. S. Ephrem adver. Impre. Mul. S. Anaſtaſii Antiocheni in Hexaemer. Quæ etiam obſervare licet apud Origenem Hom. 9. in Ezechielem, S. Athanaſium de Virginibus, S. Cyrillum Hieroſ. Catec. 6. S. Hieronymum Ep. ad Julian. alioſque, qui licet viſi ſint hujus libri auctoritati detrahere, nihilominns teſtimonia ex eo tanquam ex ſacra Scriptura deduxerunt.

Eccleſiæ vero Latinæ & Occidentalis teſtimonia frequentia ſunt & perſpicua. De ſententia Eccleſiæ Africanæ nihil eſt quod ambigamus poſt expreſſam luculenter fidem ſuam in Concilio 3. Carth. can. 47. Tertullianus, & S. Cyprianus, ceterique in Concilio coacti ob controverſiam de Baptiſmo Hæreticorum opinionis ſuæ patrocinium potiſſimum quærebant ex illo Eccl. 34. 30. *Qui baptizatur a mortuo quid proficit lavatio ejus?* Hoc plane teſtimonium niſi ex opere Canonico petitum agnoviſſent adverſarii, facile eluſiſſent, quod tamen numquam ab illis factum ſcimus, præſertim ab Auguſtino de Bap. lib. 6. c. 34. qui non minori cura teſtimonium illud expoſuit. Imo cum de Gratia & libero Arbitrio ferverent tunc temporis cum Pelagianis quæſtiones, idem S. Doctor teſtimonia pro libero arbitrio adſtruendo promebat ex Eccleſiaſtico. Vide de Grat. & lib. Arb. lib. 2. c. 11. Paria obſervavit S. Proſper, dum in Gallia contra Caſſianum ſtylum acuebat contra Coll. n. 40. Omittimus S. Fulgentium de Remiſ. Pecc. lib. 1. Optatum contra Parmen. Ambroſium de Bono Mortis c. 4. S. Paulinum, Leonem M. alioſque quamplures. Accedunt Eccleſiæ Concilia. Interque alia Francofordienſe, Toletanum 8. Epheſinum act. 7. denique Tridentinum. Ex quibus ſatis ſuperque Hæreticorum audacia retunditur, & veritas Catholica roboratur.

# CAPUT XII.

*De quatuor Majoribus Prophetis, Iſaia nempe, Jeremia, cui Baruch ſociatur, Ezechiele, Daniele.*

PRimum inter prophetas locum obtinet Iſajas filius Amos, non illius quidem, qui tertius eſt inter duodecim Prophetas, ſed alterius, ut monet in 1. Iſaiæ S. Hieronymus. Ipſe vaticinatus eſt decem Tribubus nondum captivis, ut ex primis Prophetiæ ſuæ verbis apertiſſimum eſt, immo ſpatio ſexaginta circiter annorum. Ipſum auctorem eſſe Prophetiæ, quæ ſub ejus nomine circumfertur, adeo certum eſt, ut oppoſitum ſuſpicari abſurdum, ſtultum, & impium aperte videatur. Nihilominus quoniam nonnulla auſus eſt contra genuinitatem hujus operis effutire Auctor tract. Theol. Polit. idcirco omnia in hujus capitis calcem enucleanda relinquimus, quemadmodum & in reliquis agemus Prophetis, quorum ſecundus eſt Jeremias Helciæ Sacerdotis filius in Matris utero ſanctificatus. Hic vaticinari exorſus eſt puer, & ſpatio 45. annorum vaticinatus eſt ſub Regibus Joachaz, Joachim, Jechonia, & Sedecia. Captis Hieroſolymis, quorum excidium multo ante jam deſignaverat, in Babylonem minime tranſductus eſt, ſed in Ægyptum exulavit, ibique manſit quatuor annis peccata increpans populi ſui, donec lapidibus obrutus eſſet a popularibus ejus objurgationes ferre nolentibus. Prophetiam, quæ extat, opus eſſe Jeremiæ, quemadmodum & ipſum Lamentationum, Orationis, & Epiſtolæ ad Populum captivum in calce libri Baruch auctorem eſſe, nemo denegat, cum id ſatis aperte conſtet ex cap. 25. 13. 29. 1. 51. 60. Uſum tamen fuiſſe opera Prophetæ Baruch ex cap. 36. 4. 45. 1. planum eſt. Jeremiæ Oraculis proxime ſequitur liber Baruch veluti appendix & ſupplementum, cujus auctor eſt Baruch ipſe, ut ex verbis liquidum eſt, quæ ſunt in fronte præfixa: *Et hæc verba libri, quæ ſcripſit Baruch filius Neriæ.*

Ezechiel de Tribu Levi filius Buzi Jeremiæ fuit coævus cum Jechonia Rege in captivitatem deportatus. Quo anno prophetaverit, ex libri exordio dignoſcitur. Ejus Oracula Jeremiæ vaticinia confirmant, ſed *tantis obſcuritatibus involuta*, ut teſte Hieronymo Ep. ad Paulin. *apud Hebræos iſtæ partes cum exordio Geneſeos ante annos* 30. *non legantur*, quod repetit in Prolog. ad c. 1. Comment. Ob hæc in porten-

tentum Judaico populo datus eſt ex c. 24. 24. Tandem ab Judice Populi interfectus dicitur, quia liberius Populi idololatriam increparet.

Daniel de Tribu Juda adoleſcens adhuc translatus eſt Babylonem a Nabuchodonoſor cum Jechonia Rege Juda, ut conſtat ex c. 1. 1. Dan. collato cum 25. 1. Jeremiæ. Floruit ſub Nabuchodonoſore, Evilmerodacho, Neriglissoro, Balthaſare, Dario Medo Babyiloniæ Regibus, & Cyro Perſarum Rege ex c. 1. 21. De ejus ſanctitate lege Ezechielis cap. 14. 14. & Dan. 2. 46. Ejus memoria celebratur in Romano Martyrologio ad diem 21. Julii, & præter Bedam, Uſuardum, Adonem in Græco Menologio ad 16. Kalend. Januarii. Ceterum Danielem auctorem eſſe illius Prophetiæ, quæ ejus nomen gerit in fronte, præter Eccleſiæ & Hebræorum auctoritatem id conſtat apertiſſime ex c. 7. & 8. Verum quoniam Proteſtantes a Daniele Canticum trium puerorum, Suſannæ, Beli, & Draconis hiſtorias abjudicant; idcirco ſequentibus quæſtionibus ſingula ſuſcipiemus enucleanda.

### C o n c l u s i o I.

*Iſaiæ prophetia ab eodem Propheta divino Spiritu aſſlante conſcripta eſt.*

Prob. 1. pars. Quod Iſaiæ tribuit Judæorum Synagoga, Chriſti Eccleſia, & omnium ſæculorum PP., atque ex ipſius libro eruitur, illud eſt certe Iſaiæ tribuendum. Atqui &c. Ergo &c. Minor lippis atque tonſoribus plana eſt & aperta. Numquam enim Hebræi de hac re dubitarunt, & in Chriſti Eccleſia hoc prorſus eſt infallibile, ut ex Juſtino in Dial. cum Tryph. Tertulliano in Scorpiaco, Ambroſio, Auguſtino, Hieronymo, aliiſque infra deſcribendis evidentiſſime conſtat.

Prob. 2. pars. In Iſaiæ Prophetia clariſſima ſunt de Chriſto Vaticinia. Vide citatum Juſtinum, Origenem lib. 1. c. Celſum, Cyrillum Alexand. Com. in c. 7. Iſ. Tertullianum lib. 3. adverſus Marc. S. Matthæum c. 4. & 3. Vocatio Gentium præcinitur Iſ. 41. Evangelii Prædicatio promittitur c. 52. Vid. ad Philip. 2. 8. Ad Hebræos 9. 13. Eccleſiæ ex gentibus congregandæ Vaticinatio habetur c. 54. & 60. Lege S. Hieronymum, & Theodoretum in Comment. Atque alia plura in illa deſcribuntur prophetia, quæ ejus divinitatem clare deſignant, quæque apud Natalem Alexand. Tom. 3. p. 122. fuſe & uberrime collecta adinvenies: Ergo &c.

*Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1. cum Tract. Theol. Polit. Auctore: Iſaiæ Prophe-

tia

tia incipit a *6.* capite, cujus verſ. 5. legitur, Iſaiam uſque ad illud tempus tacuiſſe: Ergo &c.

Reſp. Varie inter ſe digladiatos fuiſſe Interpretes, ut Iſaiæ v. 5. explanarent. Suſpicati ſunt quidam, Prophetam ſibi ſuum ſilentium vitio dediſſe, quod Seraphim clamantibus Sanctus, Sanctus, Sanctus, ipſe pariter laudaturus non acceſſerit. Maluerunt alii diſplicuiſſe Deo Iſaiæ ſilentium quo tempore Ozias facinus illud cremandi in Templo ſuffitum tentavit 2. Paralip. *26. 16.* cum neque verbis arrogantem caſtigaverit, neque ejecerit ex urbe. Sed optima eſt interpretatio: quod ex quo Deus gloriam ſuam Iſaiæ conſpiciendam exhibuit adſpectu majeſtatis perculſo loquendi facultatem corripuerit. Ita Moyſes cum Dominum in medio rubi ardentis intuitus eſſet: *Obſecro Domine*, dixit Exod. 4. 10. *Non ſum eloquens ab heri, & nudius tertius, & ex quo loquutus es ad ſervum tuum, impeditioris & tardioris linguæ ſum.* Allati igitur teſtimonii ſenſus eſt, Iſaiam loqui non potuiſſe viſo Domino, neque ſe potuiſſe populo polluto præbere intelligendum, ita ut unius Seraphim volatu indigeret, qui carbone vel lapide ignito illius linguam & os purgaret.

Ob. 2. Quæ de Hieroſolymorum excidio in prioribus prædicuntur capitibus, non concordant cum annis Oziæ, ſub quo Iſaias cœpit vaticinari: Ergo &c.

Reſp. Licet Hieroſolymitanum excidium prædictum fuerit ſub Ozia, non tamen id ſequitur, quod ſub Ozia debuerit evenire. Prophetice narratum eſt, non hiſtorice.

Ob. 3. Ex 2. Paralip. 26. conſtat, Iſaiam res ab Ozia geſtas litteris mandaſſe, ſed in hac prophetia nihil omnino de geſtis Oziæ: Ergo &c.

Reſp. Forſitan Oziæ geſta fuerunt in alio peculiari libro ab Jeremia conſcripta. Quid ſi liber iſte deperiit?

Ob. 4. Sub Manaſſe fuiſſe Iſaiam vaticinatum, conſtat; ſed de Manaſſe nihil Iſaias profert: Ergo &c.

Reſp. Iſaiam ſub Manaſſe prophetaſſe, non aliunde, quam ex Rabbinorum traditione depromitur, quam falſam eſſe hoc in loco & commentitiam aſſeveramus.

Ob. Ultimo: Prophetia iſta profert ordinem hiſtoriæ inverſum: Ego &c.

Reſp. Nos id non negare, ſed ſtylum propheticum ab hiſtorico eſſe diverſum norunt omnes. Prophetæ enim non litteris mandant Vaticinia ſua juxta temporum ſeriem, ſed juxta Spiritus S. inſpirationem; ex quo fit, ut aliquando poſtrema primis præponant.

Con-

## Conclusio II.

*Jeremiæ Prophetia, Lamentationes, Oratio, & Ep'ſtola ad populum captivum ſunt opus ipſius Jeremiæ Spiritu S. afflante elaboratum, excepto ultimo prophetiæ capite, quod quidem divinum agnoſcimus, ſed incerti auctoris.*

Prob. 1. pars. Relate ad Jeremiæ prophetiam jam ſatis ſupra demonſtravimus in prænotationibus ab Jeremia fuiſſe exaratam, ſolum addimus, poſtremum hujus prophetiæ caput e duobus poſtremis capitibus libri 4. Regum totum fere depromptum eſſe, quo partim ea narrantur, quæ jam ſupra narraverat Jeremias, partim quæ poſt ejus obitum evenerunt. Quonam auctore id factum ſit, prorſus incertum.

Prophetiæ ſuccedunt Lamentationes, quarum quidem eumdem prophetam auctorem fuiſſe, probant præter titulum ſtyli cognatio, locutiones ſimiles in Vaticiniorum libro & in Threnis, parva Præfatio in Threnis præfixa in 70. Interpretum editione, veterum PP. & Eccleſiæ auctoritas, unanimis denique omnium Interpretum conſenſus. Lamentationes claudit Oratio Jeremiæ, quæ licet a Theodoreto fuerit prætermiſſa, tamen in Hebraico exemplari, & 70. Interpretum editione, Chaldaica paraphraſi, Syriaca, & Arabica Verſione, & apud S. Hieronymum a reliquo Lamentationum opere minime divellitur. Quæ in Vulgata noſtra Editione librum Baruchi claudit veluti poſtremum illius prophetiæ caput Jeremiæ Epiſtola genuinus eſt ipſius Jeremiæ fœtus. In Verſione enim Arabica & in quibuſdam 70. Interpretum editionibus Lamentationibus ſubnectitur. Unde S. Hilarius Prologo explanationis in Pſalmos ait, Vaticinia Jeremiæ cum Threnis & Epiſtola unum conſtituere librum ex 22. quibus vetus Teſtamentum conſtat. Eam quidem S. Hieronymus Procemio Commentar. in Jeremiam ψευδόγραφον appellavit, eo quia in codice Hebraico deſideraretur, ſed S. Cypriani temporibus tamquam Jeremiæ genuinum opus agnitam fuiſſe ex ipſo conſtat Cypriano lib. de Orat. Dom.

Prob. 2. pars: Jeremiæ opera prælaudata libris Canonicis accenſenda eſſe Synagoga, & Chriſti Eccleſia ſatis oſtendunt; unde inter libros Protocanonicos numeranda ſunt, quod dilucide oſtendit doctiſſimus Abrincenſis Epiſcopus Dem. Evang. Prop. 4. Et quidem reapſe iis in operibus innumera ſunt ad Chriſtum & Eccleſiam Oracula ſpectantia omnium fere PP. calculis comprobata, ut videre eſt apud Natal. Alex. t. 3. p. 230.

Di-

*Diluuntur Objecta.*

Ob. 1. Plura eſſe in Operibus Jeremiæ, quæ illorum auctoritatem videntur aliquatenus imminuere. 1. Ordo hiſtoriæ prorſus eſt inverſus. 2. Cap. 22. Prophetiæ Jechonias vocatur *vir ſterilis qui non proſperabitur*, quod aperte repugnat lib. 4. Reg. cujus poſtremo in capite legitur, Jechoniam fuiſſe ab Evilmerodacho ſummis honoribus affectum, & in lib. 1. Paral. c. 3. octo Jechoniæ filii receſentur. 3. In c. 34. Jeremiæ prophetiæ iſta leguntur de Sedecia: *Hæc dicit Dominus ad te: non morieris in gladio, ſed in pace morieris*, quod ex hiſtoria conſtat falſum eſſe, quoniam Sedecias cædem filiorum ſuorum ſpectavit, & illi poſtmodum effoſſi ſunt oculi.

Reſp. Cavillos iſtos facillime exſufflari, & ad primum jam reſpondimus ſupra ad 1. propoſitionem in reſponſione ultimæ objectionis. Ad ſecundum vero reponimus juxta textum Hebraicum allati c. 22. verba ſic legi האיש הזה ערירי Aiſc azè ngariri, ideſt *Virum iſtum orbatum*, & apud 70. γράψον τὸν ἄνδρα τῦτον ἐκκήρυκτον ἄνθρωπον, ſcilicet *Scribe virum iſtum execrabilem hominem*, ejectum, expoliatum. Quæ ſane interpretationes minime filios ab Jechonia excludunt, ſed probant ad ſummum, ejus poſteritatem imperium minime attigiſſe. Ad ultimum facilis eſt reſponſio, ſi dicatur, Sedeciæ quidem filios violenta quidem morte ſublatos fuiſſe, at Sedeciam ipſum gladio non periiſſe, ſed poſtquam oculis orbatus fuiſſet, in vivis relictum tranquilla & naturali morte obiiſſe, ſicque fuiſſe Jeremiæ impletum Vaticinium: *Non morieris in gladio, ſed in pace morieris.*

## Conclusio III.

*Liber, qui dicitur Baruch, divinæ eſt auctoritatis.*

Contra Heterodoxos expreſſe pugnandum eſt in adſtruenda hujus libri divinitate. Illi enim eum in Canone Hebræorum expreſſe referri non videntes, atque de eo apud aliquos ex veteribus Patribus nullam fieri mentionem obſervantes tanquam acanonicum rejecerunt. Verum quid Catholico opinandum ſit, demonſtrabimus, omiſſa de Auctore hujus libri quæſtione, cum ex libri initio, ut ſupra diximus ſatis, deſignetur. Sic itaque propoſitionem confirmamus.

Prob. 1. Ceteri ſacrorum librorum Auctores varia deſumpſerunt teſtimonia; Ergo &c. Antecedens conſtat, ſi conferas Baruch c. 1. cum Danielis c. 9. 7. Baruch c. 2. 7. cum Daniel. 9. 13. Quibus adſonant Nehemias & 2. Eſdræ 9. 10. Ergo &c. 2. Li-

2. Liber Baruch inter Canonicos recenſitus eſt a S.Athanaſio in Ep. feſtali, S. Baſilio lib. 4. contr. Eunomium, S. Jo. Chryſoſt. oratione *quod Chriſtus ſit Deus*, S. Ambroſio lib. 1. de fid. Euſebio Cæſareenſi lib. 6. demonſtr. Evang. S. Cyrillo Hieroſolymit. & Cyrillo Alex. lib. 10. contr. Jul. aliiſque pluribus & numero & auctoritate graviſſimis.

*Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1. Ex c. 1. conſtat Baruch, librum ſuum ſcripſiſſe Babylone, & ex c. 43. 6. Jeremiæ liquet, Baruchum cum Jeremia in Ægyptum fuiſſe aſportatum. Hæc libro divino minime congruunt: Ergo &c.

Reſp. Jeremia mortuo Baruchum Babylonem petiiſſe circa initium anni quinti, ut transmigratis Babylone exiſtentibus ſubveniret.

Ob. 2. C. 1. 7. legitur, Judæos miſiſſe pecuniam ad Joachimum, ut oblationes offerrentur ſuper altare Dei; atqui certum eſt, eo tempore templo deſtructo nec altare fuiſſe, nec ſacerdotes: Ergo &c.

Reſp. Fuiſſe quidem templum everſum, Civitatem deſtructam; verum quoniam iſta ad tempus primæ deportationis referenda ſunt, cumque in ea non fuerint univerſi Iſraelitæ aſportati, hinc dicimus, Hebræos, qui cum aliquibus remanſerant ſacerdotibus, altare erexiſſe in loco, in quo prius fuerat templum a Salomone conſtitutum, ſuper quod oblationes ferri poſſent.

Ob. 3. C. 1. v. 12. filium Nabuchodonoſoris vocat Balthaſſarem, cum tamen filius ejus Evilmerodachus vocaretur: Ergo &c.

Reſp. Cum Calmetio, aliiſque doctiſſimis ſacræ Scripturæ Interpretibus, Evilmerodachi mentionem non feciſſe Baruch, ſed Balthaſſaris, quia iſte licet natu minor a Patre odio non habebatur, quemadmodum primus, & conſequenter omnes Balthaſſarem veluti Regni hæredem obſervabant.

Ob. 4. PP. citarunt etiam teſtimonia quædam ex libris non canonicis deſumpta. Ergo licet aliqua teſtimonia citaverint ex libro Baruch, non inde inferri debet, illum eſſe canonicum.

Reſp. Non tantum Baruch liber canonicus eſt, quia Patres multa ex eo teſtimonia citarunt, ſed quia multa Daniel exſcripſit, ut ſupra oſtendimus. Prætcrquamquod PP. qui librum Baruch citarunt, vel tanquam partem Prophetiæ Jeremiæ citarunt, vel ejus auctoritates Sacram Scripturam appellarunt, quæ cum in aliis libris canonicis citandis non

præ-

præſtiterint, eadem non valet argumentandi ratio.

### Conclusio IV.

*Ezechielis Prophetia Deum habuit auctorem.*

Cum Ezechielem nemo neget illius Prophetiæ auctorem, quæ ſub ejus nomine circumfertur; idcirco contra auctorem Tractatus Theolog. Polit. ejus divinitatem ſumimus comprobandam.

Dem. Ille liber Deum habet auctorem, in quo de Chriſto & Eccleſia præſertim clara ſunt teſtimonia, ut perhibent ſacræ litteræ: ſed in libro Ezechielis &c. Ergo &c.

Minor pleniſſime conſtat conferendo c. 34. cum cap. 2. 7. ad Philippenſes, & Lucæ 1. 32. 33. & c. 37. 21. ſeqq. cum cap. 2. ad Epheſ. Lege præ ceteris Theodoretum in ſuis ad Ezechielem comment.

*Diluuntur Objecta.*

Ob. 1. Joſephus lib. 10. Antiq. c. 10. ſcripſit, Ezechielem prædixiſſe futurum, ut Sedecias Babylonem non videret. In prophetia vero Ezechielis c. 17. prænunciatur Babylonem ducendus: Ergo vel iſta Prophetia non eſt Ezechielis, vel divinæ non eſt auctoritatis.

Reſp. Verum eſſe, quod Sedecias Babylonem viſurus non erat, utpote oculis orbandus; dummodo fides Joſepho præſtanda ſit, quo in caſu aſſerendum, hanc aliam Ezechielis prophetiam intercidiſſe. Plura ſunt, quæ objicit auctor Tract. Theol. Polit. ſed ceteris ſane leviſſima, atque nullius momenti, quæ videri poſſunt apud Natal. Alex. t. 3. p. 412.

### Conclusio V.

*Liber Danielis ſecundum omnes ſui partes Danielem habet auctorem, & divina inſpiratione conſcriptus eſt, ideoque Canonicus.*

De libro Danielis differentes in eo aliquantiſper inſudandum, ut ejus auctoritatem ab Heterodoxorum calumniis vindicemus. Multa quidem ſunt, ſuper quæ funem ducunt contentionis. Primo igitur inquiremus de auctore libri, quem Danielem eſſe negavit Porphyrius libro adverſus illum edito, ut refert Sanctus Hieronymus in Procemio Commentar. Secundo totius libri canonicitatem vindicabimus, præſertim Orationis Azariæ, Cantici trium puerorum, & hiſtoriarum Suſannæ & Beli & Draconis, contra quas ſtylum acuerunt Julius Africanus Epiſt. ad Origen. & ut verbo dicam, recentiores omnes Hæretici, præſertim Anabaptiſtæ. Quare ſit

Dem.

Dem. 1. Pars. Cap. 7. verſ. 1. hæc leguntur : *Anno primo Balthaſſar Regis Babylonis Daniel ſomnium vidit, . . . & ſomnium ſcribens brevi ſermone comprehendit* . Item c. 8. *Tu ergo viſionem ſigna, quia poſt multos dies erit, & ego Daniel langui* . Et cap. 12. *Tu autem Daniel claude ſermones . . . . . & vidi ego Daniel* . Ergo &c. Huic veritati teſtimonium Chriſtus perhibuit apud Matth. 24. 15. *Cum ergo videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt a Daniele Propheta &c.* quæ legitur cap. 9. 27. Danielis . Confir. 2. Eccleſiæ & PP. auctoritate, quæ hujus libri Danielem novit auctorem , & ſub Danielis nomine ſacris canonibus adſcripſit. Quæ omnia magis in ſequentibus conſtabunt. Omittimus Joſephi auctoritatem aliorumque, quia in re tam clara non vacat diutius immorari.

*Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1. S. Iſidorus Hiſpal. lib. 6. Orig. c. 2. hæc habet : *Ezechiel , & Daniel a viris quibuſdam Sapientibus ſcripta eſſe perhibentur*. Ergo &c.

Reſp. Viros Sapientes librum , quem Daniel Chaldaice ſcripſerat , Hebraice tranſtuliſſe , ideoque vocabulum illud *ſcripta* pro *tranſcripta* ſumendum eſſe . Id etiam de Ezechiele dicendum ; niſi reponere velimus, deceptum Iſidorum ex lutulenta Rabbinorum Traditione.

Dem. 2. pars . Omnium ſæculorum PP. librum Danielis cum omnibus ſuis partibus veluti Canonicam Scripturam citarunt : Ergo &c. Prob. ant. Irenæus contr. Hæreſ. lib. 4. c. 11. hæc habet : *Quem & Daniel Propheta , cum dixiſſet ei Cyrus Rex Perſarum : quare non adoras Bel ? annuntiavit dicens : Quoniam non colo Idola*. Eadem ferme habet c. 44. Clemens Alex. Strom. lib. 4. *Illa vero* ( Suſanna ) *per ſummam honeſtatem vel ad mortem uſque procedens . . . . . perſtitit firma & conſtans teſtis pudicitiæ*. Tertullianus lib. de Idol. c. 18. *Statim apparuiſſet, Danielem Idolis non deſerviſſe , nec Belum , nec Draconem colere* . Cypr. lib. de Oper. Miſ. *Danieli in lacu leonum ad prædam juſſu Regis incluſo prandium divinitus apparatur*. S. Hilarius in Pſal. 52. *Daniel condemnans Presbyteros ita dicit : Non ſemen Abrahæ* . Didymus de Spiritu S. l. 3. *Hac autem fallacia etiam in Presbyteros, qui adverſus Suſannam in crudelitatem ſe verterent, intravit*. S. Baſilius in *Iſaiam* 3. *Canitiem oſtentant corporis, quemadmodum Seniores illi in Babylone* . S. Gregorius Nazianzenus orat. 27. *Quandoquidem, ut Danielis verbis utar, & egreſſa eſt iniquitas a Senioribus Babylonicis* . Quid de Au-

Auguſtino, Ambroſio, Fulgentio dicemus, qui ſæpe ſæpius citatas adhibent Danielis hiſtorias ad fidei veritatem adſtruendam? Quid de ceteris aliis? Verum quoniam multorum PP. teſtimonia in controverſiam adducuntur ab adverſariis, idcirco illa in argumentorum ſolutione enucleanda reſervamus.

Hoc in loco prætermittendum non eſt, a Bellarmino, Natali Alexandro, aliiſque viris doctiſſimis in defenſionem libri Danielis adduci teſtimonium quoddam S. Ignatii Martyris veluti deductum ex Epiſtola ad Magneſianos; ſed viros doctiſſimos hac in re deceptos eſſe oportet comminiſci: Siquidem ex diſſertatione R. Idulphi Veſtenii, & ex oculari inſpectione Alfonſi Nicolai teſtimonium illud non extat in codicibus Bibliothecæ Laurentio Mediceæ, ad quorum fidem ab Iſaaco Voſſio typis impreſſæ ſunt Ignatianæ Epiſtolæ; hiſce tamen non obſtantibus circa divinitatem libri Danielis Eccleſiaſtica traditio remanet ſatis firmata, & undequaque inconcuſſa.

*Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1. Hieronymus, quo nemo in Scripturis ſanctis peritior, Præfat. in Dan. & Proœmio ad Com. Daniel. hiſtorias Suſannæ, Beli, & Draconis vocat fabulas dicens: *Beli Draconiſque fabulas non contineri in Hebraico:* Ergo &c.

Reſp. Licet doctiſſimus Maldonatus Præfat. ad Daniel. pro Hieronymo cauſam vix dicere queat, nihilominus Hieronymi apologiam texere non dubitamus, dum Scripturarum ſanctarum auctoritatem ſtrenue valemus propugnare. Non enim tanti roboris eſt argumentum iſtud, ut vel minimum contra Danielis Prophetiam urgeat. Siquidem hæc eadem Hieronymo quondam objecit Ruffinus, qui ſequentibus verbis præclarum Eccleſiæ Doctorem increpabat lib. 2. t. 4. Oper. Hieronymi: *Illa Hiſtoria de Suſanna, quæ caſtitatis exemplum præbebat Eccleſiis Dei, ab iſto abſciſſa eſt, & abjecta, atque poſthabita. Trium puerorum Hymnus, qui maxime diebus ſolemnibus in Eccleſia Dei canitur, ab iſto e loco ſuo eraſus eſt.* Quibus Ruffini objurgationibus reſpondit Hieronymus, ſe illa retuliſſe ex Hebræorum ſententia, qui in hiſtoriam Suſannæ (verba ſunt Hieronymi Apolog. adv. Ruff. lib. 2.) Hymnum, & *fabulas* Beli & Draconis acriter inſurgere videbantur; *Non enim quid ipſe ſentirem, ſed quid illi contra nos dicere ſoleant, explicavi*, inquit cit. loc. S. Doctor; *quorum opinioni ſi non reſpondi in Prologo, brevitati ſtudens, ut non præfationem, ſed librum viderer ſcribere.* Sed regeris:

ris: Quomodo hiſtorias illas nuncupat fabulas? Non hic reponimus cum Bellarmino, Natali Alexandro, Sixto Senenſi, aliiſque idem eſſe apud Hieronymum *fabulas* ac *fabulationes* juxta illud Luc. 24. 15. *Dum fabularentur, & ſecum quærerent*. Iſta enim riſum movent: ſed ſaniori judicio dicendum arbitramur, fabulas apud Hieronymum ſumi pro *narrationibus*, cujus quidem reſponſionis hæc ſunt momenta: Ut jam ſupra vidimus, Ruffino objurganti reſpondit Hieronymus, ſe non retuliſſe quid ipſe ſentiret, ſed quid Hebræi ſolerent dicere. Si ergo talibus verbis ſe excuſat, ſuamque aperit mentem, dum interim hiſtorias illas *fabulas* vocat, narrationes intelligit, ſecus magna fuiſſet Hieronymiano in teſtimonio verborum implicantia. Quod magis confirmatur ſequenti ratiocinio. Qui enim hiſtoriam aliquam rigoroſo ſenſu fabulam appellat, aperte quid ſentiat, oſtendit. Negat autem Hieronymus ſe retuliſſe, quid ipſe ſentiret. Non ergo allatas hiſtorias rigoroſe ſeu vere & proprie fabulas vocat. Inſuper quomodo poterat ſe a Ruffini calumniis vindicare aſſerendo Beli, & Draconis hiſtorias fabulas eſſe? Atque hæc ſane pro Hieronymo dicta ſint ſatis.

Ob. 2. Origenes cum pluribus aliis PP. indicem texens librorum Canonicorum præcitatis Danielis hiſtorias prætermiſit: Ergo &c.

Reſp. Origenem, alioſque plurimos ex PP. allatas hiſtorias ſatis comprobaſſe, dum librum Danielis illi conſecrarunt abſque ulla reſtrictione. Quod ſi in eodem libro apocrypha nonnulla inſerta fuiſſe exiſtimaſſent, profecto illa excepiſſent. Atque hæc luculentiſſima eſſe ex ipſo conſtant Origene, qui in Epiſtola ad Africanum aſſerit de hiſtoria Suſannæ, quod *in Eccleſiis circumfertur*, atque de ea loquitur veluti de ceteris libris, qui recipiebantur in canone, idque clarius exprimit hom. 1. in Leviticum ſequentibus verbis: *Sed tempus eſt nos adverſus improbos Presbyteros uti S. Suſannæ vocibus, quos illi quidem repudiantes hiſtoriam Suſannæ de catalogo divinorum voluminum diſſecarunt; nos autem & ſuſcipimus, & contra ipſos opportune proferimus*. Ex quibus mens Origenis ſatis dignoſcitur. Idem dicatur de hiſtoria Beli, & Draconis, quæ non minus venerat in controverſiam. Ceterum quid de PP. traditione ſentiendum ſit, ex ſuperioribus habemus.

Ob. 3. Prædictæ Danielis partes non reperiuntur in indice Concilii Laodiceni & Carthaginenſis 3. Ergo &c.

Reſp. Allata Concilia ſatis hiſtorias, de quibus eſt quæ-

ſtio, approbaſſe, dum librum Danielis in catalogo divinorum librorum inſeruerunt, atque illa eadem ratione admiſerunt, qua legebatur tunc temporis in Eccleſiis, in quibus ſecundum omnes ſuas partes legebatur. Quis dicet, hiſtoriam unctionis David in Regem apocrypham eſſe, eo quia Concilia & PP. libris ſacris non adnumerant? Nonne qui totum approbat, partes approbare cenſetur?

Ob. 4. Cap. 13. 45. hiſtoria Suſannæ dicitur contigiſſe Daniele adhuc puero juniore; verſu autem ultimo, mors Aſtyagis ſubjicitur, & Cyri ſucceſſio; ſed hæc pugnantia libro divino repugnant: Ergo &c.

Reſp. In allatis, quas modo defendimus, hiſtoriis peritiorum conſenſu admittendas eſſe aliquas verſiculorum luxationes. Si enim temporum ordo ſervatus fuiſſet, hiſtoria Suſannæ initio libri debuiſſet collocari, uti olim collocata erat, id imprimis teſtante auctore Athanaſianæ Synopſeos; cauſam vero, ob quam ad c. 13. illam rejecerint, hanc eſſe puto; quia cum in Hebræo codice deſideraretur, maluerunt aliqui illam ad operis calcem revocare. Qua de re verſiculum 65. c. 13. dicimus, initium eſſe capitis ſequentis, niſi cum aliquibus Hebraicæ linguæ peritiſſimis dicere velimus, particulam ו *vau* in Hebræo, in latino *&* ſumi pro *uſque*, ut ſenſus ſit: *Daniel factus eſt Magnus .... uſque dum Rex Aſtyages appoſitus eſt ad Patres ſuos, & ſuſcepit Cyrus Perſes Regnum ejus.*

Ob. 5. Eodem capite v. 4. traditur, Joachimum Suſannæ ſponſum divitem fuiſſe, domum ac pomarium habuiſſe, ſed hæc conditioni repugnant captivitatis Babylonicæ: Ergo &c.

Reſp. Hæc omnia minime tranſcendere conditionem captivitatis Babylonicæ, quod conſtat ex Jeremiæ 29. *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Iſrael omni tranſmigrationi, quam tranſtulit de Jeruſalem in Babylonem: Ædificate domos, & habitate, & plantate hortos, & comedite fructum eorum.* Præterquamquod multos alios legimus in captivitate & abundaſſe divitiis, & gratia floruiſſe apud barbaros Reges, & inſuper publicis atque regalibus honoribus, & muneribus ornatos fuiſſe, quod de Tobia, Eſdra, Nehemia, Mardochæo, ipſoque Daniele, ejuſque ſodalibus divina narrat hiſtoria.

Ob. 6. Captivis non competit auctoritas condemnandi, ſed id habetur in hiſtoria Suſannæ: Ergo &c.

Reſp. Diſtinguo maj. non competit auctoritas condemnandi

di juxta proprias leges, & dependenter ab auctoritate ſuprema : Nego maj. & ſimiliter diſtincta minore, nego conſequentiam. Reſponſio patet.

Ob.7. Voces ille σχῖνε σχίσαι πρῖνε πρίσαι verſibus 54. & 58. c. 13. oſtendunt hiſtorias haſces numquam fuiſſe in Hebræo, hanc enim omologiam ſolummodo Græca lingua præſeferunt: Ergo &c.

Reſp. Danielem non adhibuiſſe iſta vocabula in horum arborum nominibus, ſed & aliis vocibus Hebraicis aut Chaldaicis, quibus verba *ſcindendi* & *ſecandi* correſponderent, uſum fuiſſe; Interpretem vero arborum nomina poſuiſſe, quæ ad verba *ſcindendi* & *ſecandi* haberent analogiam, quemadmodum pluribus in. locis ſacrarum Scripturarum factum novimus. Ita Gen. 2. 23. Mulier Hebraice dicitur אשה *Iſchà* ab איש *Iſch vir:* Latinus interpres pro Iſchà poſuit *Virago* a Vir, ut in verbis luſum ſervaret. Ita Symmachus poſuit pro *Iſchà* ἀνδρὶς ab ἀνδρός. Quæ autem fuerint a Daniele adhibita vocabula, ignorare cogimur, quia Hebraica, & Chaldaica exemplaria deperierunt.

Ob. 8. Ridiculum ſane eſt, Habacuc ab Angelo capillis apprehenſum in Lacum Leonum Babylone tranſlatum fuiſſe. Deinde inveriſimile eſt, Prophetam Habacuc adhuc in vivis fuiſſe. Denique incredibile, Prophetam iſtum in Judæa fuiſſe tempore captivitatis: Ergo &c.

Reſp. ad primum. Exemplum hominis gravi corpore volantis, & tantillo tempore tanta terrarum ſpatia tranantis huic hiſtoriæ fidem minime derogare. Grandiora enim extant in ſacris litteris a Deo patrata miracula, quæ ad incomprehenſibilem divinam omnipotentiam ſunt referenda. Hujuſmodi ſunt univerſale diluvium, incendium Sodomiticum, metamorphoſis uxoris Loth, Chriſti Domini in montem excelſum translatio, & alia plura miracula, quæ infirmum humanæ mentis captum non minus ſuperant & excedunt. Ad ſecundum reponimus, iſta illos premere, qui Draconis hiſtoriam ſub Cyro eveniſſe contendunt, non illos, qui eam conſignant ad annos Darii Medi, quemadmodum probabiliori calculo ſentimus. Ad tertium reſpondemus, non omnes Hebræos in captivitatem abductos fuiſſe, cum ex 4. Reg. 25. 11. Jeremiæ 39. 10. conſtet in Hebræorum regionibus vinitores & agricolas aliquos remanſiſſe.

## CAPUT XIII.

*Exhibens quoddam in duodecim Prophetas commentariolum.*

DE duodecim Prophetis acturi fuſiori ſermoni parcendum eſſe exiſtimavimus, cum nulla veniat gravioris ſaltem momenti dirimenda controverſia. In unum libri ab auctore incerto collecti licet diverſis locis & temporibus vixerint, minores dicti ſunt, quod ſinguli juſto libro minores eſſent, non quod auctoritate a ceteris vincerentur. Quinimmo ultraquamquod plura in ipſis leguntur vaticinia de adventu, obitu, & reſurrectione Meſſiæ, de vocatione gentium, reprobatione Judæorum, excidio Hieroſolymæ, ceremoniarum legis abrogatione; plura etiam ab interitu vindicant hiſtoriarum monumenta ad regna Judæ, Iſraelis, Babiloniæ, Ninives, Idumææ, Ægypti, Moab, & Ammon ſpectantia.

Ordo duodecim Prophetarum in exemplaribus Græcis plane differt ab eo, quo in Hebraicis recenſentur. Vide Hieronymum Præf. in lib. Reg. & in 12. Proph. & in Joel. Apud Græcos quatuor majoribus Prophetis præponuntur, in Hebræo ſuccedunt Iſaiæ, Jeremiæ, & Ezechieli; Danielem enim ſubjiciunt libro Job, Pſalmorum, & Sapientialibus. Duodecim Prophetarum nitidum elogium Jeſus filius Sirach hiſce verbis complexus eſt Eccl. 49. 12. *Et duodecim Prophetarum oſſa pullulent de loco ſuo; nam corroboraverunt Jacob, & redemerunt ſe in fide virtutis.*

*Duodecim Prophetarum ordo chronologicus.*

Oſeas vaticinatus eſt ſub Ozia Rege Juda, & ſub Joathan, Achaz, & Ezechia Regibus Juda uſque ad excidium Samariæ juxta ſequentem Elenchum.

| | | |
|---|---|---|
| Oſeas | prophetavit ab Anno M. 3198. | uſque ad A. M. 3283. |
| Amos | ab Anno M. 3215. | uſque ad A. M. 3220. |
| Jonas | ante Annum M. 3179. | uſque ad A. M. 3220. |
| Michæas | poſt Ann. M. 3245. | uſque ad A. M. 3306. |
| Nahum | poſt Ann. M. 3291. | |
| Joel | poſt Ann. M. 3363. | |
| Sophonias | ab Anno M. 3381. | |
| Habacuc | circa An. M, 3394. | |
| Abdias | poſt An. M. 3414. | |
| Aggæus | An. M. 3484. | |
| Zacharias | eodem Ann. M. | |
| Malachias | incerto tempore. | |

CA-

# C A P U T XIV.

## *De primis duobus Machabæorum Libris.*

ISthmum fodere meo quidem judicio aggreſſi ſunt, qui de auctore primi & ſecundi Machabæorum libri diſputarunt. Adeo enim incerta ſunt, quæ a diverſis proferuntur monumenta, ut ea præterire maluerimus, quam diſceptanda proponere. Qui vero de his maximopere delectatur, adeat eruditiſſimum Calmet, & Natalem Alexandrum tom. 3. p. 553. Satis eſt in præſenti illorum auctoritatem tueri contra Lutheranos, Calviniſtas, Anabaptiſtas, alioſque hujus ſurfuris homines, qui non potuerunt ſuffragia pro mortuis, invocationem Sanctorum, Templorum dedicationes denegare, quin & duos Machabaicos libros ſpernerent & conculcarent. Qua de re omnes nervos intendimus, ut eos a flagitioſorum hominum calumniis vindicemus.

### C o n c l u s i o U n i c a.

*Primi duo Machabæorum libri divinæ ſunt auctoritatis.*

Dem. Divina eſt illorum librorum auctoritas, quæ omnium ſæculorum PP. calculis eſt comprobata; atqui auctoritas primi & ſecundi Machabæorum libri tamquam divina omnium ſæculorum PP. calculis eſt comprobata. Ergo &c. Minor oſtenditur primum ex Origene, cui debuerat veteris Eccleſiæ traditio certe innoteſcere. Origenes itaque in commentariis ſuper 5. cap. Ep. ad Rom. redarguens Valentinianorum errorem, qui dicebant in veteri lege nullum auſum fuiſſe mori pro Deo veteris teſtamenti, Machabaico utens teſtimonio veluti canonico inquit: *Legant Machabæorum libros, ubi cum omni inſtantia Beata Mater cum ſeptem filiis martyrium ſuſcepit*. Euſebius Cæſarienſis lib. 12. Ev. Præp. oſtendens animas corporibus ſolutas nobis opem ferre ex Machabaicis libris exemplum producit Jeremiæ. Ambroſius lib. 1. offic. exemplis ducum Machabæorum aſtruit, ſanctos quoque virtutem bellicam decere. Theophilus Alexandrinus lib. 4. Paſch. hortatur Epiſcopos Ægypti ad abſtinentiam carnium ſumpto ex hac hiſtoria exemplo ſeptem fratrum, qui, ne illicitis veſcerentur, cruciatibus corpora obtulerunt. Auguſtinus quoque lib. 2. de Doctr. Chr. & lib. 18. de Civ. Dei, hoſce libros in canone refert Sacrarum Scripturarum. Omittimus Concilium Carthaginenſe III. Epiſtolam Innocentii Papæ ad Exuperium, Gelaſii Pontificis catalogum, & de-

cretum Concilii Florentini ſub Eugenio IV. in quo error Græcorum de Purgatorio damnatus eſt, aliaque prætermittimus Eccleſiaſtica monumenta, & ad argumenta adverſariorum retundenda progredimur.

*Solvuntur Objecta.*

Ob. 1. Multa ſunt in primis duobus Machabæorum libris diſſonantia, falſa, & incompoſſibilia. Ergo &c. Prob. antec. multis adductis exemplis. I. Mach. 2. dicitur, Alexandrum Macedonum primum in Græcia regnaſſe; at peritiores Chronologi cum Euſebio Cæſareenſi multos ante Alexandrum in Græcia regnaſſe ſcribunt. II. 1. Mach. 11. Antiochus Epiphanes regnum incœpiſſe dicitur anno 137. Regni Græcorum, quod ab Alexandro incepit. Apud Euſebium vero, aliorumque Græcorum annales ab Alexandro uſque ad Regnum Antiochi numerantur anni 153. Hæc ſunt diſſonantia, falſa, & incompoſſibilia: Ergo &c.

Reſp. Hæc duo facillime exſufflari; & quoad primum prætermiſſa Grotii conjectura, qui per Græciam intelligit Syriam, & Ægyptum, quæ regiones ab Hebræis *Melachd Javan* dictæ ſunt, reponimus, Alexandrum Macedonem primum quidem fuiſſe, qui univerſæ Græciæ imperaverit. Ad ſecundum vero ut ſatisfaciamus, duplex diſtinguenda eſt Æra Græcorum; alia enim ab Alexandro M. initium ſumit, alia vero a Seleuco cognomento Nicanore, quæ Æra Seleucidarum dicta eſt, cujus initium ducitur ab anno M. 3692. plene exactis annis undecim a morte Alexandri. Hinc ſi annis 137. undecim anni addantur, cum aliis quinque, quibus Alexander tanquam Monarcha univerſæ Græciæ imperavit, efficiuntur anni 153. Qua poſita reſponſione omnis evaneſcit difficultas.

Ob. 2. De Antiochi morte, ac mortis genere, cauſa, loco, ac tempore Machabæorum libri non minus ſibi, quam gentium hiſtoriis contradicunt; Nam de mortis genere initio ſecundi libri legimus, eum lapidibus obrutum interiiſſe, & membratim in templo Naneæ a Sacerdotibus fuiſſe diſcerptum. E contra autem nono ejuſdem capite dicitur, quod fugiens de curru ceciderit, colliſiſque membris, & vermibus toto corpore ſcaturientibus inter horribiles dolores ac fœtores expiraſſe. De loco vero mortis, exordio ſecundi libri in templo Naneæ dicitur interfectus, & in cap. 9. ejuſdem libri in itinere jam trangreſſus Ecbatanam narratur interemptus. Rurſus c. 6. primi libri ejus mors ad annum 149. regni Græcorum, cap. vero 11. lib. 2. referuntur Antiochi Eupa-

Eupatoris ejus filii litteræ poſt obitum Patris anno Græcorum 148. Denique juxta Polybium lib. 1. c. ult. cum Diodoro Siculo, Antiochus Epiphanes, cum aggreſſus eſſet Dianæ templum, & a cuſtodibus fugatus fuiſſet, furiis agitatus verſus eſt in dementiam ac morte deprehenſus interiit. E contra uterque Machabæorum mortis Antiochi cauſam rejicit in calamitates Judæis injuſte illatas. Hæc autem omnia ſunt profecto incompoſſibilia: Ergo &c.

Reſp. quidem per ſingula, & quoad genus mortis Antiochi unum idemque dicimus fuiſſe, diverſis tamen temporis circumſtantiis. Siquidem Antiochus in templum venit Nanex, in quo non ipſe, ſed ejus milites membratim diſcerpti ſunt; quare cum aufugiſſet Antiochus, & de curru cecidiſſet, colliſiſque membris doloribus, & vermibus torqueretur, diem ſupremum clauſit. Primo quidem intuitu iſta videntur prorſus diverſa, verum animadvertendum ab adverſariis cenſemus, non omnia in libris Machabæorum juxta accuratam chronotaxim enarrari. Plura enim, quæ in 2. Machabæorum recenſentur, in primo debuerant enarrari. Sed neque ulla eſt contradictionis nota libris hiſce affingenda relate ad mortis locum, quod ex jam poſita reſponſione fit manifeſtum. Ad tertium vero quod attinet, jam prænotavimus ſupra, Æram Alexandri M. diverſam fuiſſe ab Æra Seleucidarum, quam triplicem faciunt accuratiores Chronologi, videlicet Judaicam, quæ incipit a menſe Niſan, ſeu verno tempore, & hanc ſupputandi rationem Auctor primi libri adhibuit, alteram Antiochenam, quæ ab autumno, & menſe Tiſri ducit initium, qua uſus eſt Auctor 2. libri Machabæorum, Tertiam Chaldaicam, quæ anno integro poſterior eſt Judaica, ſex vero menſibus Antiochena. Hiſce præjactis Auctor primi libri Machabæorum conſignat obitum Antiochi Epiphanis anno 149. quia utens Æra Judaica cœpit annos numerare ab Æquinoctio verno. Auctor vero libri 2. refert litteras Antiochi Eupatoris ejus filii datas poſt Patris obitum anno 148. quia uſus eſt Æra Antiochena, ſecundum quam annus non inchoat, niſi in menſe Tiſri ſeu Æquinoctio autumnali. Ne & ultimum objectionis caput omittamus, reponimus ultimo veritatem hujus hiſtoriæ non melius deſumi poſſe, quam ex verbis Antiochi morientis, quod & Joſephus confirmat 12. Antiq. c. 13. hiſce verbis Polybium redarguens: *Miror, Polybium Megalopolitam virum bonum dicere, Antiochum ideo periiſſe, quia voluit templum Dianæ in Perſide violare;*

 *nam*

*nam qui nullatenus egit peccatum, ſed tantum cogitavit, nullo facti reatu tenetur.*

Ob. 3. Lib. 1. Mach. 4. 52. dicitur, factam fuiſſe Templi purgationem ab Juda Machabæo ante mortem Antiochi, ſcilicet 25. die menſis 9. anni 148. ſed liber 2. cap. 10. refert illam factam fuiſſe poſt mortem Antiochi; Ergo &c.

Reſp. Auctorem 2. libri, ut jam innuimus, temporum ordinem minime ſervare. Licet enim purgationem templi poſt Antiochi mortem deſcripſerit, non ſequitur tamen contradictionem aliquam eruendam eſſe. Neque ex quo dicat v. 5. Purgationis celebritatem *poſt biennium* factam fuiſſe, ſequitur biennium iſtud exordium ſumere a morte Antiochi, cum ſumi debeat enumeratio ab ipſius Hieroſolymitani templi impiiſſima prophanatione.

Ob. 4. 1. Machab. 8. 16. hæc de Romanis habentur: *Et committunt uni homini Magiſtratum ſuum per ſingulos annos dominari univerſæ terræ ſuæ, & omnes obediunt uni, & non eſt invidia neque zelus inter eos.* Sed hæc Romanorum hiſtoriæ repugnant: Ergo &c.

Reſp. Hæc minime Romanorum hiſtoriæ repugnare. Siquidem duo licet Conſules eligerentur, in more tamen apud Romanos poſitum erat, ut alternis diebus imperarent, ita ut recte dici poſſet, quod uni committeretur regendi auctoritas. Hujus conſuetudinis teſtis eſt Livius lib. 2.

Ob. 5. Quod in primitiva Eccleſia non fuit Canonicum, non potuit a Concilio Tridentino Canonicum declarari; in primitiva Eccleſia libri iſti non fuerunt Canonici: Ergo &c. Min. prob. ex Melitone, Origene, Concilio Laodiceno, Cyrillo Hieroſolymitano, S. Hilario, Gregorio Nazianzeno, aliiſque infra adducendis; Ergo &c.

Reſp. Hujus generis argumenta omnium ſacrorum librorum auctoritatem evertere, quam hactenus propugnavimus. Nihilominus & hoc cum ceteris enervare contendemus, ut una argumenti ſolutione ceterorum appareat infirmitas, Falſum igitur eſt in primitiva Eccleſia libros Machabæorum Canonicos non fuiſſe. Qui enim ſemel divina inſpiratione conſcripti ſunt, omni profecto tempore tales eſſe debuerunt. Dum igitur univerſaliter profertur, libros iſto primis Eccleſiæ temporibus divinos non fuiſſe, falſum omnimode exiſtimamus; aliud namque eſt libros iſtos divinos non fuiſſe, aliud veluti divinos non fuiſſe agnitos, atque ab omnibus Eccleſiis deprehenſos. Libri Machabæorum certiſſime ſem-

ſemper divinæ fuerunt auctoritatis, cum tamen non eſſent in Judæorum Canone, neque Eccleſia univerſa primis illis ſæculis aliquid adhuc ſtatuiſſet, ab aliquibus Eccleſiis particularibus, & Doctoribus veluti divini quidem agnoſcebantur, illiſque plurimi ad Eccleſiæ dogmata confirmanda utebantur, ut patet ex iis, quæ ſupra præjacta ſunt; ab aliis vero quaſi aſſenſum ſuſpendentibus ad plebis ædificationem tantummodo admittebantur. Quapropter & Canonici fuerunt primis Eccleſiæ ſæculis, neque temporum decurſu divinæ auctoritatis eſſe cœperunt, quemadmodum obganniunt adverſarii.

Ob. 6. multa ex PP. & 1. ex Hieronymo in lib. Salom. dicente: *Machabæorum libros legit quidem Eccleſia*: 2. ex Gregorio, qui eos libros appellat *non Canonicos*. 3. Proferunt Concilium Laodicenum libros iſtos prætermiſiſſe.

Reſp. ad primum, Hieronymum non hic ad univerſam Eccleſiam reſpicere, prout eſt omnium Eccleſiarum & fidelium congregatio, ſed peculiares aliquas Eccleſias intelligere, quod jam in antecedentibus capitibus ſcimus adnotaſſe. Ceterum ſi Hieronymus aſſerit, libros iſtos Eccleſiam non recipere, quid poterunt adverſarii Auguſtino regere dicenti lib. 1. contr. Gaudentium c. 31. *Scripturam, quæ appellatur Machabæorum, non habent Judæi, ſed recepta eſt ab Eccleſia*; & lib. 18. de Civ. D. *Machabæorum libri, quos non Judæi, ſed Eccleſia pro Canonicis habet*. Quæ omnia confirmat in libro 4. de Doctr. Chr. c. 8. Cui ergo credendum? Hieronymo, an Auguſtino? Arbitror utrumque veritati conſentire; quia Eccleſia Africana, in qua erat Auguſtinus, libros Machabæorum receperat, ut patet ex canone 47. Concilii 3. Carthaginenſis; Eccleſia vero Romana, quam Hieronymus impenſe colebat, nullum adhuc de Canonicitate horum librorum tulerat judicium, & univerſa Eccleſia nihil decreverat. Unde liberum unicuique ſuæ Eccleſiæ ſententiam amplexari. Ad Gregorii teſtimonium reponimus, vel τὸ *Canonicum* referendum eſſe ad Canonem Hebræorum, in quo certe non aderant Machabaici libri, vel ad Eccleſiæ univerſalis aſſenſum. Quodcumque dicatur, difficultas evaneſcit. Ad tertium regerimus, in Laodicenæ Synodi decretis etiam Apocalypſim deſiderari; quare ergo hanc Proteſtantes recipiunt? Deinde Concilium Laodicenum celebratum fuit anno 373. Concilium vero Carthaginenſe III. an. 397. quod conſecravit hoſce libros. Quare ergo non credunt illos eſſe divinos?

Ob.

Ob. 7. Libri Machabæorum plura continent contra fidem & bonos mores. Ergo &c. Prob. ant. Lib. 2. c. 12. legitur, Judam facta collatione duodecim millia drachmas argenti Hieroſolymam miſiſſe, ut ſacrificia offerrentur pro illis militibus, qui in lethali peccato occubuerant, ut conſtat ex eodem capite. Ulterius cap. 14. laudatur Razias, qui ſibi mortem gladio conſcivit, & e muro ſe præcipitem dedit. Sed hæc ſunt contra fidem, & bonos mores: Ergo &c.

Reſp. ad primum. Ægre profecto affirmari poſſe hos milites admiſſi adverſus legem ſacrilegii reos, ſuperſtitioſis rebus ablatis *cum pietate dormiiſſe*. At pie cenſere potuit Judas, illos ante obitum criminis ſui pœnituiſſe. Deumque veniam flagitaſſe. Ita omnes Theologi, & Interpretes, ſed verior reſponſio eſt, non omnes milites illos, qui occubuerunt forſitan ſub veſtibus habuiſſe donaria idolorum, quod indicare videntur verba illa: *Et quia conſiderabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repoſitam gratiam*. Ex quibus videtur deduci poſſe, ſacrificia oblata fuiſſe pro iis, qui cum pietate dormierant, perinde ac ſi illi, ſub quorum veſtibus idolorum donaria reperta ſunt, cum pietate dormitionem non acceperint, alii e contra pie ſancteque defuncti ſint, pro quibus ollata ſunt ſacrificia. Ad ſecundum autem prætermiſſa aliquorum Interpretum reſponſione, qui ad internam Spiritus S. motionem recurrunt, ut Raziam defendant, reponimus cum M. Auguſtino lib. 1. contra Gaud. quod *laudatus eſt iſte Razias amator civitatis, ut valde bene audiens, ideſt bonæ famæ, quia Pater Judæorum appellatus eſt, & quod continentiam tenuerit in Judaiſmo. Iſtam vero ejus mortem mirabiliorem quam prudentiorem narravit, quemadmodum facta eſſet, non tanquam facienda eſſet, Scriptura laudavit*. Iſtam S. Doctoris reſponſionem tutiorem exiſtimamus, cui & D. Thomas adſtipulatur 2. 2. q. 64. art. 5. ad 4.

Ob. 8. Auctor 2. Machabæorum veniam petit eorum, quæ ſcripſit: Ergo divinitus non fuit inſpiratus.

Reſp. Diſt. ant. veniam petit, quod errores commiſerit, neg. ant. de ſermone, & ſtylo ineleganti, qui divinitati non officit, ut Paulus teſtatur 2. Cor. 11. 6. *Eſt imperitus ſermone, ſed non ſcientia*. conc. ant., & neg. conſeq.

Ob. 9. 2. Mach. 1. 19. 10. dicitur, Hebræorum tranſmigrationem in Perſidem fuiſſe, quod eſt falſum, fuit namque Babylone, & in Chaldæorum Regionibus: Ergo &c.

Reſp. Chaldæorum Regionem a multis & Latinis, & Græ-

Græcis *Perſidis* nomine agpellatam fuiſſe, Lucano videlicet lib. 3. Mamertino Panegyri ad Julian. & S. Jo. Chryſoſt. Hom. 6. in Matth. Unde addit eruditiſſimus Calmet, hujus auctoris ætate Chaldæam Perſidem dictam fuiſſa.

Ob. 10. 2. Mach. 2. narratur, Jeremiam in Hieroſolymitana deprædatione Arcam, & Tabernaculum abſcondiſſe in monte Nebo, & prædixiſſe ignotum locum futurum, donec Iſrael eſſet congregandum. Sed iſta falſitatem variis ex capitibus redolent. Siquidem Jeremias ante Hieroſolymæ vaſtationem incluſus erat in carcere Jerem. 47. & 38. Deinde Nabuzardan Princeps Aſſyriorum omnia, quæ erant in templo, ſuccendit 4. Reg. 25. Denique poſt reditum Hebræorum e ſervitute Babylonis Arca non comparuit: Ergo &c.

Reſp. Hæc omnia falſitatem minime redolere; nec aliquid in contrarium adducta momenta urgere; & quidem non primum. Siquidem vel potuit Jeremias Arcam & Tabernaculum abſcondere in primo Nabuchodonoſoris adventu Hieroſolymam, qui habetur 4. Reg. 24. 13. tunc enim liber erat. Si vero dicamus, hoc feciſſe Sedeciæ tempore poſt Hieroſolymam occupatam, & antequam Templum concremaretur, ſalvatur veritas hiſtoriæ; quoniam licet Jeremias detentus fuerit in carcere obſidionis tempore, mandante tamen Nabuchodonoſore capta Hieroſolyma e carcere eductus eſt, quo tempore potuit & Arcam & Tabernaculum in Spelunca montis Nebo occultare. Nec aliquid ſibi vindicat ſecundum aeverſariorum argumentum. Arcam enim & Tabernaculum fuiſſe ſuccenſa, vel translata, Scriptura non memorat. Imo cum 4. Reg. 25. 13. omnia ſingillatim enumerentur, quæ de templi ruinis detulerunt Chaldæi, Arcæ & Tabernaculi prætermiſſa mentione, ſignum eſt, Arcam in hoſtium manibus non veniſſe. Quod ſane ſilentio minime obvolviſſet Scriptura, utpote quia erat Arca velut quædam Judaicæ Religionis teſſera, & cum alias fuerit a Philiſtæis capta, meminit ſtatim c. 4. 17. Quæ omnia Alexandri Polyhiſtoris nitidiſſimo comprobantur teſtimonio apud Euſeb. lib. 9. Præp. Ev. c. 39. quo legitur, Nabuchodonoſorem, *quidquid in templo auri, argenti, æriſque fuit, detractum Babylonem miſiſſe, præter Arcam & incluſas in ea tabulas. Hanc enim penes Jeremiam remanſiſſe*. Num vero fuerit Arca adinventa, vel adhuc deliteſcat, quod erat tertium argumentum, lis eſt inter Interpretes. Sunt enim qui credant, repertum ſacrum pignus ſub Nehemia, manſiſſe deinde

de apud Judæos uſque ad ſubverſum a Romanis Templum. Horum opinioni adhæſerunt Salianus ad A. M. 3609. n.85. Torniellus ad an. 3610. Menochius hoc in loco, Canus de loc. Theol. lib. 2. cap. 11. aliique. Malunt alii, veterem Arcam ſemper in occulto fuiſſe, ut ad noſtram uſque ætatem latens maneat, ſed ejus loco novam alteram Arcam fuiſſe collocatam. Vide Genebrardum Chronol. lib. 2. ad an. 3730. & Hegeſippum lib. 1. c. 17. Recepta tamen ac magis frequens & recentiorum ac veterum calculis comprobata ſententia eſt, Arcam in ſecundo Templo non fuiſſe. In hanc ſententiam conceſſerunt Pſeudo Epiphanius de Vit. Proph. Dorotheus in Synopſi vit. Proph. lib. 1. Serrarius in 2. Mach. q. 17. Villalpandus t. 2. p. 2. lib. 7. c. 70. Galatinus lib. 7. c. 4. Toſtatus in Exod. aliique plures his argumentis perſuaſi. Eſdras, Nehemias, Macabæi, & Joſephus perpetuo de Arcæ inventione ſiluerunt, quod ſane hac in re maximi eſt momenti. Illius enim meminiſſe non ſemel poterant, immo debebant, uti cum de Templi dedicatione ſub Nehemia ageretur, cum de ejuſdem expiatione ſub Juda Machabæo, cum de reſtitutione ſacrificiorum captivitate ſoluta, cum de prophanatione & direptione vaſorum ſacrorum ſub Epiphane; cum de incendio Templi ſub Tito; & omnium maxime in recenſione ſpoliorum Templi Hieroſolymitani ſub Epiphane, Pompejo, Craſſo, & Tito. Quid enim magis inter ſpolia recenſeri debuiſſet, quam Arca fœderis? Nec morari nos debent, quæ ab aliquibus, Petro Comeſtore Hiſtor. Jud. c. 3. præſertim referuntur de Arca a Veſpaſiano in Triumpho Romam delata, eaque in Arcu Titi inſculpta. Quæ ſane ad ſomnia delirentium ſunt amandanda. Quibus omnibus adſtipulantur PP. graviſſimi, inter quos Epiphanius, Ambroſius, Rupertus Abbas, aliique non pauci. Verum quid interim Machabaicis verbis in argumento adductis reponendum? Chriſtum videlicet legem a latebris & caligine ignorantiæ in lucem ſolemque eduxiſſe, occulta myſteriorum revelaſſe, figuras impleviſſe, & pro lege lapidea, quæ Arca lignea claudebatur, legem amoris tuliſſe in mentibus hominum deſcriptam, quem ſenſum aſſequuti minime ſunt Judæi. Hi litteræ uſquaque inhærentes numquam ſibi in animum induxere, veram hanc eſſe Arcam ex Vaticinio Jeremiæ revelandam. Atque hæc pro 3. argumento dicta ſufficiant.

Ob. 11. & ultimo. Lib. 2. c. 3. 4. legimus, Templi curam Simoni de Tribu Beniamin demandatam fuiſſe, quod

eſt

eſt contra legem Hebraicam. Aſſumebantur enim ad hoc Levitæ miniſterium: Ergo &c.

Reſp. Simonem illum, ut legitur in textu, fuiſſe Templi *Præpoſitum* non in ſacris & ad divinum cultum pertinentibus, ſed vel in œconomicis aut politicis. Neque abs re credendum cenſeo, delegatas ad cuſtodiam Templi cohortes, ex quo factiones apud Judæos ingruere cœperunt. Sed jam ſtatutum brevitatis ordinem prætergreſſi ſumus: qua de re qui plura deſiderat, adeat Natalem Alexand. Erud. Calmet, & Cardinalem Gotti, alioſque. Interim ad alia properamus.

## CAPUT XV.

### *Contractam exhibens in novum Teſtamentum diſquiſitionem.*

De *novo nunc loquor Teſtamento, quod Græcum eſſe non dubium eſt, excepto Apoſtolo Matthæo, qui primus in Judæa Evangelium Chriſti Hebraicis litteris edidit*, inquit S. Hieronymus Præf. in Evang. ad Damaſ. Verum cum nonnulli Syriace ſcripſiſſe putent Matthæum, id de ea intellige lingua, qua illis temporibus utebantur Judæi. Anno Æræ vulgaris 49. eodem Hieronymo teſte a Matthæo Evangelium elaboratum eſt, ad preces forſan diſcipulorum, aut Apoſtolorum juſſu. Matthæo proxime ſequitur Marcus Matthæi breviator juxta Auguſtinum. Romæ ſcripſit anno Chr. 43. Tertius inter Evangeliſtas inde ſequitur Lucas Pauli comes individuus; anno autem 56. litteris Evangelium ſuum conſignavit. Ultimus eſt Joannes, qui ab exilio redux anno 96. Æræ vulgaris *Coactus ab omnibus pene tunc Aſiæ Epiſcopis, & multarum Eccleſiarum legationibus, indicto etiam communi jejunio, precantibuſque fratribus*, ut ait Hieronymus de Script. Eccl. Evangelium conſcripſit. Nec plura nec pauciora Evangelia eſſe, quam iſta quatuor, Catholica fides docet ad retundendam illorum Hæreticorum audaciam, qui primis Eccleſiæ incunabilis tot venditarunt Evangelia quot Hæreſes. Eruditiſ. Calmet ſatis plenam elaboravit in Evangelia apocrypha diſſertationem, ad quam juvenes remittimus brevitati conſulentes.

Poſt quatuor Evangelia proxima ſunt *Acta Apoſtolorum*, Lucæ opus Evangeliſtæ, quo ut ait S. Joannes Chryſoſtomus t. 5. hom. 12. docemur non tam prodigia in eo quærenda,

renda, quam morum exempla & documenta virtutum. In hiſce conſcribendis id autem conſilii potiſſimum Lucas habuiſſe creditur, ut confictis aliorum fraude Apoſtolicis actis veram hanc & genuinam ab Apoſtolis Petro & Paulo præſertim rerum geſtarum ſeriem opponeret.

De Pauli Epiſtolis, quorum indicem initio operis dedimus, prolixius dicturi ſumus, quia licet treſdecim venerentur Proteſtantes, illam vero ad Hebræos ſpernunt, & rejiciunt cum Luthero ſuo. Quare poſita concluſione ipſam ab eorum calumniis tutabimur, in qua rectum quæſtionis ſtatum indigitabimus. Quod & præſtare operæ pretium erit, dum nonnullas ex Catholicis Epiſtolis cum Apocalypſi ab impiis eorum dicteriis tueri conabimur. Quare ſit

### Conclusio I.

*Epiſtola ad Hebræos Pauli eſt, & Canonica.*

*Sunt aliqui, qui Epiſtolam Pauli ad Hebræos non aſſerunt eſſe ipſius:* verba ſuut Philaſtrii in Catal. Hæreſ. Hujus erroris auctorem Epiphanius in 1. adverſus Hær. Marcionem fuiſſe ſcribit, cui Tatianus, teſte Euſebio, in eumdem errorem ſucceſſit, quem ſtolidi Anabaptiſtæ & Servetani blaſphemiis ſuis comprobarunt. Lutherus vero & Calvinus atque alii ex eorum officina Pauli Epiſtolam ad Hebræos de Canone non excluſeruut quidem, ſed Pauli eſſe negarunt illam vocantes Apoſtolico ſpiritu indignam. Quod ſane idem eſt ac ſi dicatur, illam non eſſe Canonicam. Quapropter ad Theſis probationem accedimus.

Demonſtr. prima pars Scriptura, ratione, & PP. Teſtimoniis. De hac igitur Epiſtola fit mentio in 2. Petri Epiſtola 3. 13. ſequentibus verbis: *Cariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam, ſcripſit vobis, ſicut & in omnibus Epiſtolis, loquens in eis de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras Scripturas, ad ſuam ipſorum perditionem:* in quibus ſane Petrum de Epiſtola ad Hebræos loquutum fuiſſe probant ſequentia momenta. 1. Quod Petrus Paulum ſcripſiſſe dixerit ad illos, ad quos & ipſe, nempe Hebræos ad fidem converſos, ut ſatis indicant verba capitis 3. 1. 2. Quod huic Epiſtolæ plurima intellectu difficillima interſerantur, quibus pravi ſpiritus & abuti poſſunt, imo & abuſi fuere, cujuſmodi illud eſt: *Impoſſibile eſt, eos qui ſemel ſunt illuminati &c.*

Id etiam validiſſime probat unanimis Eccleſiarum, PP. & Interpretum conſenſus, quo Paulus ejus Epiſtolæ auctor una

una voce ſtatuitur. Apud Græcam Eccleſiam nulla unquam hac de re ambiguitas. Siquidem Clemens Alexandrinus Hypotyp. apud Euſeb. lib. 6. & Stromat. lib. 2. & lib. 4. eam ſub S. Pauli nomine allegat. Origenes etiam ſub Pauli nomine producit lib. 3. contr. Celſ. & quamvis alibi de ejus auctore dubitaverit, Pauli tamen ſenſa præferre fatetur, & ſi qua in Eccleſia ſub Pauli nomine legitur, ſuam ab ea traditionem non eſſe dimittendam ſtatuit apud Euſeb. lib. 6. Hiſt. Eccl. *Non enim*, ait, *eam fruſtra veteres Paulo tribuerunt*. Adde Dionyſium Alexandrinum, Alexandrum Alexandriæ Epiſcopum, Antiochenum Concilium, S. Athanaſium, Cyrillum Hieroſolymitanum, Caſilium, Gregorium Nazianz. & Nyſſenum, Amphilochium, Epiphanium, & omnes denique Græcos, qui uno ore hanc Epiſtolam Paulo adſcribunt. Apud Latinam vero, quamvis Eccleſia iſta de ejus auctore aliquamdiu dubitaverit, mature tamen ſatis cum Græcis convenire decrevit, & a 4. ſæculo ad noſtrum uſque nullum de hoc inter utramque Eccleſiam diſſidium, ut probant teſtimonia Hilarii, Ambroſiii, Fauſtini Presbyteri Romani, Gaudentii Epiſc. Brix. Ruffini, Paulini, Innocentii Primi, aliorumque plurium. Videri poſſunt teſtimonia congeſta apud Spanhemium tract. de auctore Ep. ad Hebræos p. 1. c. 6. & Tillemontium not. 72. ſur S. Paul, & Millium Prolog. Ep. ad Hebr. Denique, ut rem totam abſolvamus, Clementi adſcribi nequit hæc Epiſtola, ut putavit Eraſmus in cap. 13. ad Hebræos, quoniam hoc in loco hortatur auctor Hebræos, ut pro ſalute ſua orent, ut poſſit citius ad eos reverti: Sic enim ait: *Amplius deprecor vos hoc facere, quo celerius vobis reſtituar*. Clemens vero Romanus fuit, & nunquam Urbe abfuit. Neque Barnabæ adjudicari poteſt, ut Camero voluit q. 2. in hanc Epiſtolam. Siquidem major Scriptorum pars Italiam veniſſe negat, quidquid in apocrypho Clementis Itinerario ſcriptum extet. Econtra ex hujus Epiſtolæ ſubſcriptione in Græcis codicibus conſtat, hanc Epiſtolam ſcriptam eſſe ab Italia per Timotheum. Ἐγράφη ἀπὸ Ἰταλίας, verba ſubſcriptionis ſunt, διὰ Τιμοθέου, quod etiam tenuit Chryſoſtomus. Somniaſſe puto Sixtum Senenſem, qui Hæreſ. 8. lib. 7. probare nititur, Epiſtolam hanc non eſſe Tertulliano adſcribendam. Quem habeat adverſarium prorſus ignoro. Probatur modo ſecunda pars, quæ licet ex præcedentibus ſatis tecta remaneat ſaltem quoad PP. Traditionem, quoniam Paulo ſine Canonicitate adſcribi non potuit,

potuit, nihilominus ſi aliqua ſunt prætermiſſa hoc in loco per compendium referemus. Hujus igitur Epiſtolæ Canonicitatem ſatis ſuperque comprobant Sacroſancta Conciliorum Decreta: maxime vero ſacratiſſima Nicæna Synodus eam tanquam ab Apoſtolo Paulo ſcriptam inter ſacra volumina recepit, & Concilium Laodicenum in catalogo retulit, & Concilium Carthaginenſe 3. & Arauſicanum Canoni inſeruere, quibus & Innocentii I. Gelaſii, & Eugenii IV. decreta ſubſcribunt. Nec certe Auguſtinus prætermittendus erat, qui ſe malle, dixit, Orientalium Eccleſiarum ſequi auctoritatem, apud quas numquam fuit de hac Epiſtola dubitatio: *Morbo* ergo, ſic cum Theodoreto concludimus, *Morbo* ergo *Arriano laborant, ſi adverſum litteras Apoſtolicas furiant, & Epiſtolam ad Hebræos a reliquis ſeparent*. Atque hæc adverſus hujus Epiſtolæ hoſtes dicta ſint ſatis. Nunc eorum tela ſunt propulſanda.

*Solvuntur Objectione.*

Ob. 1. Hæc Epiſtola favet Novatianis, quoniam legimus c. 6. *Impoſſibile eſt, eos, qui ſemel ſunt illuminati, iterum renovari ad pœnitentiam:* & c. 10. *Voluntarie peccantibus poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccato hoſtia*: Ergo &c.

Reſp. Ut his ſatisfacias, neceſſe eſt, ſeptem veritatis capita amplectare. 1. Illud *Impoſſibile* idem valere ac *difficillime*. 2. Baptiſmum non iterari. 3. Chriſtum bis mortem ſubire non poſſe. 4. Graviora crimina poſt Baptiſmum admiſſa ægre condonari. 5. Nullum crimen veniæ incapax eſſe. 6. Nullas in Moſaica lege hoſtias eſſe expiandis criminibus aptas. 7. Unam denique obtinendæ peccatorum poſt Baptiſmum admiſſorum veniæ rationem eſſe Pœnitentiæ Sacramentum. Ex his præmiſſis veritatis regulis ſolutum habes adverſariorum argumentum. Reponi enim poteſt juxta Regulam 1. & quartam, & quintam cum Lyrano, Zegero, Ribera, Eraſmo, Grotio, aliiſque, per illud *Impoſſibile* deſignare Apoſtolum, quam difficillime contingat iis, qui graviſſimorum criminum, diſceſſionis præſertim a fide, culpam incurrerunt, ſcelus expiare. Quam interpretationem confirmat vetus Eccleſiæ conſuetudo, qua rei capitalium criminum ad Pœnitentiam minime admittebantur. Quam ſeveritatem cum vel primis ſæculis Eccleſia leniverit Concilio Nicæno adprobante, Novato, Novatiano, & Tertulliano non valde arriſit. Vel juxta ſecundam dici poteſt, de Baptiſmo aquæ Apoſtolum eſſe explicandum, quem Baptiſ-

Baptiſmum iis opponit Baptiſmis, ſeu luſtrationibus Judæorum, quæ ſæpe adeo iterabantur, quoties admiſſarum ſordium maculæ exigebant: In quam ſententiam conveniunt PP. ferme omnes, qui ex mero litteræ ſono illud *Impoſsibile* interpretantur. Quæ reſponſio licet non tam valide premat adverſarios, altero explicando teſtimonio videtur congruentior. Siquidem dum innuit Apoſtolus, quod ſemel peccantibus non relinquitur hoſtia pro peccatis, hoſtiam vocat Baptiſmum, perinde ac ſi dixiſſet: Quemadmodum Chriſtus iterum mori non poteſt, ita & vos iterum ablui Baptiſmo, mortis Chriſti ſymbolo, non poteſtis, quippe qui cum eo aquis ſalubribus ſepulti eſtis, atque in vitam quodammodo revocati, dum una cum Chriſto ex iis aquis emerſiſtis. Quibus non intellectis proprio marti indulgentes Novatiani a pœnitentia peccatores arcebant.

Ob. 2. Caput 1. hujus Epiſtolæ favet Arrianis: Ergo &c. Prob. ant. Verbum vocatur *ſplendor gloriæ & figura ſubſtantiæ Patris*, ipſumque factum dicitur: *Tanto melior Angelis effectus* &c. Ergo &c.

Reſp. Iſta neutiquam Arriana eſſe. Filius enim Dei jure ſplendor Patris vocatur; quemadmodum enim facis jubar ejuſdem naturæ eſt cum facis lumine, ita filii Patriſque natura una eademque ſunt. Pater gloria, filius manans ex eo ſplendor, vel radius eſt Deus de Deo, lumen de lumine, inquit in hunc locum Chryſoſtomus. Quæ non ita accipienda ſunt, quaſi Verbum ſit lumen ex alio acceptum, vel tanquam lucidi corporis accidens. Eſt enim lux per ipſam ſui ſubſtantiam, radius ab ipſo manans Patre, luce illius illæſa, indiviſa, nulla gignentis diminutione. Quæ magis conſtant ex quo vocet Paulus filium figuram ſubſtantiæ Patris, imaginem ſcilicet permanentem ſimillimam, ac ſubſtantialem juxta Chryſoſtomum, Auguſtinum, Theodoretum, alioſque Patres. Neque ſane in rerum natura aliud occurrit exemplum, quo aptius exprimatur plena abſolutaque Patris cum filio conſubſtantialitas cum Perſonarum diſcrimine, quamquam in eo exemplo difficultatis nonnihil occurrit, cum imago, & ſigillum alterius ſit a re expreſſa ſubſtantiæ. At fruſtra ſperamus in rebus creatis exempla abſolutiſſima rem exprimentia omnibus naturæ legibus ſuperiorem. Ex quo vero filium dicat meliorem Angelis effectum, creatum minime intelligas. Attingit enim Apoſtolus hicce in verbis naturam a filio aſſumptam, videlicet humanam, poſtquam de ejus divinitate ſupra diſſeruerat; quæ ſane

nie humana natura melior Angelis effecta eſt, quando poſt reſurrectionem cum divina hypoſtaticæ unionis vinculo conjuncta, in eam gloriam, qua antea caruerat, evecta eſt; adeoque & ille, qui natura hominum aſſumpta ſervi imaginem prætulerat, poſt Reſurrectionem gradum obtinuit Angelis & Archangelis ſuperiorem, quibus ſubmittere ſeſe exuviis hominum aſſumptis voluit.

Ceterum præſtat hoc in loco adnotare, propter hæc teſtimonia, quæ prima fronte Arrianis & Novatianis favere videntur, diu in Eccleſia Latina de auctoritate hujus Epiſtolæ dubitatum fuiſſe.

Ob. 3. Cap. 9. verſ. 15. auctor hujus Epiſtolæ ab etymologia voci ברית berith *fœdus* diſcedit pro Teſtamento uſurpans: Ergo non eſt Paulus auctor hujus Epiſtolæ.

Reſp. Simili argumento probari poſſe, nec Barnabam, nec Clementem, nec alium quemvis auctorem eſſe hujus Epiſtolæ. Nihilo tamen minus fatemur Paulum ex Teſtamento *fœdere* ad Teſtamentum proprie dictum tranſire. Sed hoc nihil officit. Siquidem iſta conciliari poſſunt. Teſtamentum enim proprie dictum ut executioni mandetur, oportet, quemadmodum in ceteris, Teſtatoris mortem intercedere, alioquin Teſtamentum viribus & effectu caret. Opus igitur fuit, mortem Chriſtus oppeteret, antequam nos hæredes, in quorum gratiam conditum eſt Teſtamentum, bonorum illius poſſeſſionem ac promiſſionum finem aſſequeremur. Cum vero Teſtamenti ſeu fœderis nomen interdum improprie uſurpetur pro fortunis, quas populo pollicitus eſt Deus, ea conditione, ſi integram Deo fidem ſervaret, fortaſſe Paulus hoc dicere voluit, opus eſſe intercedere Teſtatoris mortem, antequam locum habeat, aut expleatur Teſtamentum ſeu fœdus, quia quæ nobis promiſit Deus omnia nituntur merito mortis Chriſti, non prius implendam, quam ille ferretur in cœlum. Quamobrem non multum recedere neceſſe eſt ab acceptione *Teſtamenti* pro fœdere uſurpati, & Teſtatoris pro Sponſore, qui præcipua pars ſponſionis eſt. Ita conciliari poſſunt Eruditorum opiniones, qui fuſiſſimas de hoc argumento in utramque partem exercitationes edidere. Vid. Codurci diſſertationem in hunc loc. in Crit. Lond. & Vindicias Teſtamentarias Guiccardi.

Ob. 4. Caput nonum hujus Epiſtolæ opponitur capiti 8. lib. 3. Reg. Ergo &c. prob. ant. Primo loco habetur quod in Arca Teſtamenti erat *Urna aurea habens Manna, & Virga,*

*ga, quæ fronduerat, & Tabulæ Teſtamenti;* 2. vero loco dicitur: *In Arca autem non erat aliud, niſi duæ Tabulæ lapideæ*, quibus verbis ſuffragatur Exod. 16. & Joſephus Antiq. c. 6. lib. 6. & lib. 8. c. 2.

Reſp. Ut iſta concilientur, dicimus varia eſſe tempora diſtinguenda. Prius enim Manna ab Aarone poſita fuit uſque ad Arcæ formationem in Tabernaculo. Poſt Tabulas lapideas digito Dei conſcriptas Manna cum Aaronis Virga fuerunt in Arca, ad quod tempus appellat Paulus. Poſt Arcam vero in Templum translatam Urna Mannæ, & Aaronis Virga conditæ fuerunt in Templi Ærario, aliove loco rebus ſacris convenienti. Hæc eſt Grotii ſententia. Neque enim illam Natalis Alexandri reſponſionem probare poſſumus, qua exiſtimat verba illa *in Arca* pro *prope Arcam* ſumi debere; ſiquidem Tabulæ lapideæ, quibus allata verba ſimiliter conveniunt, haud dubie fuerunt in Arca. Qua in re erraſſe etiam arbitror Ludovicum de Dieu, Jacobum Capellum, Buxtorphium.

Ob. Ultimo. Auctor hujus Epiſtolæ teſtatur ſe a diſcipulis Domini inſtructum fuiſſe, & S. Paulus non *ab hominibus, neque per hominem* inſtructum ſe fuiſſe pronunciat: Ergo &c.

Reſp. Neg. antec. Siquidem argumentum, quod conflatum eſt ex illis verbis: *quomodo effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem? quæ cum initium accepiſſet enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata eſt*, facile ſolvitur iiſdem verbis, prout in Græca verſione conſpiciuntur, quæ ſic ſe habent: ἀπὸ τῶν ἀκουσάντων εἰς ἡμᾶς ἐβεβαιώθη, ideſt *ab his, qui audierunt, in nos vel uſque ad nos confirmata eſt*. Quæ verba ſi accurate penſitentur, non excludunt Dominicam in Paulo doctrinam.

## Conclusio II.

*Epiſtolæ Jacobi, Judæ, 2. Petri, 2. & 3. Joannis Canonicæ ſunt.*

Theſis eſt contra Lutherum, qui cum duas tantum Canonicas Epiſtolas intactas reliquerit, quinque alias in propoſitione deſcriptas rejicit, conculcatque.

Demonſtr. Iſtas Epiſtolas merito Canonicas appellari, & divinæ eſſe auctoritatis conſtat ex Concilio Laodiceno, ex S. Athanaſio in Synopſi, ex S. Gregorio Nazianzeno in Carmine, S. Hieronymo Ep. ad Paulinum, cujus verba omnino non ſunt prætermittenda. *Jacobus, Petrus, Joannes, Judas, ſeptem Epiſtolas ediderunt tam myſticas, quam ſuc-*

 *cinctas,*

*cinctas*, *& breves pariter ac longas*, *breves in verbis*, *longas in ſententiis*, *ut rarus ſit*, *qui non in eorum lectione cæcutiat*. Idem tradiderunt Innocentius I. Ep. ad Exuper. S. Auguſtinus lib. 2. de Doct. Chr. Gelaſius Pap. in Synodo Romana, aliique PP. qui Canonicarum Scripturarum Canonem poſtmodum texuerunt. Ex quibus ſatis luculenter Proteſtantium audacia comprimitur.

*Diluuntur Objecta.*

Ob. 1. Epiſtola Jacobi pugnat cum Pauli doctrina: Ergo &c. Prob. ant. Paulus ad Romanos ſcribens hæc habet: *Credidit Abraham Deo*, *& reputatum eſt illi ad juſtitiam*. Ex quibus infert Apoſtolus, hominem non ex operibus, ſed ex fide juſtificari. Econtra Auctor hujus Epiſtolæ ſtatuit, hominem ex operibus juſtificari, non ex fide dicens: *Abraham Pater noſter nonne ex operibus juſtificatus eſt?*

Reſp. Paulum in Epiſtolis docuiſſe, Abrahamum non adeptum fuiſſe juſtitiam ex circumciſione, aut ex legis operibus ad Rom. 4. 3. Gal. 3. 6. Ex his colligebant Simoniani, & ex malis Chriſtianis, nonnulli opera ſaluti eſſe inutilia. Horum errorem damnat Jacobus, oſtenditque mortuam ſterilemque fidem non fuiſſe Abrahamo; crediddiſſe illum & feciſſe, integramque Deo obedientiam ac fidem geſtis omnibus exhibuiſſe, cujus ſpecimen perſpicuum fuit prompta animi præparatio, qua filium obtulit ſacrificandum. Paulus idem non ſemel Abrahami nedum fidem, ſed fidelitatem & obedientiam commendat ad Heb. 11. 17. 18. ac diſerte docet, non auditores legis juſtos fieri apud Deum, ſed executores Rom. 11. 13. Legendus omnino D. Auguſtinus de fid. & Op. c. 14. de Prædeſt. SS. c. 7. & Præfat. Enarrat. Pſal. 31. quibus in locis Pauli & Jacobi teſtimonia conciliat.

Ob. 2. Contra hanc Epiſtolam non contemnenda adducuntur veterum teſtimonia. Euſebius lib. 2. Hiſt. Eccleſ. c. 23. hæc habet: *A nonnullis non recipitur* (hæc Epiſtola), *nec facile quis antiquorum meminit ejus*. D. Hieronymus in lib. de viris illuſtribus ſic ſcripſit c. 3. *Jacobus frater Domini unam tantum ſcripſit Epiſtolam*, *quæ de ſeptem Canonicis eſt*, *quæ & ipſa ab alio quodam ſub nomine ejus aſſeritur*, *licet paulatim tempore procedente obtinuerit auctoritatem:* Ergo &c.

Reſp. Quod ſi Euſebii verba ad trutinam revocare placeat, ex illis hoc conſtat, quod nos ultro lubenterque concedimus, videlicet primis Eccleſiæ temporibus de auctorita-

te harum Epiſtolarum fuiſſe a nonnullis, ut inquit Euſebius, dubitatum, quod & aliis pluribus ſacris libris eveniſſe hue uſque monſtratum eſt; quin aliqua iis detraheretur auctoritas. Cujus reſponſionis vis & robur colligitur ex præcedentibus. Ad teſtimonium vero Hieronymi quod attinet, contra adverſarios retorquetur. Siquidem S. Doctor clare & aperte abſque ulla ambiguitate fatetur, ab Jacobo hanc Epiſtolam ſcriptam fuiſſe, a nonnullis ſub diverſo nomine venditam, quod non negamus, procedente tamen tempore ſuam in Eccleſia obtinuiſſe auctoritatem. Quæ omnino jugulant Proteſtantium catervam.

Ob. 3. contra 2. Petri eodem argumenti genere. Euſebius lib. 3. hiſt. Eccl. hac habet: *Petrus Apoſtolus prædicationis ſuæ monumenta perpauca reliquit; una etenim ejus Epiſtola eſt, de qua nullus omnino dubitavit, nam de 2. multis incertum eſt:* & D. Hieronymus lib. de Viris Illuſtribus: *Secunda*, inquit, *Petri Epiſtola a pleriſque ejus eſſe negatur propter ſtyli ejus cum priori diſſonantiam:* Ergo &c.

Reſp. & hoc puerile eſſe argumentum. Cum enim Lutherus contendit, eſſe de 2. Petri dubitandum propter verba Euſebii & Hieronymi, non animadvertit, illos non ſuam, ſed quorumdam referre opinionem quidem incertam, ac proinde ſequi, quod ſi propterea liceret de hac ambigere epiſtola, quoniam aliqui de ejus auctoritate dubitarunt, liceret quoque Chriſti divinitatem in controverſiam adducere, quia de ea aliquando ab Apoſtolis nondum plene credentibus ante ſuſceptionem Spiritus S. dubitatum eſt. Quare ſi tempore Euſebii pleriſque incerta fuit, quod nondum quidquam de ea definierat Eccleſia, nunc poſt Eccleſiæ definitionem adeo certa eſt, ut nullus incredulitati locus remaneat. De ſtyli diverſitate, qua inter ſe duæ Petri Epiſtolæ diſſident, Hieronymus in quæſtionibus ad Hedibiam ſatisfacit hiſce verbis: *Duæ Epiſtolæ, quæ feruntur Petri, ſtylo inter ſe & charactere, ſtructuraque verborum diſcrepant.* Ex quo intelligimus, Petrum pro neceſſitate rerum diverſis fuiſſe uſum Interpretibus. Ex quibus ſequitur, Hieronymianam ſententiam eſſe, ſtyli diverſitatem diverſos arguere interpretes, non auctores.

Ob. 4. contra 2. & 3. Joannis. In hiſce duabus Epiſtolis auctor ſe appellat Presbyterum, non Apoſtolum. Unde Hieronymus de viris illuſtribus ait, quod harum Epiſtolarum auctor Joannes Presbyter, non Apoſtolus aſſeritur.

Reſp. Joannem appellari Presbyterum non Apoſtolum,

quoniam eo uſque ætatis pervenit, ut ſenio conficeretur, neque Hieronymi verba harum Epiſtolarum auctoritatem ullimode oppugnant, quoniam ex ſequentibus ejuſdem S. Doctoris verbis ſatis conſtat, ipſum alienam, non propriam exhibuiſſe ſententiam. Inquit enim: *Hoc autem diximus propter ſuperiorem opinionem, quam a pleriſque retulimus traditam, duas poſteriores Epiſtolas Joannis, non Apoſtoli eſſe, ſed Presbyteri.*

Ob. ultimo Auctor Epiſtolæ Judæ duo maxima comprobat abſurda, videlicet Prophetiam Enoch, & altercationem Michaelis cum diabolo de corpore Moyſis, de quibus altum in Scripturis Sanctis ſilentium. Quomodo ergo Canonica erit Epiſtola iſta?

Reſp. Utique concedendum, hæc de Prophetia Enoch, & de altercatione Michaelis cum Diabolo deſumpta fuiſſe teſtimonia ex antiquis verbis, quorum titulus erat, *Aſſumptio Moyſis*, & *Apocalypſis Henoch*. Quæ ex hiſce libris citavit Apoſtolus, vera erant, licet uterque liber acanonicus haberetur. Etiam Paulus plura Gentilium citavit teſtimonia; quid inde? Lege D. Hieronymum in Comm. Epiſt. ad Titum.

## Conclusio III.

*Apocalypſis Joannis inter Canonicas Scripturas recipienda.*

Contra Lutheranos divinitas hujuſce libri defenditur, quem nec Apoſtolicum, nec Propheticum, ſed ſimilem libro 4. Eſdræ iniquiſſime prædicant.

Dem. ex Conciliorum Sanctionibus, & omnium PP. conſenſu. Et quidem Apocalypſis Joannis citatur Can. ultimo Ancyrani Concilii, Carthaginenſi 3. Can. 47. Concilio Romano ſub Gelaſio I. Toletano 4. Can. 16. in quo præſertim plura aliorum Conciliorum & Pontificum Decreta recenſentur. Ex PP. Græcis vero innumeri ſunt, qui hujus libri tuentur divinitatem. Juſtinus in Dialog. cum Tryphone, Irenæus lib. 5. Theophilus Antiochenus, Melito Sardenſis, Dionyſius Alexandrinus, Clemens Alexandrinus lib. 2. Pædagogi, Origenes Hom. 7. in Joſue, Athanaſius in Synopſi, Epiphanius Hæreſ. 51. Damaſcenus lib. 4. c. 18. Et ex latinis Tertullianus lib. 4. contr. Marcion. Cyprianus de exhort. Martyr. Hilarius Præfat. in Pſal. Ambroſius in Pſal. 40. Auguſtinus Tract. 36. in Jo. Innocentius I. in Ep. 3. ad Exuper. Ruffinus in Expoſit. Symboli, S. Hieronymus in Epiſt. ad Paulin. & in Ep. ad Dardanum. Quæ omnia ſatis ſuperque oſtendunt de Joannis Apoca-

calypſi exploratiſſimam Eccleſiæ Traditionem.

*Diluuntur objecta.*

Ob. 1. cum Eraſmo. Hujus revelationis mentionem nullam fecerunt Dorotheus & Anaſtaſius, & quidam alii dubitarunt, num eſſet Joannis, ut Dionyſius & Euſebius: Ergo &c.

Reſp. Hæc eſſe inter leviora leviſſima. Siquidem excepto Euſebio, qui aperte in Chronico declarat, ſe minime de hujus libri auctore vel auctoritate dubitaſſe, quid ceteri referunt, cum ſatis ſuperque ex ſuperioribus aperte conſtet de PP. Traditione?

Ob. 2. In Græcis Codicibus legitur, hanc Apocalypſim Joannis Theologi eſſe, non Apoſtoli: Ergo &c.

Reſp. Oſtendat Eraſmus, quiſnam fuerit Theologus iſte, ſi non eſt Joannes Evangeliſta, qui Theologus a pluribus PP. eſt nuncupatus, quod clarius conſtat ex tract. 36. Auguſtini in Joannem, qui Aquilæ hunc Apoſtolum comparavit, quoniam de Verbi divinitate ſublimius, quam ceteri, conſcripſit. Interim Deo gratias referamus, quod ad finem ſecundi hujus libri feliciter devenerimus.

# LIBER TERTIUS.

## *De Conciliis.*

Monitum. Debueramus certe in præcedenti libro de judice controverſiarum agere, & præſenti de Traditione differere. Verum cum exacte & ſubtiliter hæc duo abſolverit Vir incomparabilis, & doctrina ſummus P. M. Berti de Theolog. Diſc. lib. 23. capitibus 3. 4. 5. idcirco noluimus turbido cœno puriſſimas nitidiſſimi hujus fontis aquas perturbare, ad quem remittimus lectorem, qui a doctiſſimo Buzio hoc in compendio contracte omnia habere poterit enucleata. Nil mirum ergo, ſi ad tertium Theologicum locum properamus. Hæc diximus, ut nullus eſſet increpationi locus.

## CAPUT I.

### *De Conciliorum auctoritate.*

CONcilii nomine nil aliud venire compertum eſt apud omnes, quam *Eccleſiæ præſulum conventum ad agendum de rebus ad Eccleſiam ſpectantibus*. Hæc eſt accurata Concilii vel Synodi notio, quidquid obganniant Lutherani præſumentes Concilium conſtruendum Rhetorum & Laicorum turba, qui non ratione, traditione, vel ſcriptura, ſed verbis tantummodo & clamore prævaleant. Hac poſita generali prænotione videndum, quænam ſit conciliorum auctoritas. Quod ut facilius aſſequamur, præmittendam cenſemus quamdam de convocatione VIII. priorum Conciliorum Generalium hiſtoriam ſequenti methodo. Primum Concilium Generale fuit Nicænum I. celebratum anno 325. convocatum a Conſtantino M. juxta Euſebium lib. 3. de vit. Conſt. 6. hiſce verbis: *Deinceps igitur Concilium Generale tanquam Dei exercitus inſtruens in unum locum coegit, & Epiſcopos undique per litteras honorifice ſcriptas, ut eo maturarent, accivit*. Idem teſtati ſunt Ruffinus lib. 1. c. 1. Socrates l. 1. c. 5. Theod. lib. 1. c. 7. aliique.

Conſtantinopolitanum Primum, quod eſt generale ſecundum, convocatum fuiſſe a Theodoſio Seniore teſtatur Socrates lib. 5. hiſt. c. 8. dicens: *Imperator nulla mora interpoſita Concilium Epiſcoporum ipſius fidem amplectentium convocat, quo fides Concilii Nicæni corroboraretur*.

III. Generale, quod eſt Epheſinum I. ex nutu & mandato Theodoſii Junioris celebratum fuiſſe teſtatur Evagrius hiſt. lib. 6. c. 3. dicens: *Neſtorius, neque Cyrillo, neque Cæleſtini antiquæ Romæ Epiſcopi Conciliis obſecundavit, ſed ſuum ipſius virus nihil veritus evomuit in Eccleſiam, poſtulavitque ut auctoritate, ac nutu Theodoſii Junioris, qui tum Orientis adminiſtravit Imperium primum Concilium Epheſinum cogeretur*, quod & ita factum eſſe patet ex geminis litteris Imperatorum Valentini, qui Occidenti, Theodoſii, qui Orienti imperabat. Quas legere licet in Collectione Severini Binii t. 1. Act. Epheſinæ Synodi c. 7. & 25. Edit. Rom. prim. part. &c.

Quartum Concilium Generale, quod eſt Chalcedonenſe, convocarunt Valentinianus & Marcianus Imperatores, ſic enim habetur Act. 1. *In nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti in*

*in Chalcedonenſi Civitate facta eſt Synodus ex Decreto piiſſimorum & fideliſſimorum Imperatorum Valentiniani & Marciani.*

Quintum Generale, quod eſt Conſtantinopolitanum ſecundum, indictum fuiſſe a Juliano Imperatore teſtis eſt Evagrius lib. 4. hiſt. c. 37. idque amplius conſtat ex ejuſdem Imperatoris Epiſt. quæ initio Concilii legitur.

Sextum Generale, quod Conſtantinopolitanum tertium dicitur, vel Synodus ſexta in Trullo, convocavit Conſtantinus Pogonatus nepos Heraclii, ut patet ex Binii Ep. ipſius, quæ habentur in veſtigio Concilii, altera ad Dominum Papam Romanum, altera ad Gregorium Conſtantinopolitanum, quibus ipſos ad Concilium evocat. Idem aperte profitentur Synodi PP. Act. 1. hiſce verbis: *Conveniente quoque S. & univerſali Synodo, quæ ſecundum Imperialem ſanctionem congregata eſt.*

Septimum Generale, quod eſt Nicænum 2. indictum eſt ab Imperatore Conſtantino VI. ejuſque matre Irene, ut patet tum in exordiis omnium actionum, quæ 8. ſunt, ubi id aſſeritur tum ex eorumdem Auguſtorum Epiſtola ad Hadrianum Papam: *Decrevimus*, inquiunt, *ut fieret univerſale Concilium, & rogamus veſtram Paternam Beatitudinem, ut det ſeipſam, & nullam tarditatem faciat, & aſcendat huc &c.*

Octavum Generale Concilium, quod eſt Conſtantinopolitanum 4. convocatum fuiſſe ab Imperatore Baſilio conſtat ex act. 1. ubi hæc leguntur: *Obſequente divinæ voluntati atque Decreto Baſilio Deo amiciſſimo Imperatore noſtro, qui univerſalem Synodum congregans &c.*

Ex hac hiſtoriola certum eſſe videtur, Concilia Generalia aliquando ab Imperatoribus convocata fuiſſe, neque id quiſquam in dubium vocat, ſed cum adeo conſtanter prima Concilia Generalia convocata fuerint ab Imperatoribus, dubitatur a quibuſdam, an non ex officio, & auctoritate ſua id fecerint, an auctoritate ſummi Pontificis.

Qui volunt, jus convocandi Concilia eſſe penes Imperatorem, dicunt: Principes ſtatutos eſſe a Deo ad gubernandos populos, & conſervandum ordinem publicum in iis regionibus, quarum ſunt domini, ex altera parte conſervatio Religionis valde confert bono, & Regni tranquillitati, neque altera eſt tutior via ad præſervandam Religionem, quam Concilia convocare: Per hæc veritas elucet, ſana doctrina confirmatur uſque ad fundamenta, & vincula caritatis, & communionis fraternæ inter fideles continentur.

Quæ

Quæ cum ita eſſent, rationabiliter tenuere omnes, 1. labente Eccleſiæ ſæculo jus convocandi concilia pertinuiſſe ad illum, cui vi dignitatis ſuæ incumbebat vigilare ad bonum Regni. His addendum, quod quando eſt de fide & moribus controverſia, homines impii, & effrenes omnibus artibus utuntur vel ad evitandas condemnationes, vel ad effugiendam pœnam in ipſos pronunciatam. Ulterius tunc Eccleſia vim non habebat coactivam, ſed ſimplicem exhortationis vocem, neque adhibere poterat, niſi pœnas medicinales & ſpirituales. Neceſſarium ergo eſt ad eos confugere, qui habent gladium, hoc eſt ad Principes, ne ullus audeat reſiſtere Conciliis eorum auctoritate convocatis. Addunt etiam officium Imperatorum & Principum proprium videri concilia congregare, utpote qui ſint cuſtodes & protectores Eccleſiæ, adeoque debeant illius fidem, diſciplinam ac pacem tueri, atque exterius curare omnia, quæ ad eam conſervandam neceſſaria ſunt. Inter hæc autem præcipuum eſſe Concilia congregare. Unde Euſebius lib. 1. vit. Conſtant. c. 37. inquit: *Conſtantinus M. veluti communis Epiſcopus ut pacem Eccleſiis redderet ac diſciplinam Eccleſiaſticam ſanciret, Synodos convocavit*. Regerunt ulterius diſtinguendum eſſe inter conſenſum convocandi concilia, & jus vel auctoritatem, nam conſenſum quidem Summi Pontificis juxta Canones requiri admittunt, convocanda tamen ab ipſo concilia omnimode negant. Nec aliquid evinci putant ex antiquiſſimo Canone, quo ſtatuitur, præter ſententiam Romani Pontificis non poſſe Concilia celebrari, quem Canonem commendat Julius I. in Ep. ad Epiſcopos Orientales, & illius meminerunt Socrates lib. 2. c. 5. & 13. nec non Sozomenus lib. 3. c. 9. Eumdem PP. Nicænis adſcribit Synodus Alexandrina ad Felicem I. quamquam inter alios Canones Nicænos genuinos non extet, & ipſum falſitatis inſimulent dicentes, deductum eſſe hunc a quadam Epiſtola falſo tributa Julio Papæ I. quæ continet reſcriptum contra Orientales pro Athanaſio. Dominus Brignonus in ſuis notis aſſerit, hanc Decretalem uſſe alteratam, plenam mendis, & ex differentibus fragmentis compoſitam. P. Labbè ulterius quoque progreditur, & libere aſſerit, ipſam eſſe ex toto falſam, & ex placito compilatam t. 3. Concil. p. 485. & 494. Videtur juxta ipſum ſcripta in odium Concilii Antiocheni an. 341. celebrati, quodque magis ipſius falſitatem oſtendit, illud eſt, quod illa directa eſt ad Conſules Felicianum, & Titianum, qui juxta faſtos conſulares

Con-

Conſules fuerunt an. 337. Ch. & per conſequens quatuor annis ante celebrationem Concilii. Quidquid tamen ſit de his.

## C o n c l u s i o.

*Concilia ad hoc ut ſint legitima, & generalia, auctoritate Pontificis Romani ſunt congreganda, & ab ipſo rata habenda.*

Dem. Si enim convocare Proceres Regni ad tractanda negotia politica ad illorum auctoritatem pertinet, qui gerunt poteſtatem civilem, profecto ad poteſtatem ſpiritualem etiam pertinet convocare Epiſcopos Eccleſiæ ad tractanda negotia eccleſiaſtica. Petro enim, & non Imperatoribus, aut Principibus ſæcularibus Eccleſiam ſuam in ſpiritualibus regendam Chriſtus commiſit. Prob. 2. Concilium Generale ab eo indici debet, qui poteſtatem habet omnes cogendi. At nullus unquam Imperatorum totam Eccleſiam ſubjectam habuit. Econtra vero Romana Sedes *latius præſidet Religione divina, quam dominatione terrena*, ut inquit S. Leo ſerm. 1. de SS. Petro & Paul. Et S. Proſper Carm. de ingrat. canit:

*Sedes Roma Petri, quæ Paſtoralis honoris*
*Facta caput mundo, quidquid non poſſidet armis,*
*Relligione tenet.*

3. Concilia Provincialia jure indicuntur a Metropolitano, Nationalia a Primate vel Patriarcha, quod fatentur etiam adverſarii, ut Calvin. lib. 4. Inſtit. c. 7. §. 8. & Illyricus Cent. 4. c. 7. coll. 534. Ergo & generalia ab univerſali Paſtore, non ab Imperatore debent convocari.

*Diluuntur Objecta.*

Ob. 1. Primum Generale Concilium Nicææ celebratum an. 325. Paulino & Juliano Coſs. indictum & convocatum fuit a Conſtantino Imperatore, teſte Euſeb. auctore ſynchrono de vit. Conſt. lib. 3. c. 6. ubi legitur, hunc Principem convocaſſe Concilium & Epiſcopos invitaſſe, ut quantocius Nicæam pervenirent. Quod etiam teſtantur Socrat. lib. 3. c. 8. & Sozom. lib. 1. c. 17. & Theod. lib. 1. c. 7. quorum nemo commemorat, Sylveſtrum hac in convocatione habuiſſe partem, quod non prætermiſſum fuiſſet: Ergo &c.

Reſp. in 6. Synodo Act. 18. de hoc Nicæno Concilio legimus: *Conſtantinum & Sylveſtrum Synodum apud Nicæam congregaſſe*. Damaſus quoque in Pontificali ſcribit, cum Sylveſtri conſenſu habitum eſſe in Nicæa Concilium.

Ex

Ex quibus non ſolum propulſantur adverſariorum argutatiunculæ, ſed etiam obiter colligimus, falſum eſſe, quod nimis confidenter Pighius aſſeruit lib. 6. cap. 1. de Eccleſiaſtica Hierarchia, Conciliorum videlicet convocationem inventum eſſe M. Conſtantini.

Ob. 2. Concilium Conſtantinopolitanum primum habitum Siagrio et Eucherio Coſſ. ſola auctoritate Imperatoris Theodoſii convocatum: Ergo &c. Prob. ant. Nullus hiſtoricus convocationem illius Concilii tribuit Damaſo tunc Papæ: Ergo &c.

Reſp. Nego utrumque ant. Siquidem de primo Conſtantinopolitano Concilio refert Theodoretus, Imperatorem non tam illum indixiſſe, quam litteras Pontificis Damaſi, quibus Concilium indicebatur, ad Epiſcopos miſiſſe. Sic enim ſcribunt Epiſcopi congregati in illo Concilio Damaſo Papæ: *Mandato litterarum ſuperiore anno a veſtra Reverentia ad Sanctiſſimum Imperatorum Theodoſium miſſarum ad iter dumtaxat Conſtantinopolim uſque faciendum, nos præparavimus.* Theodoſius ergo Concilium indixit quidem, ſed ex mandato Damaſi Papæ. Unde in 6. Synodo Act. 18. PP. dicunt, Theodoſium et Damaſum obſtitiſſe Macedonio per 2. Synodum.

Ob. 3. Concilium Generale 3. ſive Epheſinum primum a Theodoſio Juniore fuit convocatum, non a Pontifice: Ergo &c. Prob. ant. & quidem validiſſime. Epiſtola hujus Principis ad Cyrillum Patriarcham Alexandrinum, & ad Metropolitas data 1. part. Concil. Epheſ. tom. 3. Concil. p. 4, 6. ſatis oſtendit, Imperatorem juſſiſſe, ut poſt proximum Paſcha die Pentecoſtes Epheſi convenirent ad Concilium celebrandum, qua motus Cæleſtinus Papa non ſolum legatos miſit, ut ſe menti Imperatoris conformaret, ſed ulterius in Epiſtola ad Imperatorem ſcripta hæc ſcripſit: *Huic Synodo, quam eſſe juſſiſtis, noſtram præſentiam in his quoque mittimus & exhibemus.* Tom. 3. Concil. pag. 619.

Reſp. De Epheſina Synodo Proſper in Chronico ſatis indicat, illam convocatam fuiſſe Cyrilli induſtria & Cæleſtini auctoritate. Idem conſtat ex Evagrio lib. 1. c. 4. & ex Ep. Cæleſtini ad Cyrillum, quæ habetur inter opera Cyrilli, necnon ex Photio in lib. de 7. Synod. Nec aliquid officere poſſunt verba illa Pontificis ad Imperatorem *quam eſſe juſſiſtis*. Quoniam explicanda ſunt ſuppoſito conſenſu, & cooperatione Sedis Apoſtolicæ.

Ob

Ob. 4. Quartum Concilium Generale, ſcilicet Chalcedonenſe, convocatum fuit a Marciano, quod oſtendunt duo Imperiales Epiſtolæ, quæ nomine Valentiniani & Marciani ſcriptæ ſunt Tom. 4. Concil. pag. 66. hiſce in litteris Marcianus Epiſcopis injungit, ut conveniant proximis Calendis Septembris Nicææ in Bithynia ad Concilium celebrandum.

Reſp. De Chalcedonenſi Synodo patet ex Epiſtola Marciani ad Leonem Pp. quod Imperator indicturus Concilium rogat Pontificem, ut ipſe veniat & Concilium faciat: concludit ſe ſcripturum ad omnes Epiſcopos, ut ad certum locum conveniant, *& quæ chriſtianorum Religioni, atque catholicæ fidei proſint, ſicut Sanctitas tua* ( verba ſunt Marciani ) *ſecundum Eccleſiaſticas regulas definivit, ſua diſpoſitione declaret*. Extat etiam inter Epiſtolas ad Concilium Chalcedonenſe pertinentes Epiſtola quædam Epiſcoporum ad Leonem Imperatorem, in qua hæc ſunt verba: *In Chalcedonenſi civitate multi S. Epiſcopi convenerunt per juſſionem Romani Pontificis Leonis, qui vere caput eſt Epiſcoporum*. Denique Gelaſius in Epiſtola ad Epiſcopos Dardaniæ dicit, *ſolam Apoſtolicam Sedem ut Synodus Chalcedonenſis fieret ſua auctoritate decreviſſe*. Ubi contra Magdeburgenſes muſſitantes cent. 5. c. 7. colum. 786. animadvertendum eſt per illud *ſolam* non excludi actionem Imperialem, ſed jus dari illi, cui convenit. Verum nec illud prætermittendum cenſemus, noſtram eſſe ſententiam: Munus convocandi Concilia Generalia ad Romanum Pontificem pertinere, ſic tamen, ut ait Bellarminus de Concil. lib. 1. c. 12. *ut poſſit etiam alius Pontifice conſentiente Concilium indicere, quin etiam ſatis ſit, ſi indictionem factam ipſe poſtea ratam habeat atque confirmet*.

Ob. 5. Concilium quintum Generale a Juſtiniano indictum fuit teſte Evagrio lib. 4. c. 37. & Niceph. lib. 16. & c. 27. Ulterius habemus huius Imperatoris Epiſtolam, in qua declarat, ſe miſiſſe Conſtantinopolim Metropolitas, & quod maxime notandum eſt, Patribus Concilii præſcribit ordinem, juxta quem cauſæ ipſis tractandæ ſunt, Tom. 5. Conc. p. 419. Vigilius Pontifex renuit invitatus aſſiſtere, & per ſuum judicatum doctrinam Theodori Mopſueſteni reprobavit, & ab initio reprobavit Concilii praxim in eo, quod excommunicaſſet mortuos. Pontifex tamen mutavit ſententiam, & poſt ſex menſes a fine Concilii, quidquid in eo ſtatutum fuerat, firmavit.

Reſp.

Reſp. Jam ſatis nos iſta diluiſſe, cum ſuperius cum Bellarmino oſtendimus, qua ratione poſſit jus Pontificum recognoſci. Quamobrem cum Vigilius invitatus fuerit ut aſſiſteret, ſi renuit, nil obſtat, quoniam poſtmodum Concilii decreta confirmavit. Ex quibus apparet, Pontificem tacite convocaſſe, implicite indixiſſe, ſuumque aſſenſum in iis, quæ facta fuerant, præbuiſſe.

Ob. 6. Concilium Generale ſextum a Conſtantino Pogonato indictum fuit, & ad Domnum Papam Agathonis Prædeceſſorem litteras miſit tom. 6. Concl. p. 594. ſed cum Domnus ex hac vita migraſſet, reſpondit Pontifex Agatho tom. 6. Concil. p. 630. *Ad efficaciter obediendum, & prout debebat, Imperatoris mandato ipſum elegiſſe perſonas quales Imperator exigit*. Profecto qui obtemperat Imperatori, neſcio quomodo indicat Concilium.

Reſp. Adeo falſum eſſe Imperatorio jure Concilium fuiſſe convocatum, quin potius ex Conſtantini Epiſtola ad Domnum apparet, Imperatorem egiſſe prius cum Domno, deinde cum Agathone ejus ſucceſſore de Concilio Conſtantinopolim cogendo præſidentibus Apoſtolicis legatis. Quod ſi hæc inter Pontificem & Imperatorem acta ſunt, ſatis ex his eminet Pontificis auctoritas. Hiſce adde ex Anaſtaſio in Agathonem, quod *Pontifex ſuam adhibuit auctoritatem, & habita Romæ Synodo* 120. *Epiſcoporum legatos Conſtantinopolim miſit Theodoſium & Gregorium Presbyteros, Joannem Diatonum, & Conſtantium Hypodiaconum*. Verum quidem eſt, quod, priuſquam Synodi acta confirmarentur, Agatho jam diem obierat, ſed ejus ſucceſſor Leo II. ut refert Anaſt. in Leon. II. hujus Synodi acta & decreta omnia B. Petri auctoritate firmavit. Quæ cum ita ſint, nullum adverſariis effugium.

Ob. 7. Concilium Generale 7. ab Imperatrice Irene ejuſque filio Conſtantino convocatum fuit. Vid. tom. 7. Concil. pag. 32. Ergo &c.

Reſp. Hiſtor. Miſcellan. lib. 43. & apud Cedrenum & Zonaram aperte legi, ſcripſiſſe Imperatores ad Adrianum Epiſtolam, communicatiſque conſiliis rogaſſe, ut Synodo ipſius auctoritate cogeretur, ad eamque de more legatos Apoſtolicos mitteret. Pontifex annuit, & Petrum Archipresbyterum Eccleſiæ S. Petri, & Petrum Abbatem S. Sabinæ miſit legatos. Sed vide reſponſionem ad 4. Objectionem.

Ob. 8. Conſtantinopolitanum 4. & octavum generale indi-

dictum fuit ab Imperatore Baſilio Macedone eo tempore, quo Roma & Italia non amplius Orientali Imperatori obediebant, quod maxime patet ex hiſtoria hujus Concilii per Anaſtaſium Bibliothecarium ſcripta, in qua inducitur loquens Elias quidam Presbyter, qui volens probare Concilii legitimitatem in hæc erumpit verba: *Scitis, quia in præteritis temporibus Imperatores erant, qui congregabant Synodos, & ex toto terrarum Orbe Vicarios ad diſpoſitionem hujuſmodi cauſarum colligebant, quorum more & Dei cultor Imperator noſter univerſam hanc Synodum fecit*. Ergo &c.

Reſp. Contra hoc argumentum eadem valent, quæ contra ſuperiora. Adrianus confirmavit: Ergo implicite convocavit. Quod ſi celebratum non fuit Concilium in Italia tunc non amplius Imperatoribus Orientalibus obediente, id ita factum, quia ita volitum. 2. Quia antiquiſſima eſt Eccleſiæ conſuetudo in his regionibus convocare concilia, in quibus exortæ ſunt lites. 3. Quia non ſatis pacata erat Italia Francorum & Longobardorum incurſionibus hinc inde exagitata. Quæ vero referuntur ab Elia Presbytero prolata, nihil ingerunt difficultatis. Eo etiam modo, quo anteriora Concilia ab Imperatoribus fuerunt indicta, ita pariter & hoc ultimum. At priora conſentiente Romano Pontifice: Ergo & hoc etiam ultimum.

Ob. 9. Concilium Sardicenſe, quod fuit Synodi primæ Nicænæ appendix, ab Imperatore Conſtantino indictum teſtatur Theodoretus lib. 2. c. 4. Ergo &c.

Reſp. De Sardicenſi Concilio, quod a Julio I. indictum fuerit, poteſt intelligi ex Socrate lib. 2. c. 16. qui refert Orientales Epiſcopos culpam abſentiæ ſuæ a Sardicenſi Concilio in Julium Pontificem Romanum contuliſſe eo quod nimis anguſtum tempus præſcriptum eſſet. Si ergo arcta nimis temporis præſcriptio in culpam Julii refunditur; Julius ergo Concilium illud indixit.

Ob. 10. Ex Nilo S. Leo Papa primus Ep. 42. ad Theodoſium Auguſtum ſupplicat Imperatorem, ut jubeat infra Italiam provinciale convocari Concilium: Ergo &c.

Reſp. Duas eſſe fraudes in eo teſtimonio; una eſt Nili, altera Illyrici, qui librum Nili in latinam linguam transmigrare juſſit. S. enim Leo in Ep. 24. & 25. ad Theodoſium diſertis verbis petit Generale Concilium dicens: *Generalem Synodum jubeatis intra Italiam celebrari*. Nilus autem hanc ſententiam Græce referens pro *Generalem* poſuit *ἰδικὴν*, ideſt *propriam* ſeu *ſpecialem*, eum dicere debuiſſet

οἰκου-

οἰκουμενικῶ, & quia vocabulum illud Nili *ἰδικῶ* potuiſſet rectius interpretari, ut ſignificaret Synodum *ſpecialem*, ideſt ſpeciali de cauſa congregatam, Illyricus ad tollendam omnem ambiguitatem *ἰδικῶ* vertit *Provincialem*, ut cogeremur intelligere Synodum non generalem, ſed particularem a S. Leone expoſtulatam fuiſſe ab Imperatore. Sed iſta fraus refellitur ex verbis Leonis iam citatis, tum etiam quia Valentinianus in Epiſtola ad Theodoſium inter acta Concilii Chalcedonenſ. aperte teſtatur, S. Leonem voluiſſe intra Italiam ex toto orbe Epiſcopos convenire. Denique illa Epiſtola Theodoſii, qua Concilium intra Italiam poſtulatur, nomine Synodi Provincialis Romæ jam convocatæ ſcripta eſt; habet enim: *Leo Epiſcopus & ſancta Synodus, quæ in Urbe Romæ convenit, Theodoſio ſemper Auguſto*. Quomodo ergo petebat in Italia Synodum Provincialem, ſi jam iſta Romæ celebrabatur?

Ob. 11. cum Magdeburgenſibus. Liberius Papa, ut refert Theodoretus lib. 2. c. 16. conceſſit in Imperatoris poteſtate eſſe convocare concilia: Ergo &c.

Reſp. Magdeburgenſes mentiuntur aſtruentes, Liberium conceſſiſſe Imperatori poteſtatem convocandi Synodum, ideſt agnoviſſe illam poteſtatem propriam eſſe Imperatoris, ut ipſi autumant, nam in toto illo Liberii Dialogo cum Imperatore nulla fit mentio juris convocandi Synodum, ſed Liberius tantummodo petit a potentiſſimo Imperatore & Ariano, ac proinde ſibi infeſto, ut fiat Synodus, quia optime noverat invito Imperatore in Imperatoris ditionibus fieri non poſſe: Ergo &c.

Ob. 12. tum Carolo Molinæo *in Conſilio de non recipiendis Decr. Concil. Trid.* §. 6. Hieronymus teſtatur lib. 2. Apol. contra Ruff. eſſe jus Imperatorium convocare concilia: loquens enim de quadam Synodo agit: *Dic quis Imperator hanc Synodum juſſerit convocari?* Ergo &c.

Reſp. Hieronymum illud aſſerere, non quia convocationem de jure crederet Imperatoris, ſed quia revera tunc ob cauſas jam allatas Imperatores Synodos convocabant, licet non ſine conſenſu Pontificum.

Ob. 13. Simul ac Imperatores in Orientis partibus eſſe cœperunt, ſtatim & Generalia Concilia coacta ſunt: Ergo cum Imperatoribus hoc jus natum eſt. Si enim abſque Imperatoribus celebrari poſſunt, cur primis tercentum annis nulla celebrata fuerunt? Licet tunc temporis Nicolaitæ, Simoniani, Marcionitæ, Montaniſtæ, Gnoſtici, aliique quam-

quamplures Hæretici in Eccleſia erupiſſent, & Conciliis potuiſſent facile opprimi ac contundi: Ergo &c.

Reſp. Ante Conſtantinum non eſſe ulla Concilia Generalia celebrata, non quia deeſſet auctoritas, ſed quia deerat opportunitas. Nec enim Chriſtianis licebat ex multis Provinciis in unum locum convenire propter aſſiduas perſequutiones, ut adnotavit Iſidorus lib. 6. Etymol. c. 16. Quod autem ſpectat ad Hæreſes, animadvertendum, pluſquam centum hujuſmodi monſtra extincta fuiſſe a ſola Apoſtolica Sede, licet ſeptem Hæreſes ſeptem Generalibus Conciliis dederint occaſionem. Etſi ad aliquod Schiſma tollendum Concilium Generale celebratum eſt, Schiſmata pluſquam viginti ſine Generali Concilio ſublata ſunt. Auguſtinus lib. 4. contr. duas Pelag. Ep. c. 12. affirmat, paucas quaſdam Hæreſes fuiſſe, ad quas ſuperandas Concilium plenarium fuerit neceſſarium: Ergo licet Hæreſes fuerint prioribus tribus Eccleſiæ ſæculis, tamen non ideo celebrata non fuerunt Concilia Generalia, quia Imperatores Chriſtiani non erant, ſed quia perſequutiones vigebant, & in Hæreſes aptum fulmen ſolus Pontifex emittere poterat.

Ob. 14. Etiam nunc Pontifices convocare non poſſunt Concilium, quia aſſenſum referant Principum Chriſtianorum, atque illud Bulla indicunt ad Principes & Metropolitas directa, qua deprecantur Principes, ut Epiſcopis permittant ſibi ſubjectis convenire ad Concilium. Et Metropolitis jubent accedere, & indictionem ſuis ſuffraganeis omnibus communicare: Ergo etiam nunc non de jure Pontifices Concilium convocant, ſed de Principum licentia: Ergo &c.

Reſp. Hoc ita ſe habere ob eaſdemmet cauſas, ob quas primævis temporibus Imperatores Concilia convocabant; certum tamen eſt, quod ſi Metropolitæ & Epiſcopi, vel perſonaliter, vel quocumque alio modo ad Concilium accederent etiam invitis Principibus Concilium hoc penes Principes forſitan non obtineret, ſed legitimum eſſet & Œcumenicum: Ergo &c.

Ob. 15. Conſenſus Principum conſenſum Populorum repræſentat, quia in quocumque Regno Princeps totius nationis perſonam gerit; at conſenſus Populorum dat conſenſum totius Eccleſiæ, quæ ut reſpondit Philippus Pulcher ad Bullam Bonifacii VIII. non ſolum Eccleſiaſticis conſtat, ſed etiam Laicis: Ergo &c.

Reſp. Neg. min. Si enim neceſſarius Princeps eſt ad Po-

pulum tanquam Eccleſiæ partem repræſentandum, ſatis & Epiſcopi erunt, cum ne unus quidem e Populo ſit, qui alicui ex Epiſcopis non ſit creditus, neque ullus Epiſcoporum, qui totius ſui gregis perſonam non repræſentet. Ad opinionem Philippi Pulchri reſpondebimus infra, ubi de convocandis ad Concilia habebitur diſquiſitio.

## C A P U T II.

*Nonnulla exhibent ſcitu neceſſaria in Tractatu Conciliorum.*

CONciliorum Generalium convocationem de jure eſſe Romani Pontificis, non abſolute adeo & firmiter pronunciamus, ut dari aliqui caſus non poſſint, in quibus ab alio quam a Romano Pontifice convocari debeant;, quorum omnium claritatis gratia hic indicem exhibemus.

Primus itaque caſus eſt, quando duo vel plures contendant de Papatu, quorum nullus eſt in conteſtabili poſſeſſione, nec aliter quam per Concilium Generale dirimi poteſt contentio. Tunc enim Concilium per Cardinales convocandum eſt, II. Cum is, qui ex contendentibus inter ſe Pontificibus in poſſeſſione eſt, non vult Generale convocare Concilium, quo lis dirimatur. Tunc enim cum neceſſitas poſtulet, ut Eccleſia de Pontifice certo per Concilium Generale provideatur, nec convocare illud velit, qui in poſſeſſione eſt Pontifex, aliter iſtud convocari neceſſe eſt, quo in caſu idem jus eſt penes Cardinales. III. Si Pontifex foret notorius Hæreticus, aut Apoſtata, adverſus quem ipſum Concilium indicendum ſit, quo jure tunc pariter fruerentur Cardinales. IV. Si Pontifex occultus Hæreticus eſſet, vel occultus Apoſtata, rogatuſque ut Concilium Generale convocaret, atque id pertinaciter nollet, atque interim non poſſet niſi per Concilium Generale Eccleſiæ malis provideri, tunc illud ab aliis convocandum. V. Si Pontifex captivus ſit apud Infidelis, ſi inſanus effectus, dummodo urgeat cauſa convocationis Concilii, idem agendum. Iis caſibus exceptis nullos alios admittimus. Ut vero cetera, quæ in ſequentibus daturi ſumus, majori claritate procedant, Catalogum hic texere ſtuduimus illorum Conciliorum, quæ reprobata ſunt, illorumque etiam, quæ partim approbata, & partim reprobata fuerunt.

*Concilia Generalia reprobata.*

Primum Generale reprobatum eſt Antiochenum an. 345. & 6.

& 6. Conſtantii, ut ait Socrates lib. 2. c. 5. Sozom. lib. 3. c. 5. Hoc in Concilio damnatus eſt Athanaſius.

II. Generale reprobatum eſt Mediolanenſe pluſquam 300. Epiſcoporum an. 354. tempore ejuſdem Conſtantii, in quo etiam oblique fides catholica damnata eſt Ruffino teſte lib. 20. c. 10. Socr. lib. 21. c. 29.

III. Generale Ariminenſe Epiſcoporum 600. ſub eodem Conſtantio an. 363. ut notat Hieronymus in Chron. Hoc in Concilio ſublatum eſt de Symbolo vocabulum ὁμοούσιον, cujus Concilii pars quædam etiam ſuit Seleucienſe in Oriente. Vid. Auguſtiuum lib. 3. contr. Max. c. 14. Hieronymum contra Luciferianos, Ambroſium Ep. 32. Ruffinum lib. 10. c. 21. Socratem lib. 2. c. 29. Baſilium Ep. 52. ad Athanaſ.

IV. Eſt Epheſinum II. tempore Theodoſii Junioris an. 449. in quo factione Dioſcori occiſus eſt S. Flavianus Epiſc. Conſtantinop. & legati Romani Pontificis Leonis fugati ſunt, ac demum Hæreſis Eutychiana confirmata eſt. Reprobata fuit hæc Synodus a Leone in Ep. ad Clerum & P. Conſtatinop. & in aliis duabus ad Theodoſium & Pulcheriam, quæ ſunt 22. 23. 24. 25.

V. Eſt Conſtantinopolitanum ſub Leone Iſaurico contra ſacras Imagines, an. 730. qui fuit 13. Imperii ejuſdem. Nullus Patriarcharum huic Concilio interfuit excepto S. Germano, qui tandem non conſenſit, & ideo e ſua Sede ejectus eſt.

VI. Eſt Conſtantinopolitanum ſub Conſtantino Copronymo an. 755. In eo convenerunt Epiſcopi 328. nullus Patriarcha excepto Pſeudo Conſtantinopolitano. Hoc in Concilio definitum eſt, evertendas Chriſti & SS. Imagines. Reprobatum autem fuit in ſeptima Synodo Act. 6. Obſervandum, hanc Synodum falſo vocari a nonnullis *Epheſinam* 3. ut a Sixto Senenſi lib. 5. Bibl. Sanctæ. Cauſa erroris fuiſſe videtur. quia prophanæ huic Synodo præfectus eſt Theodoſius Epiſcopus Epheſinus.

VII. Eſt Concilium Piſanum an. 1511. congregatum ab Imperatore, & Rege Galliæ, & aliquot Cardinalibus contra Julium II. At reprobatum paulo poſt in Concilio Lateranenſi ſub eodem Julio Seſſione 2. & 3.

VIII. Concilium fuit Wittembergenſe, quod Lutherani Generale vocant 300. Paſtorum Præſide Luthero an. 1536. Si tamen Concilium vocandum eſt. Vid. Cochleum in act. Luth. & Surium in Com. rerum in orbe geſtarum 1536.

*Concilia confirmata partim, & partim reprobata.*

I. Generale hujus generis eſt Sardicenſe Epiſcoporum 376. An. Dom. 351. tempore Conſtantii, & Julii I. ex quibus 300. Epiſcopi Occidentales fidem Catholicam confirmarunt, quam exponit Hilarius in lib. de Synodis, reliqui 75. Epiſcopi Orientales fidei Arrianæ ſubſcripſerunt. Vid. Socr. lib. 2. c. 16. Sozom. lib. 3. Hiſt. c. 10. & 11. & Theodoret. lib. 2. c. 7. & 8.

II. Eſt Concilium Sirmienſe, quod celebratum eſt anno 5. poſt Sardicenſe an. 356. Liberio Pontifice & Conſtantino Imper. In hoc Concilio duæ fidei formulæ inter ſe diſſentientes editæ ſunt. Unam compoſuit Græce Marcus Arethuſius, qui poſtea ſub Juliano illuſtre pertulit martyrium, quæ quidem ea eſſe videtur, quam Hilarius in libro de Synodis prope extremum ut catholicam explicat. Alteram alii compoſuerunt latine plenam aperta Blaſphemia, quam Hilarius reprehendit in libro de Synodis ab initio non procul. In eodem etiam Concilio Photini Hæreſis damnata eſt, quam damnationem omnes Eccleſiæ probaverunt. Vid. Socr. lib.... c. 24. & ſeqq. & Sozom. lib. 4. c. 5. & 6. Vid. Epiph. Hæreſ. 71. qui tamen in eo lapſus videtur, quod Sardicam pro Sirmio acceperit.

III. Eſt Concilium Quiniſextum, in quo Canones continentur Trullani, qui ideo dicuntur conſtructi, ut habet Tharaſius in 7. Synod. act. 4. ut fierent Canones 5. & 6. Concilio, quorum ultimum ſub Conſtantino IV. celebratum eſt, proindeque poſt annos aliquot tempore Juſtiniani hoc alterum celebratum, & a Balſamone vocatur Quiniſextum, quia nec quintum nec ſextum eſt, ſed Canones addidit quinto & ſexto. Hæc eſt illa Hæretica Synodus Conſtantinopoli a Juſtiniano habita tempore Sergii Papæ, & quam idem Papa reprovabit teſte Beda lib. de ſex. Ætat. Paulo Diacono lib. 6. c. 4. Othone Friſingenſi lib. 5. c. 13. Rheginone lib. 1. & Adone Viennenſi in Chronico. Hos ergo Canones dicimus partim reprobatos, quia non interfuit Papa, nec per ſe, nec per alios in eorum nativitate & aperte Sergius reprobavit, partim autem approbatos, quia etſi Canones illi ex ſe, ut alibi diximus, nullam vim habeant, tamen aliqui poſtea probati ſunt, vel a Papa, vel a legitimis Conciliis, ut eſt Canon 82. de pingendis Imaginibus ab Adriano Pontifice conſecratus, & 7. Synodo, ut ex actione 2. & 4. Vide tamen quæ ſupra diximus de hoc Concilio.

IV. Eſt

IV. Eſt Concilium Francofordienſe celebratum anno 794. juxta Rheginonem lib. 2. Adriano I. Pontifice, & Carolo M. Rege Francorum. Hoc ab Adriano confirmatum fuit, quoad ea, quæ definiunt Chriſtum non eſſe filium Dei adoptivum, & ab eodem reprobatum quantum ad alteram partem, in qua ex errore damnatur 7. Synodus.

V. Eſt Concilium Conſtantienſe inchoatum anno 1414. ſub Joanne XXIII. Palmerius aſſerit, hoc Concilium quantum ad primas ſeſſiones, in quibus definitum fuit Concilium eſſe ſupra Pontificem, reprobatum fuiſſe in Concilio Florentino & Lateranenſi ultimo; approbatum vero relate ad ultimas ſeſſiones & ea omnia, quæ probavit Martinus V. quæ ab omnibus Catholicis recipiuntur.

VI. Fuit Conſilium Baſileenſe inchoatum anno 1431. & continuatum Baſileæ, ac deinde Lauſannæ, uſque ad annum 1449. quo tempore ſe ſubmiſit Nicolao V. tam Concilium, quam Felix Papa V. ab ipſo Concilio in ſchiſmate creatus. Vide acta Concilii & Bullam adnexam Nicolai V. Ex hoc Concilio nihil eſt ratum & approbatum exceptis quibuſdam diſpoſitionibus circa beneficia Eccleſiaſtica, quæ a Concilio factæ fuerant, quaſque pacis & unitatis gratia Nicolaus approbavit, quidquid Galli in contrarium ſentiant.

## CAPUT III.

### *De Conciliorum neceſſitate.*

DE Conciliorum neceſſitate diſputantes diverſo prorſus incedimus a Proteſtantibus tramite. Illi negant Conciliorum neceſſitatem, quia illa cujuſcumque ſint generis erroribus ſubjacere opinati ſunt, nos vero neceſſitatem partialem, non abſolutam ſuſtinemus, quia arbitramur, ſolis Romanorum Pontificum Decretis ſatis eſſe fortuito Eccleſiæ malo conſultum.

CONCLUSIO.

*Concilia non abſolute & ſimpliciter (ut ajunt Scholaſtici), ſed tantum ſecundum quid ſunt neceſſaria.*

Dem. cauſarum enarratione, ob quas aliquando convocari debent Concilia, quæ ſex ſunt juxta Bellarminum lib. 1. Concil. c. 9.

I. Cauſa eſt Hæreſis nova, ideſt numquam antea judica-

ta. Hac de cauſa coacta ſunt prima ſeptem Concilia Generalia. Solet enim tanti Eccleſia facere periculum novarum Hæreſum, ut plerumque putet iis reſiſtendum agmine facto Principum Eccleſiaſticorum.

II. Cauſa eſt ſchiſma inter Romanos Pontifices. Hinc convocata ſunt Concilia Piſanum & Conſtantienſe.

III. Eſt reſiſtentia communi hoſti totius Eccleſiæ. Hoc modo coacta ſunt Concilia ab Urbano II. Calliſto II. Gregorio III. aliiſque pro bello contra Saracenos.

IV. Cauſa eſt Suſpicio Hæreſis in Romano Pontifice, vel etiam tyrannis incorrigibilis. Atque ideo legimus celebratum Concilium Sinueſſanum in Agro Neapolitano in Hæreſi Marcellini. Vid. Platinam & Tom. Concil.

V. Cauſa eſt dubitatio de electione Romani Pontificis. Si enim Cardinales non poſſent, vel nollent Pontificem creare, aut certe omnes ſimul perirent, aut aliunde verum fieret dubium, ad quos pertineret electio Pontificis, eo in caſu, quem methaphyſicum arbitror, ad Generale Concilium ſpectaret decernere de electione Romani Pontificis.

VI. Eſt reformatio abuſuum & vitiorum, quæ in Eccleſia irrepere potuerunt. Hinc videmus omnia fere Generalia Concilia Canones edidiſſe de reformatione.

Ex his ita concludit Bellarminus citato loco: *Quamvis Generalia Concilia non ſint abſolute neceſſaria, tamen Concilia aliqua ſive generalia ſive particularia omnino neceſſaria eſſe ab bonam Eccleſiæ gubernationem vix in quæſtionem revocari poſſe dubito. Nam ſi*, proſequitur Bellarminus, *neceſſe eſt ut veniant ſcandala, ut ait Dominus Matth.* 18. 7. *& oportet hæreſes eſſe, ut Apoſtolus ait in* 1. *ad Cor. c.* 11. 19. *certe neceſſe eſt etiam ut in Eccleſia ſit certum aliquod judicium, quo & ſcandala tolli, & hæreſes damnari poſſint, alioquin brevi tempore Eccleſia periret, nam omne Regnum in ſe diviſum deſolabitur Matth.*12.25. *At qua de cauſa hinc deducicui*, recte inquit Bellarminus, *Concilii neceſſitas, cum Summus Pontifex judex ſit & quidem infallibilis omnium controverſiarum?* Poſt hæc Bellarmini verba antequam ad Theſis probationem deveniamus, tanquam certum præmittimus, Concilia quædam particularia abſolute eſſe neceſſaria, quod & ipſe Cardinalis doctiſſimus probat capite 11.

Ex citatis modo ſuperius regulis Concilia Generalia abſolute neceſſaria non eſſe probamus: & quidem non ob primam cauſam neceſſario poſtulatur Concilii revocatio, nam ſi ad extinguendas ſeptem hæreſes celebrata ſunt ſeptem Con-

Concilia Generalia, pluſquam centum hæreſes extinctæ ſunt a ſola Apoſtolica Sede Conciliis particularibus cooperantibus, & ſi unum ſchiſma ſublatum eſt per Generale Concilium Conſtantienſe, Schiſmata ſupra viginti ſine Conciliis Generalibus ſublata ſunt. Quod ad ſecundam cauſam etiam referendum arbitramur.

Jam vero tertia cauſa duplici titulo non exigit Generale Concilium: 1. Quia non eſt abſolute neceſſarium, ut communi hoſti, qualis eſt Turca, reſiſtatur. Si enim Eccleſia conſervari potuit ſub immaniſſimis perſecutoribus Nerone E. G. Domitiano, Diocletiano &c. cur non poſſet etiam ſub Turcarum perſequutione intacta ſervari? Deinde quis non videt, etiam ſine Generali Concilio poſſe bellum indici communi hoſti, quemadmodum ſæpe factum eſſe deprehendimus?

Eadem de quarta dicenda ſunt; nam propter ſuſpicionem malæ doctrinæ, aut peſſimæ vitæ Pontificum numquam convenerunt, niſi Provincialia aut Nationalia Concilia. Nec ſane videtur Generali Concilio opus eſſe. Dum enim vere Pontifex eſt in prima Sede, a nemine judicatur, niſi & forte ipſe exigat Concilii mentem, quod æque univerſale & particulare eſſe poteſt.

Quinta vero cauſa metaphyſica omnino eſt; quis enim credat futurum aliquando, ut Cardinales aut non velint, aut non poſſit creare Pontificem? Quod ſi accideret, nullum dubium ad quos ſpectaret Pontificis electio?

Quod vero ad abuſuum emendationem pertinet, poſſunt ſane mores emendari & vitia deleri, tum per leges Summi Pontificis, tum per Conciliorum Provincialium Decreta, licet id ſuavius fieri poſſit per Generalia Concilia. Ob nullam ergo ex his cauſis neceſſaria eſt Conciliorum Generalium convocatio.

Quæ omnia magis ſequentibus confirmantur. Siquidem abſolute non eſſe neceſſariam Conciliorum Generalium convocationem patet 1. ex Hæreſibus, quæ tribus primis Eccleſiæ ſeculis exortæ ſunt, Menandri ſcilicet, Ebionis, Cerinthi, Nicolaitarum, Valentini, Cerdonis, Marcionis, Marciani, Tatiani aliorumque, qui vel per univerſalem Eccleſiæ conſenſum, vel per Doctores ſatis ſunt profligati, quod non ſolummodo factum eſſe deprehendimus gemente adhuc ſub Ethnicis Imperatoribus Eccleſia; ſed etiam poſt datam Eccleſiæ pacem. Sic nulla celeberrima fuit Synodus contra Vigilantium, quem Hieronymus debellavit. Origeniſtæ ſa-

tis damnati viſi ſunt, poſtquam Romanus Pontifex aliique non pauci Eccleſiæ Epiſcopi in eos tulere ſententiam. Ait enim Hieronymus in Epiſt. adv. Ruff. de Origenis defenſoribus: *Non valet apud eos ſuper Origenis defenſionem Epiſcoporum auctoritas? Quid facient epiſtolæ Theophili Epiſcopi? Quid Papæ Anaſtaſii in toto orbe Hæreticos perſequentes?* Pelagianis Synodum Œcumenicam poſcentibus reſponſum eſt ab Auguſtino contr. du. Ep. Pelag. lib. 4. c. ultimo: *Aut vero congregatione Synodi opus erat, ut aperta pernicies damnaretur, quaſi nulla Hæreſis aliquando ſine Synodi congregatione damnata ſit, cum potius rariſsime inveniantur, propter quas damnandas neceſsitas talis extiterit*. Ita S. Doctor. Refellamus modo adverſariorum argutationes.

*Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1. Ex ultimo allatis Auguſtini verbis licet appareat, quaſdam tantum hæreſes fuiſſe per Concilum profligatas, ibi tamen aſſeritur, ad nonnullas ſuperandas neceſſarium fuiſſe Concilium Generale: Ergo ſaltem aliquando Concilia Generalia abſolute ſunt neceſſaria.

Reſp. Diſt. ant. & Auguſtinus intelligit neceſſitatem ſecundum quid, conc. ſecus, nego ant. & conſeq. Neceſſitatem igitur non abſolutam ab Auguſtino indigitari patet ex hoc, quod inter quaſdam Hæreſes, propter quas neceſſitatem dicit extitiſſe convocandi Concilia, adnumerat Arrianam. Profecto cum Arrius plures haberet fautores Epiſcopos, hinc ad ſuavius reddendam Eccleſiæ pacem quædam fuit partialis, non abſoluta neceſſitas convocandi contra ipſum Concilium.

Ob. 2. S. Leo, Ep. 43. ad Martianum, laudat Martianum Auguſtum, quod Synodum generalem a ſe poſtulatam neceſſariam etiam ipſe judicaverit. S. Iſidorus in Præf. Concil. ſcribit, ante Conſtantini tempora Chriſtianam Eccleſiam in varias hæreſes diviſam fuiſſe, quod propter Imperatorum perſequutiones non liceret Epiſcopis Concilia celebrare, & generalia quidem, cum ante Conſtantinum multa Concilia particularia fuerint celebrata. Quare innuere videntur Leo & Iſidorus, Concilia Generalia ſimpliciter eſſe neceſſaria. Item S. Eugenius Epiſcopus Carthaginenſis, ut teſtatur Victor lib. 2. de perſequut. Vandalica, cum urgerentur a Rege Unnerico, ut de fide cum Arrianis conferret, reſpondit cauſam fidei communem eſſe toti Eccleſiæ; proinde convocandos eſſe Epiſcopos ex omnibus Eccleſiæ partibus, ac præcipue rem totam ſignificandam Eccleſiæ Ro-

Romanæ, quæ caput eſt ceterarum. Ex quibus liquet, mentem Eugenii fuiſſe ad explicandas fidei controverſias neceſſaria omnino eſſe Generalia Concilia.

Reſp. Ad primam objectionis partem cenſuiſſe Leonem neceſſarium Concilium Generale Chalcedonenſe, ut ejus auctoritate deſtrui poſſet, quod perperam egerat Epheſinum II. Ad hanc non fuiſſe abſolutam neceſſitatem, ſed aliqualem dumtaxat perſpicuum eſt ex Concilii Ariminenſis irritatione. Fuit enim Ariminenſe pleniſſimum & generale, & longe celebrius Epheſino II. quod tamen a Damaſo Pontifice ſine ullius Generalis Concilii præſidio irritatum fuit. Vid. Epiſtolam Damaſi ad Epiſcopos Illyrici, & Epiſt. 52. Baſilii ad Athanaſ. Eodem modo exponenda eſt Iſidori ſententia. Si enim abſolute, prout objicitur, ſuſtineri deberet, falſa omnino eſſet, nam & ante tempora Conſtantini plurimæ hæreſes ſublatæ & extinctæ ſunt, ut oſtendimus ſupra. Ad Eugenii verba quod attinet, quid iſte ſibi voluerit indigitat Victor Uticenſis. Scribit namque, Eugenium commemoraſſe Concilium Generale & tranſmarinas Eccleſias, non quod in Africa viri doctiſſimi non extarent, qui cum Arrianis poſſent concertationes inire, ſed quia exiſtimabat, tranſmarinos, cum Vandalorum Regi non eſſent ſubditi, quemadmodum Africani, liberius acturos cauſam fidei. Unde ex hoc neceſſitas abſoluta Generalis Concilii minime deducitur.

Ob. 3. Infallibilitas in Eccleſia neceſſaria Eccleſiæ abſolute eſt, ne portæ inferi prævaleant adverſus eam; hæc autem non habetur ſine Conciliis. Ergo Concilia neceſſaria abſolute ſunt, & reapſe cuique perpendenti ſincero animo ſcripturarum teſtimonia, ubi verba haaentur de aſſiſtentia Spiritus S. miniſtris Evangelicis promiſſa, non occurrunt niſi phraſes generales, quibus uſus eſt Salvator, quæque omnibus Eccleſiis indefinite conveniunt. E. G. Matth. 28. *Ite docete omnes gentes: Ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque* &c. Quæ ſane verba fruſtra detorquere quis volet ad perſonales Petri prærogativas, ejuſque ſucceſſorum. Promiſſa ergo infallibilitas eſt univerſis Paſtoribus, quod & Auguſtinus docet ſerm. 375. alias 108. de diverſ. dicens: *Has claves non homo unus, ſed unitas accepit Eccleſiæ.*

Reſp. Inaniter contra Pontificis Romani infallibilitatem argumentum eſſe conſarcinatum, quam & toto corde profitemur, & in præſenti ſupponimus. Nihilominus, ut extra ocum adverſariorum argutatiunculas enervemus, reponimus,

quod

quod ſi verba illa: *Ite docete* &c. omnibus in genere dicta ſunt, hæc alia: *Ego rogavi pro te Petre* &c. *Tu es Petrus* &c. *Tibi dabo claves* & ſimilia ſane Petro ſoli dicta eſſe, neceſſe eſt fateamur. Quapropter prima illa verba Conciliorum infallibilitatem probare non denegamus, ( quæ tamen generalia non ſunt, niſi Petrus in iis concurrat & ea confirmet ) ſed eorum abſolutam neceſſitatem evincere non admittimus. Quod vero Auguſtinus aſſerat, claves non unum hominem, ſed unitatem Eccleſiæ accepiſſe, ejuſdem furfuris eſt argumentum. Animadvertendum ſiquidem eſt, duobus in locis claves a Chriſto fuiſſe datas: Una vice ſoli Petro: *Tibi dabo*: vice altera omnibus Apoſtolis, *quidquid ligaveritis*. Quando igitur Auguſtinus aſſerit non unum hominem, ſed unitatem Eccleſiæ haſce claves accepiſſe, de clavibus datis Apoſtolis intelligendus eſt, quod clarius ediſcitur ex Auguſtini contextu.

Ob. 4. Via Œcumenicorum Conciliorum ad decidendas controverſias fidei eſt longa, anguſtiis & laboribus undequaque referta: Non ergo convocanda ſunt niſi deficiente altera faciliori via, ſed nihilominus Concilia Generalia ſemper celebrata ſunt, ergo deficiebat facilior via: Ergo erant abſolute neceſſaria.

Reſp. Eccleſiam propter filiorum ſalutem non pœnis, non laboribus, non incommodis parcere. Curat quandoque, licet abſolute non ſit neceſſarium, dilecta Chriſti ſponſa, ut viridi ramo captivet oves ſibi creditas, & dulces adhibet artes ad eas recuperandas, licet id ſibi pergrave ſit ac moleſtum.

Ob. 5. Quando aliqua definitio a tribunali infallibili ſtatuta eſt, non amplius eſt ad trutinam revocanda, ſed Pontificum Romanorum Decreta ad trutinam quandoque in Conciliis Generalibus revocata ſunt: Ergo non ſufficit ad Eccleſiæ pacem auctoritas Pontificia. Prob. min. Definitio Cæleſtini Papæ contra Neſtorium a Concilio Epheſino judicata eſt: S. Leonis ad Flavianum Epiſtola contra Eutychetem examinata fuit in Concilio Chalcedonenſi: Monothiliſmi cauſa jam ab Agathone in Concilio Romano definita iterum judicium paſſa eſt in 6. Concilio Generali: Ergo &c.

Reſp. Argumentum laborare in falſo ſuppoſito. Supponit enim hæc omnia facta fuiſſe, quod Papa non ſit infallibilis. Nos autem in præſenti Pontificis Romani infallibilitatem ſupponimus, quia Chriſtus pro Petro rogavit, ut ejus

fides

fides non deficeret; proinde ſi ea in Conciliis judicata ſunt poſt Pontificias definitiones, hoc factum eſſe, non quia abſolute neceſſarium eſſet hoc judicium, ſed quia mitiori modo, ut millies diximus, voluit Eccleſia ſatisfacere perduellibus, quos optabat ad veritatem reducere.

Ob. 6. Antiqua illa quæſtio: Eſſent ne rebaptizandi ab Hæreticis baptizati, numquam finiri potuit, donec acceſſit ſententia Concilii Generalis. Audiatur Auguſtinus lib. 1. c. Don. c. 18. *Hoc de baptiſmo pie credamus quod univerſa Eccleſia a ſacrilegio Schiſmatis remota cuſtodit, in qua tamen ſi aliud alii, & aliud alii adhuc de iſta quæſtione ſalva pace ſentirent, donec univerſali Concilio unum aliquid eliquatum, ſincerumque placuiſſet, humanæ infirmitatis errorem excuſaret charitas unitatis:* Ergo &c.

Reſp. Ad hujus argumenti ſolutionem non ea adducturi ſumus, quæ Bellarminus nimium irreverenter forſan in Auguſtinum protulit, aſſerens S. Eccleſiæ Doctorem mentitum fuiſſe, vel ſibi contradixiſſe. Reponimus tamen hunc eſſe Auguſtiniani teſtimonii ſenſum, quod licet Apoſtolicæ Sedi cooperantibus Provincialibus Conciliis controverſiam illam finiendi auctoritas non deeſſet, maluerunt tamen differre in tempus aliud magis opportunum, quod numquam ſe obtulit, niſi cum Nicænum Concilium celebratum eſt. Quæ oſtendunt Concilii neceſſitatem ad mitius controverſiam dirimendam.

Inſt. Stephanus Papa congregato Concilio quodam particulari juſſit non rebaptizari, & excommunicandos cenſuit illos, qui rebaptizarent teſte Euſebio lib. 7. Hiſt. c. 4. & Auguſt. lib. de unic. Bapt. c. 14. Ergo quæſtionem Pontifex cum particulari ſua Synodo finire voluit nec potuit: Ergo neceſſaria videntur omnino Concilia Generalia.

Reſp. Stephanum quidem juſſiſſe, ne ii rebaptizarentur, qui eſſent ab hæreticis baptizati, ſed cauſam finire noluit. Siquidem non excommunicavit ut poterat, ſed excommunicandos putavit rebaptizantes, imo excommunicationem comminatus eſt iiſdem, quod ſatis manifeſte colligitur. Ipſe enim imprimis Cyprianus in Epiſt. ad Pompejum ait: *Sacerdotes Dei veritatem Chriſti, & Eccleſiæ unitatem tuentes abſtinendos putat*, dixit *abſtinendos putat:* Ergo excommunicandos, non excommunicatos; Et in Ep. ad Jubajanum: *Nos quantum in nobis eſt propter hæreticos cum Collegis & Epiſcopis noſtris non contendimus, cum quibus divinam concordiam, & Dominicam pacem tenemus*. Hæc autem vir ſanctus

ctus non dixiſſet excommunicatus. Ulterius Hieronymus in dialogo contra Lucif. de Cypriano ait: *In communione eorum permanſit, qui ſententiæ ſuæ contraierant*: ac tandem Auguſtinus lib. 1. de Baptiſmo c. 7. aſſerit, *Stephanum & Cyprianum ſalva pace & charitate diſſenſiſſe*. Stephanus ergo non eo pervenit, ut cauſam finire vellet, ſed abſolutam determinationem, quam poterat ex ſe proferre, voluit opportuniori tempori reſervare.

Ob. 7. Auguſtinus ſcribens contra Donatiſtas Romæ a Miltiade damnatos Epiſt. 43. n. 19. ſic habet: *Ecce putemus, illos Epiſcopos, qui Romæ judicarunt, non bonos judices fuiſſe: Reſtabat adhuc plenarium Eccleſiæ Concilium, ubi etiam cum ipſis judicibus cauſa poſſet agitari, & ſi male judicaſſe convicti eſſent, eorum ſententiæ ſolverentur*; Auguſtinus ergo Concilia Generalia neceſſaria eſſe exiſtimavit.

Reſp. Auguſtinum hypothetice loquutum fuiſſe; id patet ex illis verbis: *Ecce putemus, & ſi male judicaſſe convicti eſſent*. Ceterum hanc abſolutam Conciliorum neceſſitatem Auguſtinum non admiſiſſe ſatis conſtat ex Serm. 131. de Verb. Apoſt. in quo de Pelagiana hæreſi hæc habet: *Jam de hac cauſa duo Concilia miſſa ſunt ad Sedem Apoſtolicam, jam inde reſcripta venerunt, cauſa finita eſt: utinam aliquando finiatur & error*. Ergo perſuaſum erat S. Doctori Concilium Generale neceſſarium abſolute non eſſe ad dogmata finienda, ſi quando Sedes Apoſtolica reſcribit abſolute & decernit, cauſam dicit eſſe finitam.

## CAPUT IV.

### *De Conciliorum origine.*

Pighius lib. 6. de cæleſti Hierarchia auſus eſt aſſerere, humanam eſſe Conciliorum originem, & a M. Conſtantino excogitatam primum, & adinventam. Neceſſe eſt igitur ut tam abſurda propulſemus commenta.

### CONCLUSIO.

*Concilia divinam habent originem.*

Dem. Concilium Chalcedonenſe in Epiſtola ad Leonem, & VI. Synodus Action. 17. necnon Cæleſtinus Papa in Epiſt. ad Epheſinum Concilium docent, Concilia fuiſſe a Chriſto illis verbis indicata; *Ubi fuerint duo vel tres* &c.

Ul-

Ulterius apud omnes Theologos illud eſt certiſſimum, quod quidquid traditione vel continua Eccleſiæ praxi ad Apoſtolica tempora aſcendit, illud ſit vel de divina inſtitutione immediate, vel ſaltem mediate: atqui Conciliorum celebratio ad Apoſtolos aſcendit; non ergo fuit M. Conſtantini adinventum. Minor inconcuſſa eſt; quoniam ante Concilium Nicænum habita fuit Alexandrina Synodus ſub Alexandro Antiſtite an. 315. Adverſus Donatiſtas Carthagine duo Concilia celebrata ſunt an. 306. & 348. In Provincia Hiſpaniarum Bœtica Eliberitanum an. 305. Contra Paulum Samoſatenum duo Antiochena Concilia an. 265. & 270. Hieropolitanum Concilium pariter habitum eſt ſub Apollinario contra Montanum & Theodotum Coriarium an. ut nonnulli putant, 173. Romanum a Victore in cauſa de Paſchate celebrando an. 198. Primo ſæculo tria ab Apoſtolis celebrata ſunt, & quodam ſuo modo Generalia, cum non adhuc eſſet longe lateque diffuſa Chriſtiana religio. Ex quibus ſatis apparet vel mediate vel immediate divina conciliorum origo.

*Diluuntur Objecta.*

Objicit Pighius. Iſidorus in primum Canonem diſtinct. 17. Decreti Gratiani ſtatuit originem Conciliorum Œcumenicorum temporibus Conſtantini dicens: *Ante illum flagellantibus tyrannis non erat libertas inſtruendi prpulum, & hoc locum dabat diverſis hæreticorum ſectis, quæ inter Chriſtianos ſerpebant. Ut occurreret huic malo Conſtantinus, permiſit Epiſcopis coaleſcere in Concilium, diverſæ inde fuerunt Synodi celebratæ, quarum maxima fuit Nicæna, ubi PP. alterum Symbolum juxta exemplar Apoſtolorum edidere:* Ergo &c.

Reſp. Argumentum non concludere, cum Iſidorus referat Conſtantinum *permiſiſſe* Epiſcopis coaleſcere, quod innuit exercitium tantummodo conciliaris convocationis, non autem originem, & inſtitutionem ejuſdem. Præterea cum dicat: *inde fuere Synodi diverſæ celebratæ*, forſan Iſidorus, vel memoria lapſus, vel de iis Generalibus Conciliis loquutus eſt, ut ſentit Bouchaud, quæ a nobis Generalia dicuntur ſecluſis Apoſtolicis ſub diverſa ratione inſpiciendis propter poteſtatem a Domino cuique Apoſtolorum collatam. Si quæ ſunt alia, vel levioris ſunt momenti, vel ex præmiſſis facillime ſolvuntur.

# CAPUT V.

## *De jure ſuffragiorum in Conciliis*,

LUtherus in lib. de Conciliis part. 2. pag. 264. Carolus Molinæus in ſuo Conſilio de Concilio Trid. non recip. Tract. 28. Magdeburgenſes Cent. 1. lib. 2. c. 9. Column. 548. præſumunt, omnem quemcumque virum eruditum ſuffragium habere deciſivum in Concilio Generali, cum judicis debeat eſſe intelligere, cognoſcere, & penetrare cauſam, voluntque pariter ſimul cum Brentio in Confeſſ. Wittemberg. Concilium conſtruendum eſſe ex viris tantummodo piis & electis, quia S. Chriſti Eccleſiam repræſentant, Contra Blaterones iſtos ſit igitur

### Conclusio.

*Soli Epiſcopi in Conciliis Generalibus jure habent ſuo deciſivum ſuffragium, ex privilegio autem & conſuetudine Cardinales, Abbates, & Generales Ordinum, licet non ſint Epiſcopi.*

Dem. 1. pars. Definire in Conciliis ea, quæ ſunt credenda, vel agenda, proprium eſt Paſtorum, quoniam paſcere & docere unum idemque eſſe diſcimus ex Jeremia c. 3. ſed ad ſolos Paſtores attinet paſcere; ergo & docere. Item ad Epheſios 4. legimus, alios poſitos eſſe Paſtores & Doctores, ubi notant Hieronymus & Auguſtinus Ep. 59. ad Paulin, conjunctum eſſe nomen Paſtoris cum nomine Doctoris, quia proprium eſt Paſtorum regere. Sed nulli alii Paſtores ſunt præter Epiſcopos: Ergo &c. Ulterius, cum tempore Victoris Papæ Concilia fuerint in Eccleſia celebrata ſuper celebrationem Paſchæ, de iis ſic loquitur Euſebius lib. 5. hiſt. Eccl. c. 23. *Ob quam cauſam conventus Epiſcoporum*, non laicorum, vel quorumcumque hominum, *per ſingulas quaſque provincias convocantur:* Ergo &c. Præterea Theodoſius Junior in Epiſtola ad Epheſinam Synodum 1. tom. hujus concil. c. 23. ita ſcribit: *Illicitum eſt eum, qui non ſit in Ordine Sanctorum Epiſcoporum, Eccleſiaſticis immiſceri tractatibus*. Pulcheria quoque Imperatrix in Epiſt. ad Strategum Bithyniæ, quæ habetur ante Concil. Chalcedonenſe, juſſit ut Clerici, Monachi & Laici etiam vi repellerentur a Concilio; & in Concilio Chalcedonenſi act. 1. cum ad Martinum Archimandritam acta Concilii mitterentur, ut ea

ea ſubſcriberet, reſpondit, non eſſe ſuum, ſed Epiſcoporum tantum ſubſcribere; & in eodem Concilio cum pro Dioſcoro Monachi & Laici ingreſſi eſſent, PP. clamarunt: *Mitte foras ſuperfluos*, Soli ergo Epiſcopi &c.

Dem. 2. Illis competit ex privilegio & conſuetudine jus ſuffragii deciſivi in Conciliis, qui a tempore Concilii Baſileenſis illud ſemper habuerunt; ſed rem ita ſe habere patet ex Conciliis Baſileenſi, Florentino, Lateranenſi ſub Leone X. & Tridentino, in quibus Cardinales aliqui, Abbates & Generales Ordinum ſuffragium habuerunt deciſivum: Ergo &c.

*Solvuntur Objecta.*

Ob. 1. Apud Lucam act. 15. de Concilio Apoſtolorum legimus: *Convenerunt Apoſtoli & Seniores videre de verbo hoc*; & infra: *Tunc placuit Apoſtolis & Senioribus cum omni Eccleſia*. Ergo ſuffragium deciſivum dederant Apoſtoli & Presbyteri ſeu Seniores: Ergo &c.

Reſp. Hoc in Concilio interfuiſſe Apoſtolos tanquam judices ad definiendum, Presbyteros autem ad conſultandum, plebem vero non fuiſſe vocatam, ſed adfuiſſe & conſenſiſſe audiendo ſolummodo, & non reclamando, quod probatur ex contextu, in quo legitur: *Convenerunt Apoſtoli & Seniores videre de verbo hoc*, ubi nulla mentio fit plebis: Deinde tam Apoſtoli, quam Seniores loquuti ſunt, donec diſcutiebatur controverſia, & cum magna diſquiſitio fieret. Quod vero poſt diſputationem, in qua & Presbyteri loquebantur, ſoli Apoſtoli ſententias definitivas protulerint, patet ex eo quod inde ſoli Petrus, Paulus, Barnabas, & Jacobus inducuntur a Luca loquentes, quodque nulli alii ſententiam dixerint textus ſubſequens docet, ſiquidem poſt Petri ſententiam mox ſubditur: *Tacuit omnis multitudo, & audiebat Paulum & Barnabam*: inde ſubſequitur Scriptura: *Et poſtquam tacuerunt* (nimirum Paulus, & Barnabas) *reſpondit Jacobus dicens*; mox poſt Jacobum ſubjungitur: *Tunc placuit Apoſtolis* &c. Itaque ruit argumentum Lutheranum. Quod autem ſequitur: *Placuit Apoſtolis & Senioribus cum omni Eccleſia*, de conſenſu tacito intelligendum eſt, quemadmodum in Carthaginenſi pariter contigiſſe ſcimus, (vide inte opera Cypriani) in quo adfuerunt etiam Presbyteri, Diaconi & Laici, ſed ſoli Epiſcopi ſententias dixerunt.

Ob. 2. Generale Concilium Eccleſiam univerſam repræſentat: Ergo ad illud homines confluere debent ex omni genere, ideſt Epiſcopi, Presbyteri, Principes, Laici &c.

Reſp

Reſp. 1. per inſtantiam. Dieta Regni totum Regnum repræſentat, ergo ad eam confluere debent omnes omnino ſubditi. Directe tamen repono, quod ad hoc, ut univerſa Eccleſia repræſentetur, ſatis eſt, ſi univerſi greges repræſententur, cum autem iſti per ſingulos Paſtores repræſententur, liquet aperte Epiſcopos ſufficere. Unde S. Cyprianus lib. 4. Ep. 9. aſſerit, Eccleſiam eſſe in Epiſcopo. Quare Euſebius lib. 3. de vita Conſtantini Nicænum 318. Epiſcoporum vocat conventum orbis terrarum, & Auguſtinus lib. 1. de Baptiſm. c. 18. Nicænum ipſum totius Eccleſiæ conſenſum appellat.

Ob. 3. Communis cauſa communibus votis & viribus juvanda eſt; ſed cauſa fidei communis eſt omnibus Chriſtianis: Ergo &c.

Reſp. Cauſam fidei ad omnes pertinere, ſed ad Prælatos ut Doctores, ad ceteros ut diſcipulos, ad Epiſcopos ut Paſtores, ad ceteros ut oves; ſi autem omnes deberent eſſe Paſtores, quæ eſſent oves?

Ob. 4. Nicolaus I. in Ep. ad Michaelem, quæ habetur etiam diſtinct. 96. *Ubinam legiſtis*, inquit, *Imperatores anteceſſores veſtros ſynodalibus conventibus interfuiſſe, niſi forte in quibuſdam, ubi de fide tractatum eſt, quæ univerſalis eſt, quæ omnium communis, quæ non ſolum ad Clericos, verum etiam ad Laicos, & omnes omnino pertinet Chriſtianos*: Ergo &c.

Reſp. Nicolaus fidem dicens communem, & intervenientem narrans Imperatorem, non dicit, Imperatores Conciliis interfuiſſe ut judices, ſed ut eos, quibus incumbit defendere communem fidem ab Epiſcopis definitam edictis, legibus, & ſi oporteat, etiam gladio.

Ob. 5. Evenit ſæpe ſæpius unius Laici ſententiam totius Synodi ſententiæ præpoſitam eſſe, quoniam magis erat ſcripturæ conſona; ergo debent Laici ad Concilia vocari. Prob. ant. 1. ex Gratiano diſt. 36. quæſt. 2. Canon. ultimo, ubi legimus: *Hieronymi auctoritate Scriptura Sacra munitam toti Concilio Generali præjudicaſſe*. 2. ex Panormitano in cap. *Significaſti* & ex Jo. Gerſone part. 1. de Exam. Doctrinarum, quorum ille dicit, *unius privati ſententiam præponendam eſſe ſententiæ Papæ, ſi ille privatus moveatur melioribus auctoritatibus Teſtamenti veteris & novi*. Iſte autem docet, quemcumque hominem doctum poſſe & debere toti Concilio reſiſtere, ſi videat illud ex malitia, vel ignorantia errare: Ergo &c.

Reſp.

Reſp. Diſt. ant. poteſt unius privati ſententia totius Concilii ſententiæ anteponi ante definitionem Concilii, conc. ant. poſt Concilii definitionem ſubdiſtinguo: ſi non conſtet de legitimitate Concilii, conc. ſecus, nego ant. Ad illud vero ex Gratiano deductum facillimum eſt reſponſum, ſi dicatur mentiri Hermannum aſſerentem juxta Gratianum anteponi Hieronymum Concilio Generali. Non enim de generali, ſed de particulari loquitur Gratianus. Deinde quæ Gratianus Hieronymo tribuit, in hujus Sancti Doctoris operibus nuſquam inveniuntur. Præterea Gratianus eo loci lapſus eſt, cum minime pugnent inter ſe Concilium & Hieronymus. Siquidem Hieronymus dixerat, ſecundum legem veterem licuiſſe raptori ducere in uxorem mulierem, a ſe raptam, ſi pater ejus conſentiat. Concilium vero ſtatuit, non licere raptori raptam ducere in uxorem, quoniam lex vetus Chriſtianos non obligat. Quod ex Panormitano addebatur & Gerſone, eos loqui regero de reſiſtentia, quæ fieri poteſt a quocumque docto viro ante definitionem.

Ob. 6. cum Hermanno Humelmanno lib. 3. Proleg. c. 10. Multæ fidei cauſæ populo judice diſputatæ ſunt, ut refert Clemens Alex. lib. 1. & 2. Recognition. & clarius Ambroſius teſtatur Epiſt. 32. hiſce verbis: *Iſte populus judicat, cujus in corde lex divina eſt, non humana; lex non atramento ſcripta, ſed ſpiritu Dei vivi:* Ergo &c.

Reſp. Duo cum Bellarmino notanda eſſe, judicium ſcilicet publicum & privatum; Publicum, quod profertur a publico judice auctoritatem habente; Privatum, quod ex privati ſententia profluit, quæ non obligat. Tale eſt Judicium auditorum extra Theologorum exedras in publicis diſputationibus. Judicium igitur publicum in cauſa fidei numquam datum eſſe populo, datum vero privatum concedimus. Neque aliquid in contrarium evincunt Ambroſii verba, quin potius aſſertum noſtrum validiſſime confirmant. Subſequitur enim Mediolanenſis Antiſtes: *Veniant plane, ſi qui ſunt, ad Eccleſiam, audiant cum populo, non ut quiſquam judex reſideat, ſed unuſquiſque de ſuo affectu habeat examen & eligat, quam ſequatur:* Ergo Ambroſius denegat populo judicium publicum & auctoritatem.

Ob. 7. In Concilio Nicæno interfuerunt 318. PP. veluti judices, atqui non omnes fuerunt Epiſcopi: Ergo &c. Prob. min. Enim vero Vitus & Vincentius Romani legati erant ſimplices Presbyteri. Ulterius ſubſcriptiones, quæ habentur in Concilio, non ſunt 318. Epiſcoporum. Euſebius

de vita Conſtant. lib. 3. c. 8. aſſerit Epiſcopos interfuiſſe 250. & non aſpernabilem numerum Presbyterorum, Diaconorum & Acolythorum. Euſtathius teſte Theodoreto lib. 1. Hiſt. Eccl. c. 8. docet Epiſcopos Nicænos fuiſſe 270. Qui ſane teſtes ſunt magnifaciendi utpote oculati; Ergo &c.

Reſp. Nos concedere Legatos Pontificios fuiſſe ſimplices Presbyteros, ſed ex extraordinario Pontificis privilegio, cujus perſonam gerebant, judicaſſe. Quod vero ſubſcriptiones 318. non habeantur, hoc probat, eas deperiiſſe cum ſuis primigeniis originalibus. Videbimus dein infra ſubſcriptiones infallibilem regulam non eſſe ad judicandum vel de numero, vel de ordine, vel de qualitate Patrum. Quod ſpectat ad Euſebium & Euſtathium credendum, Synchronos hoſce corruptos fuiſſe. Communior enim & ſolemnior ſententia eſt, Epiſcopos Nicænos fuiſſe 318. Ita Socrates lib. 1. c. 5. Theodoretus lib. 1. c. 3. Athanaſ. in ſua ad Jovinianum Imperatorem Epiſtola, Epiphanius hæreſ. 69. Ruffinus lib. 1. c. 1. Denique Synchroni ſunt Euſebius & Euſtathius, attamen quomodo concordant, ſi unus 250. alter 270. Epiſcopos fuiſſe pronuntiat? Uterque eos vidit? quænam ergo evidentior corruptionis nota?

Ob. 8. Dominus Bouchaud in Encyclopedia univerſali cuſa Pariſiis refert plures Scriptores docere, Athanaſium tunc Eccleſiæ Alexandrinæ Diaconum ſub Alexandro Patriarcha Concilio interveniſſe, improbumque rerum pondus ſuſtinuiſſe, & Vitum & Vincentium ſimplices Presbyteros Sylveſtri Papæ perſonam ibidem repræſentaſſe. Ergo Presbyteri & Diaconi in Conciliis ſederunt & judicarunt.

Reſp. Adeo falſum eſt, Athanaſium rerum pondus ſuſtinuiſſe in ſenſu præſidentiæ, & ſolos Vitum & Vincentium Pontificis perſonam geſſiſſe, ut de Oſio ſcribat Athanaſius ipſe in Epiſtola ad Solitarios, quod Nicæni Concilii Princeps fuerit. Ceterum quidquid ſit de his, hoc firmum eſſe arbitramur, deciſionem ſuffragii deciſivi jure ſuo nec Vitum, nec Vincentium, nec Athanaſium habuiſſe.

Ob. 9. In Actis Concilii Aquilejenſis celebrati an. 381. legitur, S. Valerianum Aquilejenſem primum in eo Concilio habuiſſe locum, & Ambroſium Concilii ejuſdem fuiſſe animam, qui interrogans Attalum Presbyterum, eum ſciſcitatus eſt, utrum Concilio Nicæno ſubſcripſerit, qui cum Palladii Arrianorumque partibus faveret, ſiluit; Proindeque Ambroſius inſtitit dicens: *Attalus Presbyter licet Arrianus ſit*,

*ſit , tamen habet auctoritatem loquendi , profiteatur utrum ſubſcripſerit in tractatu Concilii ſub Epiſcopo Agrippino , an, non ? Tom. 2. Concil. p.* 979. Ex quibus ſatis edocemur , ſimplices Presbyteros auctoritatem habuiſſe loquendi in Conciliis & actis ſubſcribendi ; Ergo &c.

Reſp. Valerianum in Concilio primo ſedentem non eſſe Presbyterum ſimplicem , Ambroſium Concilii animam non eſſe Ambroſium Concilii Præſidem , & Attalum loquentem non eſſe judicem , nec verba Ambroſii jus dare ſuffragii Presbyteris in Concilio ; aſſerit enim Presbyterum auctoritatem habere loquendi. Nec aliquid urget, quod illum percunctatus ſit, num ſubſcripſerit in tractatu Concilii ſub Epiſcopo ſuo Agrippino . Hoc enim idem fuit ac perquirere num Epiſcopo ſuo conſenſerit.

## CAPUT VI.

### *De Concilii Præſide.*

UNum eſſe debere, qui Conciliis præſideat, luculentiſſimum eſt. Cum enim nil aliud ſit Concilium , quam Confeſſio Eccleſiæ univerſalis , neceſſarium abſolute eſt , ut aliquis voces colligat , & deciſiones Concilii pronunciet . Chriſtus caput totius Eccleſiæ in quacumque Eccleſia particulari ab Epiſcopo repræſentatur , ſed modo quæritur , quis debeat eſſe caput, quando omnes Epiſcopi congregati ſunt. Penſanda ſunt aliquantiſper verba Concilii Chalcedonenſis in Epiſtola Synodali ad Leonem Papam . *Si enim*, inquiunt Chalcedonenſes PP. *ubi ſunt duo aut tres congregati in nomine ejus , ibi ſe Chriſtus in medio eorum fore perhibuit , quantam circa* 25. *Sacerdotes familiaritatem potuit demonſtrare , qui & patriæ & labori ſuæ confeſſionis notitiam prætulerunt ? Quibus tu quidem ſicut membris caput præeras , in his , qui tuum tenebant ordinem , benevolentiam præferens; Imperatores vero fideles ad ordinandum decentiſſime præſidebant , ſicut Zorobabel & Jeſus Eccleſiæ tanquam Jeruſalem ædificationem circa dogmata renovare adnitentes .* Quod teſtimonium demonſtrat, PP. Chalcedonenſes duplicem diſtinguere præſidentiam in Conciliis, Pontificum unam , Imperatorum alteram. Ac reapſe cum Princeps armatus ſit gladio, & vi polleat coactiva, ibi præſidet , ut omnia fiant juxta leges & canones, quorum ipſe protector eſt . Ceterum , ut hic loquamur tantummodo de præſidentia hierarchica ,

chica, ſane per illa verba: *ſicut membris caput præerat in his qui tuum tenebant ordinem* ſatis apparet, ad Romani Pontificis jus illam ſpectare. Profecto inconcuſſum omnino eſt, quod, quando Pontifex perſonaliter adſiſtit Concilio, omnes Canoniſtæ recognoſcunt indefectibiliter jus quod habet Pontifex præſidendi, quatenus Epiſcopus eſt primæ ſedis, centrum unitatis catholicæ, & caput univerſalis Eccleſiæ. Aſt non pari modo conveniunt moroſi quidam hanc prærogativam prioribus ſaltem ſæculis habuiſſe etiam Legatos, & plures ex iſtis non altius colligunt originem iſtius juris, quam a Concilio Chalcedonenſi, & ex illis alii putant etiam in Concilio Nicæno Legatos Pontificios præſediſſe. Inter hos ultimos primum tenet locum De Marca, qui in ſuo celebri tractatu de concordia Sacerdotii & Imperii lib. 5. c. 3. 4. 5. 6. 7. reducit quæſtionem de præeminentia Papæ in Conciliis ad tria capita principalia, ſcilicet ad prærogativam ſedendi, ad jus colligendi voces, & ad ratificationem actorum. Dominus Bouchaud duas tantum priores admittit prærogativas, tertiam prout contrariam libertati ſuffragii reſpuit. Dominus Vigor quacumque ex parte priorem rejicit ſententiam, adſtruitque præſidendi jus eſſe Patriarchale & deficiente Papa, Alexandrini Patriarchæ fuiſſe præſidentiam, iſtoque deficiente fuiſſe Antiocheni, & ſic ſemper ex ordine. Lutherani & Calviniſtæ & hic commemorandi ſunt, qui Imperatoris eſſe propriam, clamant, hanc præſidendi auctoritatem, adeo ut ſi Imperator nec per ſe, nec per legatos ad Concilium accedere voluerit, Concilium ipſum teneatur ſibi Præſidem eligere. Contra omnes tamen quoſcumque ſic noſtram explanamus ſententiam.

## CONCLUSIO.

*Summi Pontificis jus ordinarium eſt præſidere in Conciliis, vel per ſe, vel per legatos.*

Dem. Conciliis generalibus præſidere actus eſt poteſtatis Eccleſiaſticæ, & illius poteſtatis, quæ inter ceteras ſuprema eſt in Eccleſia, atqui hæc eſt ſummi Pontificis: Ergo &c. Confirmatur ex eo quod Concilia vocant Pontificem Patrem, & ipſe vocat Epiſcopos in Conciliis congregatos aliquando filios, ut refert præſertim Theodoretus lib. 5. hiſt. c. 15. ubi Damaſus reſpondens Epiſcopis Concilii ſecundi Generalis ſic incipit: *Quod Apoſtolicæ Sedi debitam reverentiam exhibetis, vobis ipſis magno honori eſt, filii honoratiſſimi.*

*ſimi*. Item Antiocheni PP. ad Julium: *Domino beatiſſimo, & honorabili Patri Julio* &c. & Concilium Chalcedonenſe in Epiſtola ad Leonem: *Rogamus tuis decretis noſtrum honora judicium, ut firmitas tua filiis quod decet adimpleat*. At quis quæſo ambigit, an patres filiis præſidere debeant, vel filii Patribus? Ulterius in Concilio Apoſtolico act. 15. Petrus præſedit, ut teſtatur Hieronymus in Epiſt. ad Auguſtinum, quæ eſt 11. inter Epiſtolas Auguſtini. Idemque ex eo colligitur, quod Petrus primus ſurrexit, primus loquutus eſt, primus quæſtionem definiit, & omnes, ut Hieronymus dixit, ſententiam ejus ſequuti ſunt: Ergo &c.

Prob. 2. pars, ſcilicet per Legatos quoque præſidentiam eſſe Pontificis, & ex actis probatur octo generalium Conciliorum Orientalium.

Concilio 1. Nicæno nomine & vice Sylveſtri Papæ præſedit Hoſius Epiſcopus Cordubenſis cum Vito, & Vincentio Presbyteris. De Hoſio enim ſcribit Athanaſius in Epiſtola ad Solitarios, quod Nicæni Concilii Princeps fuerit. Id autem honoris ſupra Orientales Patriarchas non habuiſſet Occidentalis Epiſcopus, niſi Sedis Apoſtolicæ vices egiſſet. Photius lib. de 7. Synodis Hoſio adjungit Vitum & Vincentium tanquam Sylveſtri Legatos hiſt. lib. 1. c. 5. ait: *Urbis vero illius, penes quam imperium eſt* (Romæ ſcilicet) *Epiſcopus ingraveſcente ætate præpeditus abſuit, ſed ejus Presbyteri, qui aderant ejus locum ſupplevere*. Similia habet Theodoretus hiſt. lib. 1. c. 7.

Concilio 2. Generali, quod eſt Epheſinum 1. præfuit Cyrillus Epiſcopus Alexandrinus nomine Cæleſtini Papæ, ut teſtatur Evagrius hiſt. lib. 1. c. 4. dicens: *Cyrillo locum Cæleſtini Epiſcopatum antiquæ Romæ gerentis obtinente*. Idem patet ex Epiſtola Cæleſtini ad Cyrillum: *Quamobrem noſtræ ſedis auctoritate adſcita, noſtraque vice & loco cum poteſtate uſus, ejuſmodi non abſque exquiſita ſeveritate ſententiam exequeris; nempe ut niſi &c.*

Concilio Chalcedonenſi, & Generali 4. præſedit Leo Magnus, ut patet ex ipſius ad Synodum Chalcedonenſem Epiſtola, in qua hæc habentur: *In his fratribus, qui ab Apoſtolica Sede directi ſunt, me Synodo fraternitas veſtra exiſtimet præſidere*. Unde viciſſim ad Leonem Synodus: *Quibus tu quidem ſicut membris caput præeras, in his qui tuas vices obibant*.

Sextæ Generali Synodo præfuiſſe Agathonem Papam per Petrum & Georgium Presbyteros & Joannem Diaconum

 patet

patet tum ex omnibus actionibus, in quibus primi nominantur, loquuntur, ſubſcribunt, tum ex ſermone PP. ad Imperatorem, in quo de ſua definitione dixerunt: *Per Agathonem Petrus loquebatur*.

Generali autem ſeptimæ Synodo, ideſt Nicænæ 2. præſuit Adrianus Papa I. per ſuos Legatos Petrum Archipresbyterum S. Petri, & Petrum Abbatem S. Sabbæ, qui act. 1. 5. 7. dicuntur tenere locum Sedis Apoſtolicæ, & ante omnes Orientis Epiſcopos ſubſcribunt hiſce verbis: *Petrus vices agens Adriani Papæ veteris Romæ definiens ſubſcripſit* &c.

Generali octavo Concilio nomine Adriani Papæ II. præſuerunt Donatus & Stephanus Epiſcopi & Marinus Diaconus. Prior hiſce verbis Concilio ſubſcripſit: *Ego Donatus Dei gratia Epiſcopus Oſtienſis locum obtinens Domini mei Adriani univerſalis Papæ huic S. & univerſali Synodo præſidens omnia, quæ ſuperius leguntur, promulgavi & manu propria ſubſcripſi*.

At quid de Concilio Generali 2. & 5. quibus certum nec per ſe, nec per Legatos Romanum Pontificem præſediſſe.

Reſp. Secundum Concilium in ſe, ut Conſtantinopoli celebratum eſt, non fuiſſe Generale, cum nullus illic adfuerit Epiſcopus Occidentalis, aut aliquis Occidentalis Eccleſiæ Legatus, ſed Generale habitum fuiſſe poſtea accedente conſenſu Concilii Occidentalis, quod circa idem tempus Romæ coegerat Damaſus. Concilium autem Generale quintum Conſtantinopoli ſimiliter celebratum non habuit Pontificem Præſidem, licet illius Concilii PP. Vigilium Conſtantinopoli degentem invitaſſent hiſce verbis. *Ideo petimus*, inquiunt in Epiſtola, quam ad Pontificem ſcripſit Eutychius Conſtantinopolitanus Patriarcha, *ut præſidente nobis veſtra Beatitudine communi tractatu eadem capitula in medio proponenda* &c. Sed Concilii precibus non annuit Vigilius reſponditque: *Ajunt PP. Synodi act. 2. non poſſe una nobiſcum convenire, eo quod plurimi quidem hic ſunt Orientales Epiſcopi* &c. Hiſce tamen non obſtantibus, etſi Concilio Vigilius non præſederit, jus tamen præſidendi in ipſo agnoverunt, ſi eum Epiſcopi Orientales, ut præſidere dignaretur, rogaverunt. Concludendum igitur ex his, quod, ſi jus præſidendi etiam per Legatos ſuos obtinuit Pontifex Romanus, tempore, quo omnia ad Imperatorum nutum gerebantur, hoc

ju.

jus præſidendi in Conciliis ad Papam pertineat. Audiamus modo, quid blaterent adverſarii.

*Solvuntur Objecta.*

Ob. 1. cum Brentio: Concilio 1. Generali certum non eſt, Hoſium Cordubenſem præſediſſe: Ergo &c. prob. ant. Siquidem Magdeburgenſes cum Luthero docent præſediſſe Euſtathium Antiochenum, Calvinus Athanaſium, & alii Imperatorem: Ergo &c.

Reſp. Mentiri Brentium. Imprimis enim Conſtantinus Imperator poſt omnes Epiſcopos ſubſcripſit, deinde Conſtantinus non auſus eſt ſedere, niſi in humiliori ſella & annuentibus Epiſcopis, ut colligitur ex Theodoreto lib. 1. c. 7. & Euſebio lib. 3. de vit. Conſt. Præterea Conſtantinus in ipſo Concilio profeſſus eſt ſe debere ab Epiſcopis judicari, eiſque ſubjectum eſſe, ut ſcribit Ruffinus. Imo Athanaſius in Epiſt. ad Solit. refert, Hoſium ſcripſiſſe Conſtantino: *Ne nobis in hoc genere præcipe, ſed ea potius a nobis, ſi tibi Deus Imperium commiſit, nobis ea, quæ ſunt Eccleſiæ, concredidit*. Et non procul a fine: *Quis enim videns eum in decernendo Principem ſe facere Epiſcoporum, & præſidere judiciis Eccleſiaſticis, non merito dicat, illum eam ipſam abominationem deſolationis eſſe, quæ a Daniele prædicta eſt?* Mentiuntur pariter Magdeburgenſes & Lutherus, qui ex eo informant argumentum, quod in ſubſcriptione Euſtathius primus non invenitur, nec ſecundus, nec tertius, ſed inter alios inferius poſitus, quia cum eſſet in Concilio Alexander Alexandrinus Epiſcopus Antiocheno major & dignior, nulla ratione poterat præcedere, nec juvat regerere, Euſtathium fuiſſe Concilii oratorem pro Imperatore laudando, & a dextris Imperatoris ſediſſe. Si enim cum Bellarmino conjicere licet, ſedium ordines tria Rhombi latera conſtituebant, in quorum ſuperiori ſedebat Imperator medius inter Hoſium & Alexandrum Alexandrinum, nec non Vitum & Vincentium, deinde in latere dextro ſedebat Euſtathius Antiochenus, in ſiniſtro Macarius Hieroſolymitanus. Quod ſi hæc a Bellarmino prolata minus placeant, reponi poteſt. Euſtathium ſediſſe digniori loco ob ſenectutem & ſanctitatem, non vero ob præſidentiam: Sella enim præſidentiæ ſignum non eſt, ut jam oſtendimus exemplo Conſtantini. Mentitur præterea Calvinus pariter ac ſolemniter mentitur cum in medium profert Athanaſii præſidentiam nullo innixus fundamento, eo vel magis, quod Athanaſius ipſe, ut ſupra retulimus, teſtatur in Epiſtola

ad Solitarios, Hoſium Concilii Principem fuiſſe, atque Athanaſii ſubſcriptio inter acta Concilii nullimode adinveniatur.

Ob. 2. Pontifex interveniens Concilio, vel per ſe, vel per Legatos, primumque honorem occupans eſt Concilii præſes; ſed hæc eadem, vel per ſe, vel per Legatos obtinuit: Ergo &c. Prob. min. In prima Synodo Conſtantinus præſedit: in 2. Damaſus Papa partem nullam habuit, & omnia a Theodoſio Imperatore abſoluta ſunt: tertiæ Synodo Theodoſius Junior miſit Candidianum Comitem legatum ſuum, ut patet ex Epiſt. Imperiali ad Synodum Epheſinam, quæ habetur tom. 1. hujus Concilii c. 32. Quartæ interfuit Marcianus, & ſedit primo loco. In quinta non fuit Vigilius, atque ut res tota abſolvatur, addendum eſt quod in Concilio 2. Epheſino milites introducti ſunt, & jubente Imperiali Legato omnia ad ejus nutum peracta ſunt; Ergo Imperatores pariter & Pontifices Conciliis præfuerunt, vel per ſe, vel per Legatos; Ergo jus præſidentiæ ſaltem eſt inter utroſque commune.

Reſp. Imperatores præſediſſe Conciliis, vel ſellam occupando, vel exterioribus conſulendo, vel turbulentias impediendo jam ſatis uſque conceſſimus, & ultro, citroque concedimus. Verum nunquam oſtendere adverſarii poterunt, eos præſediſſe ut judices Eccleſiaſticos, quemadmodum vel Papa, vel ejus Legati præſederunt, nec aliquid urgent, quæ allata ſunt. Et ſane de primo & ſecundo jam ſupra ſatis diximus: relate vero ad tertium Concilium tantum abeſt, quod Candidianus præſederit, quin potius litteras ab Imperatore accepit tom. 1. hujus Conc. c. 32. in quibus Imperator teſtatur, ſe miſiſſe Candidianum, non ut iſte ſe meſceret Eccleſiaſticis quæſtionibus, ſed ad Synodi defenſionem. Quod vero reſpicit quintam Synodum, non eſt cur eadem ſuperius adducta in Theſis probatione repetamus.

Ob. 3. In veteri Teſtamento præcipui judices etiam in rebus ſpiritualibus fuere Principes ſive Reges, ut patet de Moyſe, Joſue, Davide, Salomone, Ezechia, Joſia, aliiſque. Accedit Deum commiſiſſe Principibus cuſtodiam legis divinæ juxta Paulum ad Rom. 13. *Si male egeris time, non enim ſine cauſa gladium portat:* Ergo Principum eſt judicare de lege Dei.

Reſp. Negando propoſitionem. Et quod ad Moyſem pertinet animadverto, Moyſem non ſolum Principem, ſed etiam

etiam Sacerdotem fuiſſe, ut patet ex Pſalm. 98. *Moyſes & Aaron in Sacerdotibus ejus*. Joſue vero Davidem, Salomonem, alioſque Reges & Prophetas extitiſſe concedimus, qui ſe Eccleſiaſticis rebus miſcuerunt, ſed quia id Deus ipſis aliquando extraordinarie commiſit, quæ ad Sacerdotes ex officio ſpectabant. Hoc modo Salomon amovit Abiathar a Sacerdotio, & Sadoc conſtituit pro eo 3. Reg. c. 2. verum id non ut Rex præſtitit, ſed tanquam propheta, *ut impleretur ſermo Domini quem loquutus eſt ſuper Domum Heli in Sylo*. Verum hujus generis quæcumque ſint alia, extraordinaria eſſe patet ex Deuter. c. 17. in quo præcipitur, circa legis dubia conſulendos eſſe Sacerdotes. Et revera optimi Iſraelitarum Reges aut numquam ſacerdotalibus ſe negotiis immiſcuerunt, aut ſi ad ſacra poteſtatem regiam extendere voluerunt, a Deo graviter percuſſi ſunt, ut de Oſia legitur 2. Paral. 26. Ad Paulinum teſtimonium enucleandum dicimus, Reges eſſe cuſtodes legis divinæ, non enim ſine cauſa gladium portant, non tamen legis interpretes eſſe. Siquidem munus eſt legibus & edictis jubere, ut ea fides teneatur, quam Sacerdotes tenendam docent, & hæreticos ab Eccleſia damnatos temporalibus pœnis affligere, ut Auguſtinus docet in Epiſtolis 48 50. & 116. & Imperatores Conſtantinus, Theodoſius, Marcianus, aliique laudabiliter præſtiterunt. Sed quid hæc cum præſidentia Concilii? Vid. P. Berti de Theolog. Diſc. lib. 16. c. 16.

Ob. 4. Ex operibus Vigilii Epiſcopi Tridentini habetur, Athanaſium cum Arrio diſputaſſe præſidente Probo judice homine Laico, & nondum Chriſtiano, quem Imperator Conſtantinus deputaverat: Ergo &c.

Reſp. Numquam hanc fuiſſe habitam diſputationem, ſed Vigilium per modum dialogi illam compoſuiſſe contra Arrianos ſcribens, ut ipſe fatetur lib. 5. contra Eutychem, quod etiam evincitur ex diverſa temporum ſerie. Qui enim diſputant ſunt Sabellius, Arrius & Photinus ex una parte, ex altera vero Athanaſius tunc Epiſcopus, ut patet ex Epiſt. Imperatoris, quæ initio diſputationis fingitur miſſa ad Probum; at Sabellius obiit, antequam ullus ex aliis tribus orbi innoteſceret, ut patet ex Euſebio lib. 7. Arrius obiit tempore Conſtantini, antequam Conſtantius regnare inciperet, ut patet ex Socrati lib. 1. c. 25. Cum ergo diſputantes ſimul non potuerint coexiſtere, evidentiſſime ſequitur, totam hanc diſputationem Vigilii ingenio fuiſſe contextam.

In-

Inſtab. Licet dialogus fictitius ſit habendus, apparet tamen, Vigilium exiſtimaſſe hominem laicum potuiſſe præſidere Concilio: Ergo &c.

Reſp. Vigilium hac de cauſa dialogum ſuum compoſuiſſe, ut oſtenderet, tantam eſſe vim catholicæ veritatis, ut etiam ſub judice non Chriſtiano vincere poſſet. Sed Vid. Clar. Bert. loc. cit.

Ob. 5. Zonaras in vit. Conſtant. teſtatur, quod volente Helena pertrahere Conſtantinum filium a fide Chriſti ad Judaiſmum, Sylveſtrum cum Judæis diſputaſſe coram quibuſdam Senatoribus tanquam judicibus ex mandato Conſtantini: Ergo &c.

Reſp. Veteres omnes Helenam veluti Chriſtianiſſimam commendare: Ipſos Magdeburgenſes Cent. 4. col. 694. hanc narrationem veluti fabellam irridere, ipſamque veluti quoddam Zonaræ commentum traducere.

Ob. 6. Optatus Milevitanus & Auguſtinus multoties ſcribunt, Donatiſtas in cauſa Cæciliani ab Imperatore judices poſtulaſſe, Imperatorem eis dediſſe Romanum Epiſcopum cum aliis quibuſdam Epiſcopis, ſed iſtis recuſatis ab Imperatore alios judices in Gallia accepiſſe, quibus denuo rejectis Imperatorem tandem per ſemetipſum eos judicaſſe: Ergo &c.

Reſp. Hæreticos ita argumentantes ſuorum prædeceſſorum impudentiam præſeferre. Vel enim Auguſtinum & Optatum non legerunt, vel vaferrime prætermiſerunt. Auguſtinus enim Epiſt. 48. ſcribit, hinc merito reprehendi Donatiſtas, quod apud Imperatorem accuſaverint Cæcilianum, cum potius eum apud Epiſcopos tranſmarinos convincere debuiſſent, additque ibidem Imperatorem ordinatius egiſſe, qui Donatiſtas ad ſe venientes remiſit ad judicium Miltiadis Papæ. Optatus autem lib. 1. contra Parmenianum refert, Imperatorem ſic exclamaſſe: *Oh rabida furoris audacia! ſicut in cauſis Gentilium fieri ſolet, appellationem interpoſuerunt*. Quæ ſane quomodo adverſarios juvent, non videmus.

Ob. 7. Sozomenus lib. 4. c. 5. & Epiphanius Hæreſ. 17. ſcribunt, Photinum petiiſſe & impetraſſe ab Imperatore judices, coram quibus cauſam ſuam ageret: Ergo &c. Rurſus ex brevic. collat. eruitur, Auguſtinum diſputaſſe cum Donatiſtis apud Tribunum & notarium Marcellinum, quem ſententiam tuliſſe contra Donatiſtas idem Auguſtinus teſtatur: Ergo &c.

Reſp. Ex Doctrina Auguſtini patet, collationem illam cum Donatiſtis extraordinariam fuiſſe, & quadam neceſſitate

ſuſceptam. Nam, ut ſcribit Auguſtinus lib. 3. contra Julianum c. 1. cum Pelagiani vellent idipſum renovare, Auguſtinus reſpondit, Catholicos eam collationem modo extraordinario cum Donatiſtis neceſſario habuiſſe, eo quod illi totam Africam infeſtarent, nec poſſent aliter reprimi, nec ad Concilium cogi, niſi per temporales poteſtates, quemadmodum factum eſt. Ulterius non ita judicavit Marcellinus, ut ab ejus ſententia Eccleſia penderet, ſed ut reprimeret Donatiſtarum audaciam: judicium enim ille protulit, ut victos declararet hæreticos, ita ut illi, quid reponerent, non haberent; quemadmodum eveniſſe ſcimus diſputante Auguſtino cum Auxentio Arriano arbitro Laurentio Ep. Aug. 174. & 178. Eadem dicenda de diſputatione Photini Hæreſiarchæ & ſimilibus.

Ob. 8. Ex Theodoreto lib. 5. c. 23. habemus, quod cum Romanus Pontifex nollet, Flavianum eſſe Epiſcopum Antiochenum, Theodoſius aliter judicavit & juſſit. Ergo &c.

Reſp. Quod cum in Eccleſia Antiochena duo eſſent electi Epiſcopi Meletius & Paulinus, proindeque Eccleſia illa ſchiſmate ſcinderetur, decretum fuit, ut ambo ſimul ſederent, cum hoc tamen, quod alterutro mortuo unicus remaneret Epiſcopus, atque id jurejurando firmatum eſt. Paulo poſt mortuo Meletio vivente adhuc Paulino, Flavianus eligitur. At quid inde? Jure Pſeudoepiſcopus habitus eſt a Romano Pontifice, & nonniſi per ſummam improbitatem & injuſtitiam potuit Flavianus ad Antiochenam Sedem evehi. Unde merito Ambroſius Ep. 78. ad Theophil. Alex. *De hac re*, ait, *ſcribit Sanctitas tua, Flavianum ad Imperialium reſcriptorum ſuffragia remeaviſſe. Fruſtra ergo tantorum Sacerdotum fuſus labor, iterum ad hujus ſeculi judicia revertendum:* & infra: *Sane referendum arbitramur ad S. fratrem noſtrum Romanæ Sacerdotem Eccleſiæ; Ergo &c.* Præterquamquod ex quo Imperator Flavianum Epiſcopum Antiochenum eſſe voluerit, colligitur ne inde, Imperatoris eſſe capitis perſonam portare in Eccleſia? Denique & illud ex hiſtoria certo ſcimus, Occidentis & Ægypti Epiſcopos cum Flaviano communicare noluiſſe, donec Pontifex Romanus illi delictum condonare dignatus eſt, & Legatos ejus Epiſcopos, Presbyteros ac Diaconos Antiochenos Romam miſſos admiſit, audivit, & acceptavit. Quod ſane probat Orientalium Eccleſiarum ſententiam fuiſſe non communicandum cum Epiſcopo, qui Romano Pontifici non conſentit.

CA-

# CAPUT VII.

## *De auctoritate Conciliorum.*

DE Conciliorum auctoritate hoc capite diſputationem aggredientes, ita omnia complexa ſimul pertractanda ſumimus, ut nihil relate ad Concilia in genere deſideretur, & uno capite abſoluta cenſeantur. Ut itaque quis poſſit de auctoritate Conciliorum dignoſcere, quam Lutherus & Calvinus tantopere inſectati ſunt, de eorum legitimitate nonnullas neceſſarium ducimus notiones præmittere: Quare

Not. 1. Legitimum non eſt Concilium, ad quod non convocantur totius Eccleſiæ Epiſcopi. Et quidem merito; Epiſcopi enim a Deo poſiti ſunt in Eccleſia veluti Paſtores atque Doctores, quibus Paulus dixit: *Attendite vobis & univerſo gregi, in quo vos Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei. Act.* 20. 28. Sunt ergo & judices poſiti iis in rebus, quæ ad Eccleſiam paſcendam, docendam & regendam pertinent: Habent ergo poteſtatem jure divino judicandi in conciliis de rebus iſtiuſmodi, & ſuffragium ferendi. Unde ſequitur manifeſte omnes debere ad Concilium vocari, nec ullum, qui venire voluerit, excludi poſſe; ac proinde legitimum non erit Concilium, ſi vel non omnes Epiſcopi vocati fuerint, vel ſi cum vocati advenerint, non fuerint admiſſi.

Quæres. Quomodo Concilia pleraque priorum ſæculorum fuerint legitima, cum ab ea vel nullos, vel ferme nullus Epiſcoporum Occidentalium adfuerit?

Reſp. Vel Epiſcopi Occidentales repræſentabantur per Legatos Apoſtolicæ Sedis, vel vocati noluerunt accedere, quo in caſu vere legitima habenda ſunt illa Concilia.

Not. 2. Quot Epiſcopi requirantur, ut Eccleſiam univerſalem repræſentent, determinari non poſſit, quia imprimis non requiri, ut omnes totius orbis Epiſcopi Concilio Generali interſint, certiſſimum eſt, cum univerſalis Eccleſia per Epiſcopus a Provinciis deſignatos repræſentari poſſit, qui omnium totius Provinciæ Eccleſiarum ſententiam ad Concilium Generale deferant. Id perſpicuum eſt ex Synodo *6.* act. 4. ex Epiſtolis Agathonis Papæ, & Synodi Roman. ad Conſtantinum Imperatorem, quæ ſuggeſtiones dicuntur, eo quod Agathonis & Concilii Romani ſententiam ſuggerant & declarent. Reaſpe Pontifex in illis tarditatem ſuam

ſuam excuſat, eo quod Concilium ex Provinciis tam longe diſſitis citius congregare non potuerit. Inde vero ſic loquitur: *Perſonas de noſtræ humilitatis ordine præmittimus dirigere ad veſtræ a Deo protegendæ fortitudinis veſtigia, quæ omnium noſtrum, ideſt univerſorum per ſeptentrionales & occiduas Regiones Epiſcoporum ſuggeſtionem, in qua & Apoſtolicæ noſtræ fidei confeſſionem prælibavimus, offerre debeant.* Hæc autem ſuggeſtio pro ſufficienti inſtructione habita fuit de conſenſu totius Occidentis: unde in Epigraphe ipſius, cum in edit. Romana Concil. tum in collect. Binii & Jurii iſta leguntur: *Epiſtola Agathonis & Romanæ Synodi 125. Epiſcoporum*. Atque omnium primus Agatho ita ſubſcribit: *Agatho Epiſcopus ſanctæ Dei Catholicæ atque Apoſtolicæ Eccleſiæ urbis Romæ huic ſuggeſtioni cum generalitate totius Apoſtolicæ Sedis Concilii pro rectitudine Apoſtolicæ confeſſionis factæ, ſicut ſuperius continetur, conſenſi & ſubſcripſi.* Tum ſubſcribuntur & alii Epiſcopi, inter quos aliqui non tantum ſuo, ſed & Eccleſiæ ac Synodi ſuæ nomine hoc modo: *Adeodatus Epiſcopus Lucorum tum ſuo nomine tum Synodi ſubſtitutæ per Gallias; Wilphridius Epiſcopus Eboracenſis Legatus Synodi Britanniæ, ſimiliter pro Synodo Britannica; Item Felix Epiſcopus Arelatenſis Legatus Synodi per Provincias Galliarum: Taurinus Diaconus Eccleſiæ Tolonenſis, Legatus Synodi per Galliarum Provincias: Manſuetus Epiſcopus Mediolanenſis, & Valentinus Aquenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſua omnes, atque Eccleſiarum ſuarum nomine actis ſubſcribunt.* Ceterum dum ejuſmodi Synodi Provinciales prius celebratæ non eſſent, ſi quando dubium foret, an qui convenerunt ad Generale Concilium, ad illud repræſentandum ſufficerent, expectandus ſuper eo foret unanimis Eccleſiæ conſenſus, qui dum non haberetur, Concilium iſtud Generale eſſe nondum conſtaret.

Not. 3. Concilium non eſt legitimum, cum Epiſcopis non relinquitur libertas examinandi & decidendi de controverſiis Eccleſiæ. Ubi enim libertas non eſt, ibi Epiſcopi non quod ſentiunt, ſed quod vi aut metu ab ipſis extorquetur, pronunciant. *Quæ enim per tormenta contra priorem ſententiam extorta ſunt, ea, jam non metuentium, ſed cogentium voluntates habendæ ſunt.* Inquit Athanaſius ad Solit. de Liberio vi coacto damnationi Athanaſianæ ſubſcribere. Porro illegitimum eſſe concilium, quod liberum non eſt, jam ante dixerat Liberius in reſponſione ad Euſebium Eunuchum, qui cum litteris & muneribus ad eum miſſus fuerat

fuerat ab Imperatore, ut contra Athanaſium ſubſcriberet. *Si omnino*, ait, *Imperator curam ſuam pro Eccleſiaſtica pace interponere quærit, aut ſi ſcripta a nobis pro Athanaſio deleri jubet, deleantur quoque ea, quæ contra illum ſcripta ſunt, fiatque deinde Eccleſiaſtica Synodus longe a Palatio, ubi nec Imperator præſto eſt, nec Comes ſe ingerit, nec judex minatur . . . . Timor Dei ad omnia ſufficit, & Apoſtolorum inſtitutio*.

De Conciliis non liberis Gregorius Nazianzenus verba facit in Epiſtola ad Procopium inferius ſuo loco adducenda, ibique de Conciliis inſtituit ſermonem, quæ ſub Conſtantio celebrabantur, qualia fuere Seleucienſe, Ariminenſe, Tyrium, Mediolanenſe, Sirmienſe &c. in quibus omnia agebantur per vim illatam a Conſtantio, Arrianis omnia concedebantur, negabantur omnia Catholicis, quorum ſuffragia, vel non audiebantur, vel ſpernebantur audita. Hæc in Concilio Mediolanenſi præſertim evenerunt, ac rurſus in Ariminenſi Synodo, quod etſi initio dum liberum fuit Generale ac legitimum ſit habitum, in fine tamen, ubi libertas Epiſcopis per Conſtantium ablata, & vis quædam illata eſt, in illegitimum deſiit. *Totum Concilium*, inquit Athanaſ. lib. de Synod. *ſuis calculis Nicænam Synodum approbavit, & eam ad omnia ſufficere judicavit, Urſacium vero & Valentem, Germinium, Auxentium, Cajum, Demophilum hæreticos pronuntiavit, & contra eos ſubmotos ab Eccleſia, ut non vere Chriſtianos, litteras ſcripſerunt miſſis legatis decem ad Conſtantium, qui ſententiam Synodi ad eum perferrent*. Verum a Conſtantio detenti ſunt Legati, atque ad ſubſcribendum Arrianorum perfidiæ, & cum illis communicandum compulſi, *Ita dimiſſis Legatis*, inquit Severus lib. 2. *Præfecto Tauro mandatum dat, ut Synodum non ante laxaret, quam conſcripta fidei conſentire ſe omnes profiterentur, ac ſi qui pertinacius reſiſterent, dummodo is numerus intra 15. eſſet, in exilium pellerentur . . . . . paulatim plerique noſtrum partim imbecillitate ingenii, partim tædio peregrinationis evicti dedere ſe adverſariis, & qui minis & terriculis non ceſſerant, Taurus Præfectus precibus aggreditur, ac lacrymans obteſtatur. Hoc vero modo Concilium dimiſſum bono initio fœdo exitu eſt conſummatum*. Idem patet ex 2. Epheſina Synodo, de qua ita ſcribit ad Theodoſium Auguſtum S. Leo Ep. 24. *Concilium Epiſcoporum, quod propter Flavianum in Epheſina civitate fieri præcepiſtis, & ipſi fidei probatur obeſſe, & omnes Eccleſias vulnera-*

*nerare. Hæc autem ideo culpa proceſſit, eo quod non pura conſcientia, & recto judicio ſecundum conſuetudinem ii qui collecti ſunt de fide protulerunt. In ipſo autem judicio non omnes qui convenerunt interfuiſſe cognovimus, nam alios rejectos, alios didicimus intromiſſos, qui pro ſupradictis Sacerdotis arbitrio impiis ſubſcriptionibus captivas manus dederunt.*

Not. 4. Concilium Generale per Legatos Summi Pontificis celebratum firmam certamque non habet auctoritatem, quoadusque a Pontifice non confirmetur. Deſiderans enim hanc confirmationem caret illo, pro cujus fide rogavit Chriſtus, & ad quem fidei ſumma referenda eſt. Id ſentit Cajetanus de auctor. Papæ, id etiam Cardinalis Turrecremata lib. 3. c. 6. 8. & 38. quibus oſtendit, omnia retro antiqua Concilia a Summis Pontificibus confirmationem dogmatum petiiſſe. Præterea Nicæna Synodus in Epiſtola ad Sylveſtrum Papam: *Quidquid*, ait, *conſtituimus, præſtolamur, ut veſtri oris conſortio confirmetur.* Quibus Sylveſter reſcripſit dicens: *Confirmo ſigoque ad Doctrinam veſtram reclamantes de unitate Trinitatis:* & paulo infra: *Vera ſunt quæ in veſtrum noſtrumque manavere myſterium.* Idem docent PP. Concilii Chalcedonenſis in Epiſt. ad Leonem, idemque oſtendit Leo ipſe reſcripto Epiſtolæ ſuæ, quæ eſt ordine 59. Adde quod Eccleſia ante Pontificis confirmationem numquam firmum habuit & ratum, quod a Legatis in Concilio præſidentibus definitum eſt. Hinc Marcianus Auguſtus voluit a Leone Concilii Chalcedonenſis confirmationem: Hinc Leo Marciano commendavit Epiſt. 57. ut ſui approbatio ad omnes Eccleſias perferretur. Præterea cum Pontifex ſuæ fidei ſoliditatem in Legatos non transferat, Legati in Concilio errare poſſunt. Non enim pro Legatis Petri, ſed pro Petro rogavit Chriſtus. At contra viri docti ſentiunt, Concilium Generale legitime congregatum ſolidam certamque habere auctoritatem, priuſquam a Summo Pontifice confirmetur, atque hiſce innituntur momentis. 1. Quia hujuſmodi Concilium per Legatos Pontificis celebratum univerſalem repræſentat Eccleſiam, ac proinde errare nequit, ſicuti nec Eccleſia univerſalis, Eccleſiam vero repræſentare univerſalem a Martino V. definitum eſt in fine Concilii Conſtantienſis. 2. Concilium Generale legitime congregatum, in Spirito Sancto congregatum eſt; quare habet Spiritum Dei adſiſtentem, cujus præſentia freti poſſent Concilii PP. dicere ut in Act. 15. *Viſum eſt Spiritui S. &*

*no-*

*nobis*. Quod confirmatur teſtimonio Julii diſt. 17. cod. Reg. ad Orientales Epiſcopos inquientis : *Regula veſtra nullas habet vires, quoniam Romanæ Eccleſiæ Legatus non interfuit ;* ubi ergo Legatus intereſt, videtur Concilium pleniſſimam habere auctoritatem.

Ad hanc quæſtionem explicandam aſſerimus 1. Experientia conſtare Pontificis Legatos non ſolere ad Concilium accedere, niſi prius inſtructos de Eccleſiæ Romanæ fide circa ea, quæ ſunt in Concilio definienda, quamquam id vero abſolute non ſit neceſſarium. Legati enim ad Concilium Tridentinum non inſtructi acceſſere, cum quæſtiones differendæ eſſent propemodum infinitæ. 2. Poſſet Concilium Legatis, vel Legati Concilio repugnare, & tunc cum univerſalis repræſentata non eſſet Eccleſia, Concilium præfatam auctoritatem non haberet. Ut ergo cognoſcatur Concilium in Spiritu S. congregatum opus eſt, ut judicet infallibilis cathedra. De Legatis corruptis exempla habemus in Concilio ſub Michaele Imperatore celebrato, ubi Rodoaldus & Zacharias Michaeli & Photio conſenſerunt adverſus Nicolai inſtructionem atque mandata, ut videre eſt in Epiſtola Nicolai ad Patriarchas Metropolitas, ac reliquos Epiſcopos.

Quid vero ſi Legati ſine Apoſtolicæ Sedis inſtructione ad Synodum acceſſere? Nec urget, Eccleſiam errare non poſſe. Hoc enim admittendum, ſi intelligas omnes omnino fideles hæreticos ſimul fieri nequaquam poſſe, non autem ſi de Concilio non confirmato accipias. Nec urget pariter, quod in Spiritu S. congregatum ſit Concilium Generale, in quo ſunt Pontificii Legati. Concilium enim ut Spiritui Sancto conſentiat, debet & cum Pontifice concordare. Quoadusque ergo iſtius infallibile oraculum non auditur, ſemper incerta erit Concilii firmitas. Quod vero de Julio addebatur, nullius eſt roboris. Siquidem Concilium non ſolum a Pontifice debet confirmari, ſed & Legati adeſſe debent. Julius ergo ſcribit, nec Pontificem, nec Legatos Concilium illud habuiſſe.

Not. 5. Concilium Summi Pontificis auctoritate firmatum, ejuſque definitiones nonnulli putant ad Sacras Scripturas pertinere. 1. Quia Sacra Scriptura vocatur, quæ Spiritu S. afflante ſcripta eſt. 2. Quia Auguſtinus Summorum Pontificum Epiſtolas Decretales canonicas ſcripturas eſſe dicit, ut refert Gratianus diſt. 19. c. 1. *Canonicis* ; ſi ergo Decretales Epiſtolæ ſacræ Scripturæ ſunt, & Concilii De-

Decreta ad ſacram Scripturam pertinere exiſtimabuntur. 3. Innocentius de celebratione Miſſarum eamdem ſententiam videtur amplecti, dicens, Scripturam ſacram aſſerere, quod injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre: quæ ſane verba vel Pontificis, vel Concilii ſunt. 4. Fides Catholica nihil credit, niſi quod eſt a Deo revelatum, & proinde ſi Concilii Decretis credimus, illa ſunt a Deo revelata, quod idem eſt ac eſſe Scripturas Canonicas. Verum & his reponimus, duplex diſcrimen eſſe inter ſacros auctores, & Summum Pontificem, Patreſque Concilii. Unum, quod auctores ſacri ex proxima Dei revelatione, vel inſpiratione ſcribunt Catholica dogmata, nec exteris egent ad ſcribendum incitamentis, aut humana ratiocinatione, qua ex Scripturis argumententur, diſquirant, colligant: Econtra Concilia humana via incedunt, atque tunc recte ſe habent, quando ex Scripturis, vel ex traditione diſquirunt & colligunt. Non enim PP. Concilii Spiritum S. habent adſiſtentem, ſicuti Apoſtoli & Prophetæ habuerunt ſcribentes, dico ſcribentes; nam & Apoſtoli in Synodo Hieroſolymitana congregati non ſtatim revelatum habuere, quid eſſet in fidei cauſa decernendum, ſed facta eſt prius, ut Lucas ait act. 15. *magna conquiſitio*. Alterum diſcrimen eſt, quod Scriptoribus ſacris Dei ſpiritus adeſt in ſingulis etiam minimis rebus, & Patribus Synodi ſpiritus veritatis non eſt præſens, niſi in rebus ſolum ad ſalutem neceſſariis. Hinc quiſquam forſan argumentabitur: Ergo ne Concilii Hieroſolymitani decreta utpote facta magna conquiſitione Scriptura ſacra non erunt? Ergo ne cum nobis non conſtet, an Pontifex, vel Concilia omnem adhibuerint diligentiam, de eorum firmitate dubitabimus? Verum facilis eſt reſponſio ſi dicatur, quod quemadmodum verba Pilati ad Canonem pertinent, non quia Pilatus dixit, ſed quia ſcripſit Evangeliſta, ſic & Hieroſolymitani Concilii definitiones ſacram Scripturam eſſe, quia Lucas ſcripſit. Perpendendum deinde, Deum ſuaviter omnia diſponere, ſimulque proſpicere & finem & media, proindeque cum promiſerit, non defecturam fidem Petri, Concilia, quæ a Petri ſucceſſoribus confirmata ſunt, firma in fide putabimus, quia Deus media ad hujuſmodi firmitatem conducentia jam certe tradiderit.

Ad id vero quod ſecundo loco opponebatur ſuperius, ex Gratiano reſpondemus, Gratianum Auguſtini ſententiam non eſſe aſſequutum. Ait enim S. P. *In Canonis Scripturis Eccleſiarum Catholicarum quamplurimum auctoritatem ſequamur*,

*mur*, *inter quas* ( ſcilicet Eccleſias ) *ſane illæ ſunt*, *quæ Apoſtolicas Sedes habere*, *aut Epiſtolas accipere meruerunt* . Tertiæ vero rationi occurrimus aſſerendo leges Pontificias & Conciliares , quandoque ſacras appellari , ut a legibus Principum diſcriminentur , atque hoc ſenſu eas vocavit Innocentius ſacram Scripturam. Sic divina lex vocatur Canonica, humana vero Civilis. Id notarunt Cardinalis Hoſtienſis, Andreas Barbatius Siculus cum aliis Juriſperitis, & Innocentius IV. cap. *Cum de diverſis de Privileg. in 6.* non obſcure jus Canoicum divinum vocat , civile autem humanum, & legem Canonicam ſacram ac Divinam appellat Juſtinianus in *Auth.* §. *Si vero* . Ad 4. reponimus, Eccleſiam in fidei definitionibus conſulere non ſacras litteras tantum , verum etiam Apoſtolorum inſtituta, & PP. traditionem, non ſemper ergo articuli fidei in pura ſtatuuntur revelatione. Hiſce præjactis quid de Conciliorum auctoritate ſentiendum ſit, ſequentibus oſtendendam propoſitionibus.

### Conclusio I.

*Concilium Generale Romani Pontificis auctoritate nec congregatum , nec confirmatum errare poteſt in fide .*

Dem. Concilium Ariminenſe & Conſtantinopolitanum ſub Leone Imperatore celebratum erraverunt , licet primum ſexcentorum eſſet Epiſcoporum, alterum tercentorum : Ergo Concilium Generale &c. Confirmatur ex definitione Damaſi in Epiſt. ad Stephanum Archiepiſcopum, & ex tribus Africanis Conciliis , quæ in Epiſt. ad eumdem Damaſum hoc ipſum confeſſa ſunt. Hoc idem tradidit 7. Synodus *6.* act. & 8. act. 1. & 7. nec non Synodus Romana ſub Symmacho diſt. *96.* & Concilium Lateranenſe ſub Leone X. ſeſſ. 11. Ergo &c.

### Conclusio II.

*Concilium Generale etiam Romani Pontificis auctoritate congregatum errare poteſt in fide .*

Dem. Concilium Epheſinum ſecundum, ut jam vidimus, Legatis Leonis repugnantibus ferme generaliter ſubſcripſit hæreſi Dioſcori : Ergo &c. Confirmant propoſitionem Nicolaus Papa ad Michaelem Imperatorem, Synodus 8. act. 7. Eugenius IV. in Decr. *ſuper unionem Jacobitarum* , in quo poſt damnatam Epheſinam ſecundam Synodum ſub Leone congregatam ait : *Suſcepit S. Romana Eccleſia omnes univerſales Synodos auctoritate Romani Pontificis legitime congre-*

*gregatas*, *celebratas*, & *confirmatas*, nota, non dixit *congregatas* ſolum, ſed *celebratas* & *confirmatas*. Ergo &c. Præterea nullum Concilium ratum eſt, quod non ſit a Pontifice confirmatum, ut Julius, Damaſus, Pelagius, aliique tradiderunt, ſed quamvis Concilium auctoritate Pontificis congregatum ſit, ſi non confirmatum & auctoritate Apoſtolica fuerit roboratum, errare non poteſt in fide.

C o n c l u s i o III.

*Concilium Provinciale non confirmatum a Summo Pontifice errare poteſt in fide.*

Dem. Concilium Mediolanenſe erravit, ut videre eſt lib. 10. Hiſt. Eccl. c. 20. & Antiochenum 90. Epiſcoporum, ut lib. 4. Hiſt. Trip. c. 9. Item Seleucianum ejuſd. Hiſt. c. 24. aliaque plura Concilia.

C o n c l u s i o IV.

*Ex Conciliis Provincialibus etiamſi non confirmatis a Romano Pontifice probabile argumentum ſumitur ad fidei dogmata ſuadenda.*

Dem. Ex his namque Conciliis vix quinque aut ſex reperiuntur, quæ erraverint, eaque nota ſunt: ſi ergo Concilia raro deficiunt, probabile argumentum præbent ad fidei dogmata ſuadenda, ac certe niſi peculiariter ſint reprobata, implicito quodam conſenſu videntur comprobari. Non enim veriſimile eſt, quod ſi errorem continerent, vellet Eccleſia eorum errorem diu ferre & diſſimulare, cum error, cui non reſiſtitur, approbetur. Nec objiciatur Illiberitanum Concilium, ex parte enim qua erravit, a Catholicis reprobatum eſt, quemadmodum ubi recte decrevit, approbatum.

C o n c l u s i o V.

*Concilium Provinciale Pontificis auctoritate firmatum nequit errare in fide.*

Dem. Multi ex Hæreticis in Provincialibus Synodis damnati ſunt, quorum damnatio certiſſima eſt, & infallibiliter credenda: Ergo Concilium Provinciale &c. Prob. ant. Priſcillianus damnatus eſt in Concilio Toletano 1. confirmato a Leone II. Helvidius in Concilio Thellenſi, Pelagius in Conciliis Milevitano, & Carthaginenſi, quamquam Pelagium in Synodo Epheſina damnatum etiam tradat Gregorius de Hæreticis cap. *fraternitatis*, quæ tamen ſententia non extat hodie in actis præfatæ Synodi. Deinde firmiter credendum eſt, Deum Eccleſiæ ſuæ conſuluiſſe, nec ſemper pro quacumque hæreſi expedire, ut Generale Concilium convocetur: Ergo Concilia Provincialia a Papa confirmata

non errabunt, eorumque Decreta firma erunt, atque inconcuſſa.

## Conclusio VI.

*Concilium Generale confirmatum auctoritate Romani Pontificis certam fidem facit Catholicorum dogmatum.*

Hæc Concluſio eſt de fide, contraria hæretica, quia alioquin univerſæ a Conciliis damnatæ hæreſes ambiguum præferrent errorem, Symbolum quoque Nicænum erit incertum. Deinde ſi Concilium hujuſmodi errare poſſet in fide, nulla profecto certa via eſſet ad explorandum in fidei controverſiis Catholicum dogma, nullus vivus eſſet judex, nullusque modus veritatis cognoſcendæ, cum jam ſupponendum ſit contra Novatores ſpiritum privatum, ſacramque Scripturam de ſe non ſufficere ad judicandum, ut videri poteſt apud Clar. Bertium in loco, quem paulo ante hunc librum citavimus.

Probatur ulterius ex eo, quod ſi auctoritas Concilii hujuſmodi denegetur, magna ſacrarum Scripturarum pars ſit quoque amittenda. Si enim Lutherus Epiſtolam ad Hebræos, Jacobi Epiſtolam, Apocalypſim Joannis &c. a ſacrorum librorum albo expungat, quiſnam definire poterit & judicare? Scriptura? iſta canonicitatem librorum non prædicat: ſpiritus privatus? iſte etiam inter Novatores pugnax eſt & diſſidioſus, ut videre eſt ex Luthero & Zuinglio, quorum primus conſecrationis verba vult proprie eſſe accipienda, ſecundus vero figurate: Ergo &c.

*Reſponſiones ad Objecta.*

Ob. 1. Pontifices & Phariſæi collegerunt Concilium, cujus ſententia impia fuit, utpote deicidium decernens; Non ergo Synodi Sacerdotalis judicium probandum eſt. Sicut enim Princeps Sacerdotum, & omne Concilium quærebant falſum teſtimonium contra Jeſum Matth. 26. & omnes Principes Sacerdotum & Seniores populi adverſus Jeſum Concilium inierunt Matth. 27. ita & Epiſcopi ac Pontifices noſtri contrariam Jeſu Chriſti ſententiam ferre poſſunt.

Reſp. Negando conſequentiam. Nam Sacerdotum veterum acta Chriſto quidem fuerunt adverſa, ſententia vero, quæ iis verbis Joannis *expedit ut unus homo moriatur pro populo* continetur, non ſolum veriſſima, ſed etiam humano generi utiliſſima fuit: quod adeo verum eſt, ut Evangeliſta verba illa prophetica fuiſſe teſtatus ſit. Caiphas enim, qui

qui ut Summus Pontifex Concilio præſidebat, & cui omnes ferme conſenſerunt, a ſemetipſo non dixit, ut idem Joannes teſtatur, ſed cum eſſet Pontifex anni illius prophetavit. Qua de re fieri certe poteſt, ut noſtrorum Pontificum vita & Epiſcoporum mores forte non ſint ſecundum Chriſtum, ſed eorum judicia a Summo Pontifice comprobata & vera erunt, & utilia Chriſtifidelibus. Non ignoro alios reponere, vel Hebræorum Eccleſiæ promiſſam non fuiſſe infallibilitatem, vel jam tempore Chriſti ceſſaſſe. Nihilominus prior reſponſio ſpernenda minime videtur.

Ob. 2. Si infallibile eſt Concilium, certe ex aliquo divino pacto infallibilitas iſta debet proficiſci; at nullibi de hoc pacto ſignum, vel ſi aliquod eſt, ea ratione interpretandum, qua illud Levi interpretamur apud Malachiam c. 2. ubi legimus: *Lex veritatis fuit in ore ejus, & iniquitas non eſt inventa in labiis ejus, & in pace & æquitate ambulavit mecum, & multos avertit ab iniquitate. Labia enim Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt. Vos autem receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege, irritum feciſtis pactum Levi, dicit Dominus exercituum*: & inferius: *Obſecro Domine cuſtodias pactum cuſtodientibus mandata tua:* In quæ verba Hieronymus: *Ergo quod pollicetur Dominus, ſtatim futurum eſt, ſed in eos ſua promiſſa complet, qui cuſtodiunt mandata illius*. Conſtat ergo pactum retinendæ veritatis cum Sacerdotibus initum per poſteriorum culpas irritari: Ergo Epiſcopi quoque, ſi mandata Dei non ſervant, & ſunt, vel ſupponi poſſunt prævaricatores, infallibiles in Concilio non erunt.

Reſp. Mentiri adverſarios dum aſſerunt, nullum adeſſe pactum Chriſtum inter & Eccleſiæ Paſtores, eſt enim primum cum Petro: *Petre rogavi pro te, ut non deficiat fides tua:* Matth. 16. Luc. 22. Promiſit item Apoſtolis ſpiritum veritatis Jo. 14. 15. 16. Promiſit tandem & aliis paſtoribus, quos poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam Dei, ut ait Apoſtolus, quam ſane Eccleſiam regere non poſſent, niſi in unum aliquando congregati ſcite intelligerent, quæ utilia ſint, quæ paſcua venefica. Quæ vero ex veteri teſtamento producta ſunt, ad rem parum facere videntur. Siquidem Judaica temporaria fuit, & materialis ſervorum legem continebat, circa Chriſti adventum labefactari cœpit, nec ullam habere poteſt in hoc cum Chriſti Eccleſia ſimilitudinem, de qua Iſai. 54. dictum eſt: *Feriam domui Iſrael & domui*

*domui Juda fœdus novum non ſecundum pactum, quod pepigi cum patribus veſtris, quod irritum fecerunt*. Et Jerem. 32. *Feriam ei pactum ſempiternum, & timorem meum dabo in corde eorum, ut non recedant a me*. Præterquamquod Chriſtus ipſe Matth. ultimo: *Ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque in conſummationem ſæculi*: & Jo. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, qui maneat vobiſcum in æternum ſpiritum veritatis*. Denique Matth. 16. *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*. Comminationes igitur Prophetarum Eccleſiam noſtram non labefactant, ut Hieronymus ipſe teſtatur in Iſaiæ c. 3. *Quid ergo ſibi vult?* inquit, *cumque adverſus antiquos Sacerdotes dicta ſint, ea in noſtros torquet omnia, nempe in figura contingebant illis, ſcripta ſunt autem propter utilitatem noſtram*. Hieronymus itaque ad ſingulas Eccleſias, privatoſque Pontifices & Sacerdotes verba refert Prophetarum, ſed non de Sacerdotum loquitur Concilio, nec de omnibus ſimul Eccleſiæ paſtoribus.

Ob. 3. Auctoritas Conciliorum probatur potiſſimum illo Matth. 18. *Si duo ex vobis vel tres conſenſerint ſuper terram, de omni re quamcumque petierint fiet illis a Patre meo. Ubi enim ſunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*; Sed hoc teſtimonium nimis probat: Ergo nihil. Probat namque Provincialium Synodorum certa eſſe & æque infallibilia judicia etiam Pontifice non approbante: Ergo &c. Ulterius in eo teſtimonio iis tantum Conciliis ſe affuturum promiſit Chriſtus, quæ in nomine ipſius convenirent; prius ergo probandum, PP. in Chriſti nomine conveniſſe, nam poſſent Epiſcopi in Chriſtum conſpirare, ut non ſemel factum eſt.

Reſp. Conciliorum auctoritatem aliis, non huic teſtimonio innixam exiſtimare permultos. In eo enim unitatis conſenſus commendatur, non Concilii congregatio. Verum hoc admiſſo, quemadmodum nunquam Principis nomine Dieta aggregatur, niſi cum ejus, vel delegati auctoritas illam indicit, & indictam confirmat; ſic Eccleſiaſticum Concilium non erit in Chriſti nomine congregatum, niſi Chriſto convocante & confirmante in perſona Vicarii ſui; Non ergo nimis probat argumentum, cum Concilia Provincialia a Chriſti Vicario non convocentur. Quod ſi quandoque Provinciales Synodi a Pontifice confirmantur, iſtas jam tacite indixiſſe quodammodo videtur Pontifex. Quod vero ſequitur in argumentatione frivolas, frigidiuſculas ſapit Cal-

vini

vini ejuſque ſectatorum cavillationes; cum enim a Pontifice Concilia indicuntur, ſatis conſtat ea in Chriſti nomine fuiſſe congregata.

Ob. 4. Concilium Ariminenſe ſexcentorum Epiſcoporum erravit cum Arrio, Epheſinum II. cum Dioſcoro, Conſtantinopolitanum tercentorum præſulum cum Leone Imperatore: Ergo Concilia generalia errare &c.

Reſp. Nego conſequentiam. Ariminenſe ſiquidem Concilium invito Liberio Papa hæreticorum opera coactum eſt, ut patet in Epiſtola Damaſi ad Africanos Epiſcopos in hiſt. Eccleſ. & in 15. diſt. c. *Sancta Romana*. Epheſinum II. licet auctore Leone congregatum, Dioſcori tum minis tum favoribus corruptum eſt, Pontificis Legatis, & quibuſdam alii piiſſimis viris repugnantibus, & ſe ſubducentibus. Inde nuſquam fuit confirmatum, ſed damnatum potius a Leone, & Synodo Chalcedonenſi. Conſtantinopolitanum repugnante Pontifice coactum eſt, & reprobatum poſtea in 7. Generali Synodo tercentorum ſexaginta ſeptem PP. qui apud Nicæam convenerunt. Si ergo hæc Concilia vel a Papa non fuerunt indicta, nec ab eodem confirmata, ruit argumentum.

Ob. 5. Synodus, quæ Trullana dicitur, in multis peccavit, ut videre eſt Can. 2. 3. 13. 55. 67. Ergo errare in fide & moribus Concilia poſſunt.

Reſp. Num Trullani Canones Eccleſiaſticam habeant auctoritatem, controvertunt Critici. Multi eos defendunt, & multi rejiciunt. Primi hiſce momentis ducuntur: 1. Quod Gratianus nomine ſextæ Synodi hos canones perpetuo citaverit, videlicet diſtinct. 26. cap. *Placuit*, & cap. *Quoniam*, diſtinct. 31. c. *Quoniam*, diſtinct. 32. cap. *Si quis*, diſt. 93. cap. *Finalis*, & alibi ſæpiſſime. 2. Quod 6. Synodus Eccleſiaſticam habeat auctoritatem, ut omnibus patet. 3. Quod Innocentius III. de ætate & qualitate ordinandorum dixerit, quod in 6. Synodo conſtitutum eſt, *ut ſi quis eorum, qui ad Clerum accedunt, nuptiali jure voluerit mulieri copulari, hoc ante Subdiaconatus ordinem faciat*. Conſtat vero hunc eſſe Canonem 6. inter Trullanos. 4. Quod Adrianus Papa hos Canones & Synodum, a qua ſunt editi, probat & recipit, ut cernere eſt in diſt. 16. c. 6. 5. Quod 7. Synodi act. 3. legatur, Tharaſium dixiſſe: *6. Synodi recte & divine decreta edita, traditoſque canones recipio*; & Act. 4. *Petrum dixiſſe; habeo codicem ſextæ ſacræ Synodi canones continentem*; Sanctiſſimum autem Patriarcham Tharaſium

 ſubje-

ſubjeciſſe : *Quæ eſt hæc ignorantia, qua plerique laborant circa hos canones, ſcandalum eſt dubitare, num ſint ſextæ Synodi*. Et actione ſexta Epiphanium, qui loco Synodi reſpondebat Iconomachis dixiſſe: *Sacra ſexta Synodus, poſteaquam ſententiam ſuam de una voluntate Chriſti ſub Conſtantino pronunciaſſet, iterum unanimiter omnes divina voluntate poſt quatuor aut quinque annos congregati* 102. *canones ediderunt*. Accedit his quod 7. Synodus act. 5. & 6. & Nicolaus in Epiſtola ad Michael. Imper. Concilium Florentin. ſeſſ. 5. horum canonum auctoritate utuntur.

Nobis vero arridet contraria opinio cum Melchiore Cano de loc. Theolog. lib. 5. c. ult. 1. Quia Synodus ſexta ſub Conſtantino congregata, & a Leone II. comprobata nullos edidit canones. Illa vero, quæ ſub Juſtiniano Imperatore poſtea coacta eſt, quomodo ſexta Synodus appellari debuit? 2. Juſtinianus apud Conſtantinopolim bis coegit Synodum prius ſub Sergio Papa, poſtea ſub Joanne ſeptimo, & de priore Beda de nat. rer. c. 67. ait: *Juſtinianus Romanæ Eccleſiæ Pontificem Sergium, quia erraticæ ſuæ Synodo, quam Conſtantinopoli fecerat, favere & ſubſcribere noluiſſet, juſſit Conſtantinopolim deportari, qui tamen ob culpam perfidiæ regni gloria poſtea privatus exul in Pontum ſeceſſit*. Et Platina in vita Sergii: *Juſtinianus*, inquit, *Synodum habuit, in qua nonnulla probata ſunt orthodoxæ fidei nequaquam congruentia*. Eadem quoque Sergii Apocriſiarius, qui Conſtantinopoli erat, ſubſcriptione ſua ſtolide nimium confirmavit, verum cum poſtea Romam delata a Sergio exploderentur, ira percitus Juſtinianus Zachariam miſit, qui Sergium ad ſe vinctum traheret. De poſteriore autem a Joanne coacta Synodo ita ſcribit idem Platina in vita Joann. VII. *Juſtinianus eadem ſtultitia vexatus, qua fuerat ante amiſſum imperium, Sergio Pontifici duos Metropolitanos Romam miſit, qui Joannem adhortarentur, ut habita Synodo, quæ de homouſio crederent Orientales, etiam eadem Occidentales affirmarent propoſitis libellis, in quibus ei ſubſcribendum erat*. Tamen re infecta, qui miſſi fuerant, ad Imperatorem reverſi ſunt. 3. diſt. 16. c. *Quoniam* cauſa hoſce canones conſtruendi dicitur ex eo proficiſci, quoniam ſexta Synodus nullos condidit Canones. Verum a quo convocati ſunt PP. iſti? forſan a ſolo Juſtiniano: a quo approbati? ab eodem Imperatore: Ergo ne Juſtinianus Pontificiam uſurpat auctoritatem? Alia plura ſunt apud Clariſ. Canum, quæ plura deſiderantes legere poſſunt. Interim ut adverſariorum argumentis ſatiſfa-

tisfaciamus, animadvertimus: 1. Gratianum non ſemel errare, adeo ut diſt. 34. dicat, *quod is, qui non habet uxorem, & pro uxore concubinam habet, non repellatur a communione*. Qua in re illi certe minime ſubſcribendum putamus. 2. Innocentium a Gratiano deceptum fuiſſe, quod & aliis Sanctiſſimis viris contigiſſe ſcimus, & præſertim D. Thomæ, dum Gratiani auctoritate contenti nil aliud inquiſiverunt. 3. Adrianum Trullanos Canones minime recepiſſe, verbaque in objectione adducta non in Epiſtola Adriani ad Tharaſium, ſed Tharaſii ad Adrianum reperiri; qua in re pariter erravit Gratianus. 4. Non ſequi omnes Trullanos approbatos fuiſſe Canones, licet Nicolaus & Synodus 7. unum vel alterum approbaverit.

Ob. 6. Concilium Conſtantienſe definivit Concilium eſſe ſupra Pontificem, Florentinum vero ſeſſ. 4. & 5. Lateranenſe ſub Leone I. ſect. ult. contrarium dogmatizarunt: Ergo &c.

Reſp. Concilium Conſtantienſe Generale non fuiſſe, quando iſta decrevit, propter ſchiſma trium Pontificum Joannis nempe XXIII. Gregorii XII. & Benedicti XIII.

Dices: Martinus V. approbavit omnia & ſingula decreta hujus Concilii ad fidem ſpectantia: Ergo &c.

Reſp. Martinum V. acta hujus Concilii approbaſſe juxta petitionem Oratoris Regis Poloniæ. At Orator Polonus id tantum petierat a Pontifice, ut ea approbaret, quæ contra hæreticos Concilium decreverat.

Ob. 7. Concilium Baſileenſe definiit, eſſe hæreticum, qui negaret Concilium eſſe ſupra Pontificem, aut aſſereret Pontificem poſſe Concilium de uno in alium locum, vel de tempore ad tempus transferre: Ergo erravit &c.

Reſp. Concilium Baſileenſe juxta Nicolai V. definitionem nec verum, nec Generale fuiſſe Concilium, nec legitime congregatum juxta declarationem Leonis X. in Concilio Lateranenſi ſeſſ. 11.

Ob. 8. Iſidorus diſt. 50. c. Domino: *Quotieſcumque*, ait, *in geſtis Conciliorum diſcors ſententia invenitur, illius ſententia Concilii magis teneatur, cujus antiquior & potior extat auctoritas:* Ergo Iſidorus cenſet variare poſſe Conciliorum decreta.

Reſp. Iſidorum non loqui de emendatione fidei, ſed legum, quæ ad res vel geſtas, vel gerendas referuntur.

Ob. 9. Vel Concilium eſt infallibile cum ſine capite eſt, vel interveniente capitis auctoritate, ſi primum, aliquando

erra-

erravit, ut ipſi Catholici fatentur: ſi ſecundum, fruſtraneum eſt, cum Romanus Pontifex ſine Concilio rite de fide pronunciet: Ergo Concilia vel incerta, vel ſuperflua. Quæ a Gregorio Nazianzeno videntur comprobari in Ep. ad Procopium, quæ eſt num. 102. ubi legitur: *Quodcumque Epiſcoporum Concilium fugio, propterea quod hactenus nullius omnino Synodi finem aliqua utilitate præditum, & unde res male habentes non magis exacerbatæ, quam curatæ fuerint, videre licuit*. Addendum cum Œcolampadio argumentum ex Concilio Romano ſub Nicolao deductum, quoniam in eo Berengarius coactus eſt adjurare in verba falſiſſima. Quod Concilium ab errore liberare nequiverunt nec Roffenſis lib. 3. contra Œcolamp. c. 12. nec Cajetanus in libel. de Cœna Dom.

Reſp. Concilia, quæ Pontificiam adnexam habent auctoritatem, ſunt ea, quæ defendimus, nec ea ſunt ſuperflua. 1. Quia Papa fidei controverſias ſapienter definire debet, advocando ſcilicet conſiliarios Epiſcopos, quemadmodum in Concilio Hieroſolymitano factum eſſe deprehendimus, in quo magna conquiſitione Petrus ſententiam dixit, Jacobi Hieroſolymorum Epiſcopus eam teſtimoniis Prophetarum comprobavit. 2. Concilium plauſibiliorem facit populo fidem propter acceptiſſima multorum teſtimonia & judicia. Quod ad Gregorium Nazianzenum attinet, de Synodis Provincialibus loquutum eſſe ejus verba legenti eſt apertiſſimum. Denique ut Œcolampadii objectio retundatur, Concilii verba referenda ſunt, & expendenda. Inquit Berengarius: *Profiteor non ſolum Sacramentum, ſed verum etiam corpus Chriſti manibus Sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri*. Hæc Berengario a Synodo præſcripta fuit Confeſſionis formula. Certe ſimilia prolata ſunt a Dionyſio c. 3. lib. de Eccleſ. a Chryſoſthomo in Matth. 83. ut refert Thomas Valdenſis in lib. de Sacramental. tit. 4. c. 42. Verum cum hujuſmodi expreſſiones ſuſpicionem ingerant prolatæ ab Hæretico, hinc damnari poterant, quia licet Chriſti corpus manducetur, tamen Eccleſia canit: *Non confractus, non diviſus, integer accipitur*. Nihilominus pro certo illud habendum eſt, quæſtionem fuiſſe non utrum Chriſti corpus tereretur, ſed an ſignum, quod frangitur, ſit nudum ſignum, an vero contineat Chriſti corpus, & quia Berengarius primum adſtruebat, ideo Concilium formam abjurationis conſtituens voluit Chriſti corpus abſolute atque omnimoda ratione eſſe exprimendum, adeo ut verborum ſen-

ſenſus eſſet iſte: Non teritur & frangitur nudum ſignum, ſed ſignum habens realiter conjunctum Chriſti corpus, frangitur ſcilicet & teritur Chriſti corpus, non tamen in ſe, ſed in ſigno, cui realiter conjungitur, ſed in hujuſmodi difficultate non amplius immorandum.

Ob. 10. Cum Proteſtantium miniſtro Jurieu Paſtor. 13. cujus ſyſtema hic longe lateque exponimus. Auguſtinus ex profeſſo tractans de Eccleſia ejuſque auctoritate talis eſt, ut ipſius teſtimonium de infallibilitate Concilii Generalis debeat eſſe deciſivum, & irrefragabile. Non enim credendum, hæc tantum Eccleſiæ Doctorem latuiſſe. Auguſtinus igitur. 1. declarat, non teneri Catholicos neque ulla ratione obſtringi judicio Concilii Generalis. 2. Aperte aſſerit, ejus deciſiones corrigi poſſe & reformari: Ergo Auguſtinus opinatus eſt Concilia Generalia infallibilia non eſſe. Et reapſe in hypotheſi quod Concilia ſint infallibilia, juſtum & neceſſarium videtur in diſceptationibus circa fidem eorum inniti auctoritati. Cum res ita ſe habeat, quà ergo de cauſa numquam Auguſtinus adhibuit Concilii Nicæni auctoritatem decertans cum Arrianis, aut qua de cauſa contra Maximinum diſcipulum & ſectatorem Arrii diſputans illius Synodi reſpuit decreta? Ita enim loquitur 2. lib. alias 3. contr. Maxim. c. 14. *Nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminenſe tanquam præjudicaturus proferre concilium, nec ego hujus auctoritate, nec tu illius detineris*. Ex quibus verbis inferendum, aut Auguſtinum jus veritatis prodidiſſe, cum poſſet argumentum palmare adhibere, aut fuiſſe ſibi perſuaſum, Concilii Nicæni definitiones fallibiles eſſe. Dilemma ſane exactum & premens relate ad primam argumenti partem; quod vero ad ſecundam pertinet ita proceditur. Judicium infallibile irreformabile eſt natura ſua; at Auguſtinus aſſeruit, Concilia reformari poſſe: Ergo &c. Minor abunde oſtenditur. Donatiſtæ ſummopere extollebant Cypriani & ſuorum Conciliorum auctoritatem pro ſententia roboranda de invaliditate Baptiſmatis ab hæretico collati. At quomodo hiſce occurrit Auguſtinus? S. Doctor repoſuit, definitiones irreformabiles non inveniri, niſi in ſacris litteris; Epiſcoporum Epiſtolas reformationi ſubjectas eſſe, & ipſa quoque Concilia plenaria poſſe corrigi, per alia poſteriora, quando longo uſu, quod ignorabatur, adiſcitur. *Et ipſa Concilia*, ita contr. Donatiſt. c. 3. *quæ per ſingulas regiones, vel Provincias fiunt, plenariorum Conciliorum auctoritati, quæ fiunt ex univerſo orbe Chriſtiano, ſine ullis ambagi-*

*bagibus cedere , ipſaque plenaria ſæpe priora poſterioribus emendari, cum aliquo experimento rerum aperitur quod clauſum erat, & cognoſcitur quod latebat.* Hiſce fruſtra reponi poteſt, S. Doctoris verba intelligenda eſſe relate ad quæſtiones facti & diſciplinæ, non dogmatis; Auguſtinus enim loquitur de iis rebus, quæ aliquo experimento aperiuntur, quod ſane vel facti, vel dogmatis quæſtionibus æqualiter convenit. Præterquamquod diſputabat S. Doctor contra Donatiſtas de validitate, vel invaliditate Baptiſmatis per hæreticum collati; quæſtio igitur verſabatur circa fidei articulum. Atque hoc argumentum eſt ab Jurio conflatum, in quo aliquantiſper exſpatiati ſumus, ut impactam Auguſtino calumniam omnium oculis ſubjiceremus.

Reſp. Mirum profecto eſſe Jurieu tantæ frontis fuiſſe, ut aſſereret, Auguſtinum negaſſe infallibilitatem Conciliorum Generalium. Quicumque enim vel a limine ſalutaverit S. Doctoris ſcripta contra Donatiſtas, facile poterit intelligere oppoſitum. Audiamus ergo Auguſtinum. *Prioribus Eccleſiæ ſæculis*, inquit S. Doctor, *& ante Donati ſchiſma obſcuritas iſtius quæſtionis*, ideſt de rebaptizatione, *utrinque habuit illuſtres viros, & Epiſcopos celebres, quin inter ipſos turbaretur pax & communio Eccleſiaſtica*. Ita lib. 1. de Bapt. contra Donat. c. 7. *Concilia, quæ ad hoc celebrata ſunt, adinvicem contraria fuere, ſed cauſa mutavit aſpectum, poſtquam Concilium Œcumenicum definivit, & decrevit omnes dubitationes e medio tollens, qualis ſit ſententia veritatis, donec plenario totius orbis Concilio, quod ſaluberrime ſentiebatur, etiam remotis dubitationibus firmaretur*. Ubi ſupra lib. 3. c. 4. *Legi quidquid de Cypriano ſcripſit, & profiteor, quod profecto irem ad eamdem ſententiam, niſi me ad diligentiorem conſiderationem revocaret tanta auctoritas*. Ibidem lib. 2. c. 4. *Nos non auderemus tanta libertate definire de validitate Baptiſmatis per hæreticum collati, ſi nos non præcederet definitio univerſalis Eccleſiæ. Cyprianus ſubſcripſiſſet & ipſe certe huic doctrinæ articulo, ſi illo tempore habuiſſet tantam definitionem contra id quod ſentiebat. Nec nos ipſi tale aliquid auderemus aſſerere, niſi univerſæ Eccleſiæ concordiſſima auctoritate firmati, cui ſine dubio cederet, ſi jam illo tempore quæſtionis hujus veritas eliquata & declarata per plenarium Concilium ſolidaretur. Nemo noſtrum ſe putet majorem Cypriano, quia nos hodie credimus validum eſſe baptiſma collatum per hæreticum. Si Sanctus ille Doctor hanc veritatem catholicam, quam*

*quam nos profitemur, non cognovit, eſt, quia Eccleſia tunc non pronunciaverat ſuper hoc, & definitio, quæ ab ipſa tandem proceſsit, nobis hodie regula eſt, quia univerſalis Concilii admonitus firmitate videt aliquid, quod ille non vidit, quia plenarium hac de re Concilium nondum habebat Eccleſia.* Ibid. lib. 4. c. 6. Perpendant igitur heretici ſingula relata verba, & de injuſta Jurii in Auguſtinum inſimulatione ſuadeantur, animadvertantque, hæreticorum debellatores vel Theologicorum, vel Controverſiſtarum more cum adverſariis decertare. Si primo modo pugnent, non aliunde quam ex Theologici fontibus argumenta depromant. Si ſecundo modo decertent, in aliquibus conveniunt cum adverſariis, ut inde eos magis premant & urgeant. Auguſtinus itaque contra Maximinum diſputans controverſiſta erat. Quoniam cum adhibuiſſet in ſuis contra Donatiſtas diſceptationibus Concilii Generalis auctoritatem, ut vidimus, potuiſſet pariter Nicænum proferre Concilium contra Maximinum Arrianæ doctrinæ Patronum; at cum opponeret iſte Nicæno Concilium Ariminenſe, ſatius duxit celeberrimus controverſiſta Nicæni auctoritatem prætermittere, ne ſe inutilibus quæſtionibus criticis immiſceret, & ſolis ſacris litteris cum hæretico decertare. Prudenter ergo ſapienterque cum Maximino convenit Auguſtinus, probandam verbi divinitatem ſolis ſacris litteris pugnandum eſſe, cum eſſet hæc via cæteris hoc in caſu expeditior. Cæterum Auguſtinus hanc hæretico exhibens judicii viam non docuit auctoritatem Concilii Nicæni eſſe reformabilem, quoniam huic obiter jam dixerat vocabulum *ὁμοούσιον* eſſe vocem conſecratam: *Hoc eſt illud ὁμοούσιον*, verba ſunt Auguſt. lib. 2. contr. Maxim. c. 4. tom. 8. p. 764. *quod in Concilio Nicæno adverſus hæreticos Arrianos a Catholicis PP. veritatis auctoritate, & auctoritatis veritate firmatum eſt.*

Eadem facilitate ſecundum ſolvitur ex Auguſtino deductum argumentum per aliud ineluctabile principium, quod ſemper præ oculis habendum. Nos hic loca illa non reſcribemus, quæ jam ſuperius retulimus, & in quibus Auguſtinus Conciliorum Generalium ſuſtinet infallibilitatem. At quo ſenſu interim dixit S. Doctor Concilia Generalia corrigi poſſe & reformari per alia poſteriora? In promptu communis reſponſio, Auguſtini ſcopum fuiſſe Donatiſtis oſtendere Concilium fallibile eſſe in electione ſuarum peculiarium ſententiarum, quas vult Concilium ac præcipit amplectendas, quin illis aliquid de fide proponat. Cum enim Donatiſtæ

tiſtæ uterentur auctoritate Cypriani, ſuorumque Conciliorum, Auguſtinus oſtendit, parvi faciendam eſſe auctoritatem illam, perinde ac ſi diceret: Deciſiones Conciliorum Generalium reformari poſſunt quando agitur de doctrina, circa quam non exigitur fides Catholicorum ſub amathematis pœna, qua ergo de cauſa victoriam canitis Donatiſtæ ex auctoritate Cypriani & Conciliorum ejuſdem? Ita ferme omnes Theologi; ſed verior ac ſolidior reſponſio eſt, explicandum eſſe Auguſtinum non de nomine, ſed de re & de forma interiori, juxta quam Concilia celebrata ſunt. Concilia quamplura enumerantur, quæ Generalia videntur quoad formam exteriorem, qua gaudent, ſed internum habent vitium, quod illorum ſauciat validitatem. Hujuſmodi Concilia Generalia putanda non ſunt, nomen enim habent, non autem rem, cujuſmodi fuit Epheſinum 2. & Ariminenſe. Sane hujus furfuris Concilia reformari poſſunt a Conciliis vere Œcumenicis. Atque hæc eſt Auguſtini mens, quam expiſcari ſtuduimus. Sed de his dictum ſit ſatis.

## CAPUT VIII.

### *De Conciliis in ſpecie, ac primum de Niceno I.*

Anno Chriſti 325. ut dictum eſt ſupra, convocata fuit Nicæna Synodus Œcumenicarum prima ab Imperatore Conſtantino, Sylveſtro tamen Romano Pontifice conſentiente. Locus Concilii Nicæa fuit non urbs Thraciæ, ſed Bithyniæ Metropolis. Præſides hujus Concilii fuerunt Hoſius Cordubenſis Epiſcopus, Vitus ſeu Vito, & Vincentius Presbyteri vice & nomine Sylveſtri Papæ, cujus legatione perhonorifice fungebantur. Epiſcopi 318. interfuerunt, ut jam ſupra monuimus & confirmavimus. Nonnulli huic Synodo adfuerunt Ethinici Philoſophi, ut ingenii vim & robur oſtentarent, quorum unus dicitur per Spiridionem ad fidem fuiſſe converſum. Interim quæ circa hanc primam Generalem Synodum tractari ſolent, ſequentibus propoſitionibus aperiemus.

CONCLUSIO I.

*Nicæna prima Generalis Synodus celebrata eſt anno Æræ communis 325. Imperii Conſtantini vigeſimo, Paulino & Juliano Coſſ. & eodem anno eſt abſoluta.*

Dem. 1. pars, auctoritate primum Concilii Chalcedonenſis act.

act. 2. ubi dicitur: *Conſulatu Paulini & Juliani virorum clariſſimorum conſulum, anno poſt Alexandrum 636. Menſis ſecundum Græcus Deſii die 19. qui eſt 13. Kalendarum Juliarum in Nicæa Metropoli Provinciæ Bithyniæ*. Idem patet ex Euſebio lib. 3. de vita Conſtant. c. 14. ubi teſtatur ipſe Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ Pater Concilium Nicænum celebratum ipſis Conſtantini Vicennalibus. Inquit enim: *Quibus ad exitum perductis*, actis ſcilicet hujus Concilii, *ſecundam iſtam victoriam Imperator ſe contra Eccleſiæ hoſtem Licinium conſecutum affirmavit, & propterea feſtum triumphale ad Dei honorem illuſtrandum egit. Eodem tempore vicеſimus ejus regni annus completus eſt, in quo Conventus celebres etiam apud reliquas gentes agitabantur*: & cap. 47. lib. 4. Nicænus Conventus *anno Imperii vigeſimo* aperte dicitur conſtitutus. Prætermittimus Socratem, qui lib. 1. c. 9. ex annalium commentariis ſatis conſtare ſignificat, Paulino & Juliano Conſulibus Nicænam Synodum celebratam fuiſſe, & Dionyſium Exiguum, qui pene eadem habet in Canonum epigraphe Nicænorum.

Eodem vero Conſtantini vigeſimo anno hoc Concilium abſolutum fuiſſe, ex Euſebio, qui Nicænæ Synodo adfuit, & ex cæteris Scriptoribus aperte deprehendimus, præſertim ex Canonum collectione, quæ vulgo Creſconiana appellatur, in qua factum eſſe Concilium legitur a die 13. Kalendas Julias uſque ad 8. Kalendas Septembris Paulino & Juliano Coſſ., cum nec ſub diverſis habita legatur Synodus iſta Coſſ.

*Diluuntur Objecta*.

Ob. 1. Sub Julio Pontifice Synodum Nicænam coactam fuiſſe ex Sozomeno conſtat, qui lib. 1. c. 16. teſtatur, Julium Epiſcopum Romanum ab hoc Concilio præpeditum abfuiſſe, & ex ipſomet Julio, ſive ex ejus Epiſtola ad Synodum Antiochenam a S. Athanaſio relata, nec non ex Photio, qui libro de Synodo ſub Sylveſtro & Julio hanc Synodum collocat: Ergo &c.

Reſp. ad Sozomeni auctoritatem mendum in nomine Julii irrepſiſſe, quod eſt manifeſtiſſimum. Ad ſedem enim Romanam evectus eſt Julius undecim exactis annis a Synodo Nicæna, ut idem Sozomenus monuit. Hinc non imperite ſaltem conjicit Dominus De Marca pro ἰάλιος in textu Græco legendum eſſe πόλεως ρωμαίων ἐπίσκοπος, ideſt *Urbis Romanorum Epiſcopus*, quam ſane lectionem tenendam eſſe valide in H. E. ſæcul. 4. confirmat doctiſſimus Natalis Alexan-

xander t. 7. p. 448. Epiſtola Julii ab Athanaſio relata Legatos Concilii Nicæni vocat Presbyteros *noſtros*, non quod a Julio fuerint iſti tanquam Legati deſignati, ſed quia Romanæ Eccleſiæ inſerviebant. Photii autem verba mentientis animum præſeferunt. Siquidem ſi aſſerit, Nicænam Synodum ſub Sylveſtro inceptam & ſub Julio abſolutam fuiſſe, certe debuit illa per annos duodecim perdurare, quod nemo unquam aſſeruit. Deinde inter Sylveſtrum & Julium Pontificiam Sedem obtinuit Marcus, quare ergo Marci Pontificatum prætermiſit?

Ob. 2. Photius in Biblioth. Cod. 88. ex Gelaſio Cyziceno refert, indictam eſſe Synodum Nicænam anno 16. Imperii Conſtantini, eamque duraſſe uſque ad annum ejuſdem 21. cum ſemeſtri, adeo ut PP. per ſex annos conſederint. Econtra ex auctore Anonymo apud Metaphraſtem ſex menſes duraſſe novimus ultra triennium, quod conſtare dicitur ex Alexandro Actorum Synodi ſcriptore: Ergo &c.

Reſp. Nullam Gelaſio Cyziceno fidem habendam eſſe, quem in multis erraſſe compertum eſt. Appellat enim Ruffinum Aquilejenſem Presbyterum Romanum, eumque dicit, Concilio Nicæno interfuiſſe, quæ duo falſiſſima ſunt. Inſuper Francorum meminit, quod nomen temporibus Conſtantini ignotum fuit. Deinde Concilii tempore Athanaſium tantummodo Diaconum, Archidiaconum vocat. Denique Arrianos contra Spiritum S. blaſphemias evomuiſſe tempore Nicænæ Synodi autumat. Eadem ratione prorſus excipienda Metaphraſtis auctoritas, cum melioris notæ Auctores illum falſi convincant, ut ſuperius demonſtratum eſt.

## Conclusio II.

*Nicæna Synodus conſenſu Sylveſtri Pontificis a Conſtantino convocata fuit.*

Dem. 1. pars: nempe a Conſtantino hanc Synodum convocatam fuiſſe; 1. ex Euſebio lib. 3. de vit. Conſtantini, cujus verba ſupra retulimus, cum de Conciliorum convocatione ageremus; deinde ex Socrate, qui lib. 1. c. 5. hæc habet: *Cum igitur Imperator videret, his duabus contentionis tempeſtatibus Eccleſiam jactari, Generale Concilium convocat, atque Epiſcopos undique per Epiſtolas accerſit, ut Nicæam urbem Bithyniæ ſe conferant*. Theodoretus pariter lib. I. H. E. c. 7. *Celebre illud*, inquit, *Nicænum Concilium cogit*. Idem teſtatur Sozomenus lib. 1. hiſt. c. 16. hiſce verbis: *Conſtantinus indicit Concilium Nicææ urbis Bithymiæ, ſcribitque*

*atque ad omnes Eccleſiarum Præſides, ut ad diem conſtitutum adſint*. Eadem refert Nicephorus lib. 8. hiſt. dicens: *Imperator malum id ad ſummum excreſcere cernens decantatiſſimam illam in Bithynia Nicænam Synodum promulgat, & litteris locorum omnium Epiſcopos ad conſtitutam diem evocat*. Plura ſunt, quæ hiſce jungi poſſunt validiſſimi ponderis monumenta, quæ brevitatis gratia prætermittimus. Hujuſmodi ſunt Epiſtola Synodica Concilii ad Eccleſiam Alexandrinam, quæ videri poteſt apud Theodoretum lib. 1. hiſt. c. 11. Epheſina Synodus collat. 1. relat. ad Theodoſium & Valentinianum Imper. de abdicatione Neſtorii. Epiphanium etiam Hæreſ. 69. & Juſtiniani Imperaroris verba in collat. 1. Concilii V. Generalis non memoramus, utpote quia de his pleni ſunt omnium pene Theologorum libri, quare ad ſecundæ partis probationem properamus.

Prob. 2. pars: & quidem Ruffini teſtimonio lib. 1. Hiſt. Eccl. c. 1. qui hæc habet: *Sermo uſque ad aures Religioſi Principis, quippe qui omni ſtudio & diligentia curaret, quæ noſtra ſunt, pervenit. Tum ille ex Sacerdotum ſententia apud urbem Nicæam Epiſcopale Concilium convocat, ubique Arrium trecentis decem & octo Epiſcopis reſidentibus adeſſe jubet*. Profecto ſi ex Sacerdotum ſententia, maxime ex ſententia Sylveſtri Sacerdotis maximi. Nec moramur Launoji interpretationem, qui horum Sacerdotum nomine Alexandrum intelligit Alexandrinum Epiſcopum, ſatis enim Launojum erroris convincimus ſextæ Generalis Synodi auctoritate, quæ act. 18. in ſerm. Proſphonetico hæc habet: *Arrius diviſor & partitor Trinitatis inſurgebat, &c. continuo Conſtantinus ſemper Auguſtus, & Sylveſter laudabilis magnam atque inſignem in Nicæa Synodum congregabant*. Quæ verba licet Launojo concedamus non a Concilio, ſed in Concilio dicta fuiſſe, aſſerimus tamen Concilium, ex quo illa probaverit nemine reclamante, ſua feciſſe: Ergo &c.

*Diluuntur Objecta.*

Ob. 1. In Octava Œcumenica Synodo act. 5. legitur, Vicarios Orientalium ſedium dixiſſe: *Scitis, quia in præteritis temporibus Imperatores erant qui congregabant Synodos, & ex toto terrarum orbe Vicarios ad diſpoſitionem hujuſmodi cauſarum colligebant, quorum more & Dei cultor Imperator noſter univerſalem hanc Synodum non in abſtruſo, neque in clandeſtino, ſed evidenter ac manifeſte fecit*: Ergo Nicæna Sinodus abſque Sylveſtri conſenſu a Conſtantino convocata

 fuit,

fuit, quod etiam de aliis Synodis dici poteſt.

Reſp. Diſtinguendo verba Concilii, *Imperatores congregabant Synodos* auctoritate præſidii, conc. auctoritate regiminis, vel ſummo jure, neg. ſenſum verborum. Indixerunt igitur Romani Imperatores aliquando Synodos, ut Eccleſiæ ſubvenirent, eique opitularentur, ut Conciliaria tutarent decreta, eiſque firmitatis & exequutionis pondus adjicerent. Quod ſane patet ex verbis S. Leonis ad Leonem Imperatorem Ep. 81. in quibus, *Debet*, inquit, *incunctanter advertere, Regiam poteſtatem tibi non ſolum ad mundi regimen, ſed etiam maxime ad Eccleſiæ præſidium eſſe collatam, ut auſus nefarios comprimendo ea quæ ſunt bene ſtatuta defendat, & veram pacem iis quæ ſunt turbata reſtituat.* Nec ob aliam rationem arbitror Imperatoris expoſtulaſſe pro Eccleſia præſidium, niſi quia primis illis temporibus debebant Imperatores urbem aliquam ad Concilii celebrationem adſignare, cum adhuc temporale dominium Eccleſia non exerceret. Deinde Imperatorum expenſis nutriebantur, & ab una in aliam Provinciam vehebantur Epiſcopi. Deinde Imperatorum legibus quicumque prohibebantur conventus, ut patet ex Codice Theodoſiano tit. *De Epiſcopo & Clericis*. Aliqua ergo de cauſa Imperatores convocabant Concilia, non quod hoc jure fruerentur. Ultimo jam ſatis ſuperque oſtenſum eſt in ſuperioribus, Romanos Pontifices fuiſſe, qui approbarunt Concilia: Ergo & eadem implicite convocarunt.

### C o n c l u s i o III.

*Oſius Cordubenſis Epiſcopus, & Vitus & Vincentius Presbyteri præſides fuerunt in Concilio Nicæno tanquam Legati Sedis Apoſtolicæ.*

Demonſtratur ampliſſimis PP. & ſcriptorum monumentis, & primo ex Athanaſio, qui in ſua Apologia hæc habet de Oſio: *In qua Synodo ille non dux & anteſignanus fuit? Quam non ille recta tuendo in ſuam ſententiam pertraxit?* Et in Epiſtola ad Solit. ſic inducit loquentes Arrianos de Oſio: *Hic eſt Princeps Synodorum, & ſi quid ſcribit, ubique auditur; hic formulam fidei in Nicæna Synodo concepit.* Deinde ex Photio, qui cod. 88. *Refert*, inquit, *auctor* (Cyzicenum intellige) *Oſium Cordubæ Epiſcopum, & Bitonem atque Vincentium Romanos Sacerdotes Sylveſtri Romani Pontificis Legatos adfuiſſe*. Huc uſque dictis favet etiam Socrates, qui lib. 1. c. 9. *Aderat*, inquit, *in hoc Concilio Oſius Epiſcopus Cordubæ, Vitus & Vincentius Presbyteri:*

*teri: Alexander Epiſcopus Ægypti, Euſtathius magnæ Antiochiæ &c.* ex quibus infertur, Oſium cum Vito & Vincentio præſediſſe, ex quo omnium Epiſcoporum eos primos nominet, quod clarius confirmat c.5. ubi ait: *Et quamquam urbis illius* ( Romæ ) *penes quem imperium eſt, Epiſcopus ingraveſcente ætate præpeditus abfuit, ejus tamen Presbyteri, qui aderant, ejus locum ſuppleverunt*. Prætermittimus Epitomen Canonum Hadriani Summi Pontificis, Hincmari Rhemenſis Archiepiſcopi, Gregorii VII. aliorumque teſtimonia contenti ſola Leonis IX. auctoritate in Epiſtola ad Michaelem Patriarcham Conſtantin. quæ propoſitioni noſtræ robur addit firmiſſimum. De Concilio enim Nicæno inquit Leo: *Cui præfuerant Victor & Vincentius Romani Presbyteri*.

*Solvuntur Objecta*.

Ob. 1. Cum Launojo, qui plura ſimul congeſſit contra prædictos Pontificis Romani Legatos, quæ & nos in compendium ſingulis relatis hic percenſemus. 1. Igitur conſtat quidem, inquit Launojus, præfatos Legatos in Concilio fuiſſe, illi tamen præfuiſſe minime evincitur. 2. Licet concedatur, Oſium præſediſſe, falſum tamen eſt, Pontificis Romani vices geſſiſſe. 3 Euſtathius Antiochenus Patriarcha Concilio præfuit, quod probant Proclus in litteris Synodic. ad Orient. apud Facundum Hermian. lib. 8. c. 1. a quo Euſtathius in Concilio dicitur *Primus exiſtens*, & Felix III. Ep. 5. ad Zenonem Imper. qui Patriarcham Antiochenum *Præſidentem* 318. *PP.* appellat. 4. Ex Epiſtola Synodica Nicæni Concilii ad Eccleſiam Alexandrinam, Alexandrum Epiſcopum conſtat *rebus deciſis* in Concilio *præfuiſſe*. 5. Sozomenus lib. 1. Hiſt. c. 16. & Theodoretus lib. 1. c. 6. Vitum quidem & Vincentium memorant, Oſium Cordubenſem vero prætermittunt.

Reſp. Horum omnium facillimam eſſe ſolutionem. Et quidem ad primum reponimus: Ex jam adductis tot hiſtoricorum monumentis conſtare, Oſium, Vitum & Vincentium Pontificis Romani locum ſuppleviſſe, primas ſedes occupaſſe, & præfuiſſe. Iſta profecto non ad ſolam præſentiam referri poſſunt. In Concilio nomine Sylveſtri illos fuiſſe quis audeat denegare? At ſi Romanus Pontifex Nicæno Concilio interfuiſſet, nonne præſediſſet etiam? Ergo &c. Eadem ratione ſolvitur ſecundum argumentum. Tertium vero veluti mendacio oblinitum improbamus, nec aliquid eruitur in contrarium ex verbis Procli, Felicis III. & Fa-

cundi Hermianenſis. Siquidem ſcriptores iſti primas partes doctrinæ & eloquentiæ, non auctoritatis Euſtathio detulerunt. Frequentiſſime quidem legitur apud nonnullos ſcriptores verbum *præſidere* de multis indiſcriminatim uſurpatum, ſed id ad ſignificandum primarum Sedium Epiſcopos. Ita Cedrenus in Hiſt. compendio: *Præerant ei*, inquit, *Sylveſtri Papæ Romani locum tenentes Vitus & Vincentius Presbyteri, Metrophanes Byzantii, Alexander Alexandriæ, Euſtathius Antiochiæ, & Macarius Hieroſolymorum Epiſcopi*. Sic Nilus Metropolita Rhodius in libello de Synodis de Nicæno loquens hæc habet: *Præerant Synodo Sylveſter Romæ, Alexander Conſtantinopolis, Alexander Alexandriæ, Euſtathius Antiochiæ, & Macarius Hieroſolymorum Epiſcopi*. Nil ergo mirum, quod eadem de Euſtathio a Proclo aliiſque conſcribantur. Ad 4. Cum maximæ fuerit Alexander auctoritatis apud Nicænos PP. cumque apud ipſos detulerit ſuæ incommoda Eccleſiæ, quæ ab Arrianis & Meletianis affligebatur, idcirco dictum eſt in Epiſtola Synodica, rebus deciſis præfuiſſe. Ceterum Alexandrum Concilii Præſidem non vocari in Græco textu luculentiſſime oſtendit Sirmondus in editione Theodoreti. Ad ultimum vero reſpondendum, innumeros auctores Oſium Cordubenſem inter Legatos Romani Pontificis percenſere, a Sozomeno & Theodoreto prætermitti quidem non denegari.

### C o n c l u s i o IV.

*Viginti duntaxat Canones edidit prima Nicæna Synodus.*

Dem. Contra Cardinalem Baronium aliosque: Et 1. quidem, quia omnes verſiones viginti tantummodo Canones commemorant. 2. Theodoretus lib. 1. Hiſt. Eccl. c. 8. hæc habet: *Epiſcopi rurſus in Concilium convenientes de adminiſtratione Eccleſiaſtica leges ſeu Canones viginti conſcripſere*. 3. Eadem habent Gelaſius Cizycenus lib. 2. c. 31. Hincmarus Rhemenſis in Epiſtola ad Hincmarum Laudunenſem Nepotem ſuum. Denique plures vel pauciores fuiſſe, nullo poteſt argumento demonſtrari, quod patebit ex ſolutione argumentorum.

*Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1. D. Hieronymus Præf. in librum Judith teſtatur, hunc librum a Nicæna Synodo relatum fuiſſe in Catalogo Scripturarum Sanctarum: Ergo exiſtebat vel exiſtere debuit Canon iſte ab Hieronymo citatus. 2. S. Ambroſius Canonem alium Nicænæ Synodi citat de Bigamis non ordinandis,

nis, quod modo inter 20. non adnumeratur. 3. Concilii 3. Chartagin. Africani PP. alium Nicænum Canonem citant de ſacrificio, nonniſi ab jejuno offerendo. 4. Atticus Epiſcopus Conſtantinopolitanus apud Gratianum diſt. 37. c. 1. teſtatur in Concilio Nicæno Canonem fuiſſe conſtitutum de modo conſcribendæ Epiſtolæ formatæ. Ergo Canones Nicæni plures quam viginti eſſe debent.

Reſp. ad ſingula & ad primum. Ætate S. Hieronymi adhuc integra viſebantur acta & tractatus Concilii Nicæni, in quibus & aderant PP. diſputationes & dogmata; cum autem & liber Judith tanquam divina Scriptura laudatus fuerit illis in diſputationibus, idcirco Hieronymus librum Judith in Canone Sanctarum Scripturarum exiſtimavit accenſendum, eo vel magis quod S. Doctor laudat quidem Concilium, illius vero Canones non memorat. Et reapſe Ep. 118. ad Chromat. ait: *Judith librum legit quidem Eccleſia, ſed inter Canonicas Scripturas non recipit*. Iſta ſane Hieronymus non protuliſſet, ſi Canonem Nicænum hac in re noviſſet editum. Ad ſecundum: Eadem reſponſio. Non enim Ambroſius ullum citat Canonem. Ad tertium. Nego PP. Africanos Canonem Nicænum citaſſe de ſacrificio ab jejuno offerendo, quod ex ſola cauſæ expoſitione fit manifeſtum. Cum duo Numidiæ Epiſcopi Epiſcopum inaugurare præſumpſiſſent, productus eſt Canon Nicænus quartus de ordinatione Epiſcoporum decernens, ut ſaltem a tribus aliis conſentientibus qui venire non poſſent, fieret Epiſcopi Ordinatio. Quamobrem verba illa *fratres ſuggeſtionem noſtram admittite, de fide enim Nicæni tractatus audivimus*; reſpiciunt ordinationem Epiſcoporum, quæ vero ſequuntur: *Verum & de ſacrificiis inhibendis poſt prandium, ut a jejunis, ſicut dignum eſt, offeratur, & tunc, & nunc confirmatum eſt*, pertinent ad Canonem ejus Charthaginenſis Synodi, unde verba illa *& tunc* referuntur ad hujus Concilii Canonem 29. jam ſancitum, non ad Nicænum Concilium. Ad ultimum autem facilis reſponſio eſt, nos nihil movere Gratiani auctoritatem. Quis enim neſciat Gratianum ſpurios Canones a genuinis non ſatis accurate diſcreviſſe?

Ob. 2. Multa adhuc ſunt, quæ majorem approbant Canonum Nicænorum numerum; & 1. quidem S. Athanaſius in Epiſt. ad Marcum Papam 70. inquit eſſe Nicænæ Synodi capitula. 2. Innocentius I. Ep. 23. ad Synodum Toletanam irregularitatem incurrere ex Nicæno Concilio eos dicit,

cit, qui vel milites, vel cauſidici, vel curiales fuerint; ſed iſte Canon inter illos viginti fruſtra diſquiritur. 3. S. Gregorius Turonenſis lib. 9. c. 33. laudat Canonem Nicænum quemdam anathematizantem virum profitendæ Religionis prætextu uxorem relinquentem; ſed iſte Canon in numero vicennario non adinvenitur. 4. S. Auguſtinus Ep. 110. hæc habet: *Adhuc in corpore poſito B. memoriæ Patre & Epiſcopo meo ſene Valerio, Epiſcopus ordinatus ſum, & ſedi cum illo, quod Concilio Nicæno prohibitum fuiſſe neſciebam, nec ipſe ſciebat*. Qui Canon inter 20. vulgatos certe non extat. 5. Franciſcus Turrianus 80. Nicænos Canones ex Arabico in Latinum vertit, quibus omnes Orientis ſectæ utuntur: Ergo &c.

Reſp. ad 1. Epiſtolam S. Athanaſii ad Marcum Papam ſuppoſititiam eſſe ex omnium eruditorum conſenſu, qui præſertim animadverterunt, eo anno datam nuncupari, quo in Galliis exulabat Athanaſius, ex quo inferunt critici, non potuiſſe Athanaſium cum Ægyptiis Epiſcopis ad Marcum Papam ſcribere. Ad 2. Cum munia, quæ Innocentius recenſet, ut plurimum Idololatriæ vitio polluerentur, hinc Innocentium citaſſe dicimus partim decimum, partim duodecimum Canonem Nicænæ Synodi, quibus lapſos ad Clerum admitti prohibetur. Ad 3. Deceptum fuiſſe S. Epiſcopum; ab ipſo enim citatus Canon Concilii Gangrenſis decimus ſeptimus eſt contra Euſtathium editus, qui nuptias averſabatur, & matrimonium conſummatum Religionis cauſa ſolvi poſſe propugnabat. Ad 4. Concilium Nicænum Canone 8. ſtatuiſſe, Novatianos Epiſcopos illis in civitatibus, quibus Catholici aderant Epiſcopi, ſolum Epiſcopalis nominis honorem debuiſſe obtinere: *Ne*, inquit Concilium, *in una civitate duo Epiſcopi probentur exiſtere*. Ad ultimum Turriani Canones apocryphos eſſe pronunciamus, & communem errorem eſſe Orientalium Eccleſiarum, quoniam vetus Orientalis Eccleſia ſolum viginti Canones agnovit, ut conſtat ex exemplaribus ad VI. Synodum Carthaginenſem miſſis a S. Cyrillo Alexandrino, & ab Attico Conſtantinopolitano. Qui autem hoſce Canones perlegere voluerit, adeat Gaſparum Juenin diſſ. 4. De loc. Theol.

CA-

## CAPUT IX.

### *De Synodo Conſtantinopolitana* 1. *Generali ſecunda*.

VAria ſunt de hac Synodo a Theologis pertractata, quæ omnia hic percenſere brevitatis ratio non poſtulat. Quapropter ea tantum diſceptanda ſuſcipiemus, quæ Theologiæ canditatis ſunt omnimode neceſſaria. Ac 1. quidem ſi perquiratur, a quo fuerit hæc Synodus convocata, non adeo facile ſolvitur quæſtio, cum nonnulli a Theodoſio & Damaſo convocatam aſſerant, alii vero Romanum Pontificem ab hac excludant convocatione, inter quos Natalis Alexander diſſ. 36. in ſæc. 4. contra Cardinalem Baronium & Binium. Nos itaque in tam perplexa controverſia utriuſque ſententiæ momenta exponemus, ut quæ majus viſa fuerint robur præſeferre, ex uniuſcujuſque judicio pendeat & arbitrio. Qui itaque propugnant a ſolo Imperatore Theodoſio Conſtantinopolitanam Synodum convocatam fuiſſe, hiſce innituntur rationibus. I. Socrates lib. 5. H. E. c. 8. hæc habet: *Poſt hæc Imperator nihil cunctatus ſuæ fidei Epiſcoporum Concilium convocat*. II. Sozomenus lib. 7. c. 7. de Theodoſio eadem profert. Inquit enim: *Nec multo poſt Epiſcoporum communionis ſuæ Synodum convocavit*. III. Idem probatur Theodoreti auctoritate, qui lib. 5. Hiſt. Eccl. c. 7. *Theodoſius*, inquit, *Epiſcopos dumtaxat Imperii ſui Conſtantinopolim juſſit convenire*. IV. His omnibus ſuffragantur Epiſtola Synodica iſtius Concilii ad Theodoſium, qua PP. Synodi ſe a Theodoſio convocatos teſtantur, & auctor Anonymus vitæ S. Pauli Conſtantinopolitani Epiſcopi, qui inter cetera expreſſis verbis de Imperatore ſic loquitur: *Convocat igitur Concilium Pius Imperator &c.* Sed hiſce reponunt contrariæ ſententiæ Patroni: Hæc omnia nihil probare, ſiquidem convocavit reapſe Epiſcopos Orientis ad Concilium Theodoſius Imperator; verum animadvertendum, hanc non fuiſſe Generalem convocationem. Generalis convocatio facta eſt, quando Damaſus Papa, qui Romæ Concilium coegerat Epiſcoporum Occidentalium, ad eum locum Orientales quoque Epiſcopos invitavit, ut eo modo Concilium celebraretur pleniſſimum, ſed quia PP. Orientales juſtis de cauſis Romam petere nequiverunt, excepit Damaſus eorum excuſationem, & animis ac ſententiis duæ illæ Synodi conjunctæ ſunt, ac ſi una & eadem fuiſſent. Quam-

 obrem

obrem aſſerentes hiſtorici hanc Synodum ab Imperatore Theodoſio convocatam fuiſſe ad convocationem appellant Orientalium, qui Generale Concilium non conſtituerunt, niſi quando a Romano Pontifice Romam invitati, & excuſationem poſtulantes Damaſi conſenſu Conſtantinopoli Concilium abſolverunt. Unde & hiſtoricorum auctoritate Damaſi convocationem & ipſi probant Baronius & Binius. I. In Synodo 6. Œcumen. act. 18. hæc leguntur: *Macedonius Spiritus negabat deitatem, eumque conſervum prædicabat, ſed M. Theodoſius Imperator, & Damaſus fidei adamas obſtiterunt.* II. In Codice antiquiſſimo Bibliothecæ Vaticanæ, & in alio S. Mariæ Majoris hæc pariter habentur: *Sententiam de damnatione Macedonii & Eunomii Damaſus confirmari præcepit etiam in ſancta ſecunda Synodo, quæ præcepto & auctoritate ejus apud Conſtantinopolim celebrata eſt.* III. Nilus Rhodiorum Metropolita in ſynoptica enarratione Conciliorum Generalium: *Præerant*, inquit, *Synodo Damaſus Romæ, Nectarius Conſtantinopolis*. IV. Damaſus in Epiſt. ad Illyricos teſtatus eſt nullius momenti decreta eſſe, quæ vel per ſe, vel per Legatos non approbaſſet, hiſce verbis apud Theodoretum lib. 2. Hiſtor. Eccl. c. 22. *Neque enim præjudicium aliquod naſci potuit ex numero eorum, qui apud Ariminum convenerunt, cum conſtet, neque Romanum Epiſcopum, cujus ante omnes fuit expetenda ſententia . . . . hujuſmodi ſtatutis conſenſum aliquem commodaſſe.* Verum ex altera parte his reponunt adverſarii: Nihil evincere primum momentum, cum aliud ſit convocare Synodum, aliud errori alicui obſiſtere. Singuli Epiſcopi errori obſtiterunt, nec tamen Synodum convocarunt, ſed convocati ſunt. Nihil ſecundum, quoniam dubia ſane eſt apud eruditos illorum codicum fides, quibus omnes veteres hiſtorici calculum ſuum non adjunxerunt. Nec aliquid tertium, cum apud Natalem Alexandrum eadem ſit, nihili & Nili auctoritas, cum iſte pluries in Hiſtoria Eccleſiaſtica juxta ſanæ mentis eruditos hallucinatus ſit. Nec denique ultimum, cum ex Damaſi auctoritate hoc ſolum oſtendatur, ad Conciliorum auctoritatem neceſſariam eſſe Pontificis Romani approbationem, & Decretorum confirmationem; an vero Conſtantinopolitanam Synodum Damaſus convocaverit, hoc eſt quod adhuc probandum remanet.

Atque his adductis pro utraque parte rationibus, altera eſſet enodanda quæſtio de Concilii Conſtantinopolitani præſide. Verum cum ex Eccleſiaſticis monumentis nihil ſolidi

in

in medium proferri poſſit, illam ſane meliore judice dignam judicamus. Multa collegit citato ſuperius loco Natalis Alexander ex Socrate, Sozomeno, Photio, aliiſque hiſtoricis, ut probabilius tamen Timotheo Alexandrino hujus Concilii præſidentiam tribueret. Re tamen accurate perſpecta fateri cogimur, teſtimonia illorum ſcriptorum nimis generalia eſſe, ac de ſe indeterminata, & conſequenter in dubitatione permanendum, donec clarior in Eccleſiaſtica hiſtoria affulgeat dies. Qui tamen veritatis voluerit periculum facere, citatum præclariſſimum Theologum adire poterit.

Quot Canones hoc Concilium ediderit, incertum arbitror. Gaſpar Juenin *De Conciliis* ſeptem enumerat. Natalis Alexander probabilius dicit ſe tenere, tres tantum Canones editos fuiſſe; cui ſane opinioni calculum noſtrum adjicimus. Eſt enim hæc ſententia numero & auctoritate ſcriptorum validior; ſed hiſce prætermiſſis, quæ apud citatos Theologos videri poſſunt, ad alia properamus.

## CAPUT X.

### *De Synodo Epheſina.*

Contra Neſtorii hæreſim indictum fuit Epheſinum Concilium, quod fuit Generale tertium, Theodoſii Junioris tertiodecimo, & Valentiniani tertii Auguſti conſulatu tertio, anno Domini 430. Cæleſtini Pontificis 4. & Neſtorii Epiſcopi anno 2. Synodi locus fuit Epheſina civitas caput totius Diœceſeos Aſiaticæ, unde in litteris ad PP. miſſis ajebat Theodoſius Auguſtus: *Deputavimus Epheſiorum civitatem, terra marique acceſſu percommodam, ibique diverſantibus neceſſaria ſuppeditantem affatim e nativis apportatiſque fructibus*. Quis hanc Synodum convocaverit primo erit diſputandum. Natalis Alexander diſſert. 7. in ſæc. 5. firme pronunciat Epheſinam Synodum indictam fuiſſe a Theodoſio Juniore, non a Cæleſtino I. Pontifice Maximo, reprehenditque Lovanienſem Doctorem & Auguſtiniani Ordinis decus Chriſtianum Lupum, quod adverſam tenuerit cum Bellarmino ſententiam. At pace dicam Sorbonici Doctoris præclariſſimi, cur opinio Chriſtiani Lupi eſſet impetenda, non certe videmus. Siquidem tractoriæ convocationis litteræ quidem per Auguſtum datæ ſunt, at id ſine conſenſu Romani Pontificis factum fuiſſe doctiſſimus Alexander non oſtendit, nec oſtendere poterit. Qua de re ceteris præ-

prætermiſſis, quæ infra tractanda erunt, **Chriſtiani Lupi** ſententiam ſequenti propoſitione comprobamus.

## Conclusio I.

*A Theodoſio Juniore convocatam fuiſſe Synodum Epheſinam Cæleſtini Papæ conſenſu aſſerit eruditiſſimus Auguſtinenſis Chriſtianus Lupus, cujus ſententiam firmiſſime tenendam judicamus.*

Dem. Action. 3. hujus Concilii legitur, Apoſtolicos Legatos hæc pronuntiaſſe: *Synodo in Epheſiorum metropoli congregata ex decreto amabiliſſimorum Deo, & Chriſti amantium Imperatorum S. Papa noſter Cæleſtinus Epiſcopus nos ipſius præſentiam ſupplentes ad hanc Synodum miſit, quam quidem Synodum convenire juſſerunt humaniſſimi Chriſtianiſſimique Imperatores*. Ex quibus tale conficitur argumentum. Cæleſtinus Pontifex Legatos miſit, qui Concilio præeſſent; Ergo Cæleſtinus Synodi convocationem approbavit. At reponit Natalis: *Non ſunt hæc ad Romani Pontificis nutum?* Nego. Siquidem ſunt quidem expreſſe ad nutum Imperatoris; at quotieſcumque Cæleſtinus Synodi convocationem approbavit, implicite ſunt etiam ad nutum Pontificis. Rurſus S. Proſper in Chronico ita ſcribit: *Neſtorii impietati novum errorem Eccleſiis inducere molientis præcipuam Cyrilli Alexandrini Epiſcopi induſtriam, & Papæ Cæleſtini repugnaſſe auctoritatem*. Ad quæ Proſperi verba ſubjungit Natalis, hic non ſcribi, Cæleſtinum convocaſſe Synodum Epheſinam. Concedo non convocaſſe; probet tamen clariſſimus Vir, Synodum convocatam non fuiſſe conſenſu Cæleſtini. At in verbis Proſperi immorandum. Proſper enim duo diſtinguit, Cyrilli ſcilicet induſtriam, & Cæleſtini auctoritatem. Verum quomodo potuit Cæleſtinus ſuam exercere in Neſtorium auctoritatem, niſi aſſentiendo Concilii convocationi? Cyrillus quomodo ſuam exhiberet induſtriam, niſi ut convocaretur?

Atque hæc omnia confirmantur Epiſtola Cæleſtini ad Epheſinam Synodum, in qua aſſerit, ſe miſiſſe Legatos, ut ea illi *exequerentur*, *quæ antea* ab ipſo fuerant *ſtatuta*: & ex interlocutione S. Cyrilli Act. 3. ubi S. Alexandrinus Epiſcopus de Pontificiis Legatis hæc habet: *Quare cum ea, quæ a Cæleſtino Sanctiſſimoque Deo dilectiſſimo Epiſcopo decreta jam fuerant, exequuti ſint, conſequens eſt ut eorum, quæ heſterno hodiernoque die acta ſunt, commentarii ſuperioribus actibus attexantur*. Denique Gelaſius I. in prima

ſua Synodo Romana teſtatus eſt, Neſtorium damnatum fuiſſe conſenſu Cæleſtini. Cæleſtiaus ergo Concilio conſenſerat.

Quæ in contrarium a Natali producta ſunt, facillime exſufflantur. Sive enim tractoriæ Divales objiciantur, ſive actorum ſeries inſpiciatur, vel denique Joannis Antiocheni, aut Cæleſtini, aut cujuſcumque alius teſtimonia expendantur, numquam oſtendi poterit, Romanum Pontificem Synodi convocationi non conſenſiſſe; & licet præclara multa de Theodoſio dicantur, ſupponunt ipſa Cæleſtini approbationem, quam ex variis monumentis eruimus, ut ſupra adnotatum eſt.

CONCLUSIO II.

*Epheſinæ Synodo Cyrillus primum Alexandrinus Romani Pontificis nomine, dein Arcadius, & Projectus Epiſcopi, & Philippus Presbyter Romæ Epheſum miſſi præſederunt.*

Dem. Et 1. quidem ex act. 1. Concilii Epheſini, in qua hæc leguntur: *Conſidentibus in ſanctiſſima Eccleſia, quæ appellatur Maria, religioſiſſimis & ſanctiſſimis Epiſcopis Cyrillo Alexandriæ, qui & Cæleſtini quoque ſanctiſſimi Romanæ Eccleſiæ Archiepiſcopi locum obtinebat, & Juvenali Hieroſolymorum &c.* Confirmatur Epiſtola Cæleſtini ad Clerum Conſtantinopol., in qua S. Pontifex ſcripſit: *Et quia noſtra in tanto negotio propemodum præſentia neceſſaria videbatur, vicem noſtram propter marina & terrena ſpatia ipſi ſancto fratri meo Cyrillo delegavimus, ne morbus iſte longitudinis occaſione graſſetur.* Eadem leguntur apud Marcellinum Comitem in Chronico, Evagrium lib. 1. Hiſt. Eccl. c. 4. & Photium in lib. de Synodis. Cyrillum inſuper Concilii Præſidem agnoverunt Pulcheria Auguſta in Sacra Archimandritis miſſa, Julianus Coenſis in Epiſtola ad Leonem Imperatorem & Epiſcopi Armeniæ in Epiſt. ad eumdem Principem, quibus accenſenda eſt Gregorii VII. in Apolog. & Nicephori Calixti auctoritas lib. 14. H. E. c. 34.

Probanda nunc remanet altera propoſitionis pars de Pontificiis Legatis in Synodo poſt Cyrillum Præſidentibus, de quibus ſic loquutum legimus Cæleſtinum in Epiſt. ad Epheſ. Synodum: *Direximus pro noſtra ſollicitudine ſanctos fratres, & conſacerdotes noſtros unanimes nobis & probatiſſimos viros Arcadium & Projectum Epiſcopos, & Philippum Presbyterum noſtrum, qui iis, quæ aguntur, interſint, & quæ a nobis antea ſtatuta ſunt, exequantur, quibus præſtandum a nobis*

*nobis non dubitamus aſſenſum, quando id, quod agitur, videatur pro univerſalis Eccleſiæ ſecuritate decretum*. Idem conſtat ex ejuſdem Pontificis Epiſtola ad Theodoſium Imperatorem, in qua hæc præciſe leguntur alibi etiam citata verba: *huic Synodo, quam eſſe juſſiſtis, noſtram præſentiam in his, quos miſimus, exhibemus*. Ex quibus verbis licet Natalis Alexander evincere præſertim ſtudeat, Concilium ab Imperatore abſque Pontificis Romani aſſenſu convocatum fuiſſe, id tamen irrito præſtitit conatu. Quomodo allata Cæleſtini verba intelligi debeant, ſatis percipere quiſque poteſt ex iis, quæ ſupra diximus in reſponſ. ad 1. object. concl. 2. c. 7. Inſuper Legatorum præſidentiam evincimus ex actibus hujus Synodi, & præſertim ex act. 3. in qua loquens Cyrillus de Cæleſtini Legatis ſe inter illos non connumerat, necnon & ex relatione Concilii Epheſini ad Cæleſtinum P. M. quæ extat poſt act. 5. aliiſque pluribus Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ monumentis.

*Satisfit Objectionibus*.

Ob. 1. Ex Epiſcoporum ſubſcriptionibus patet, Cyrillum ante Pontificios Legatos ſubſcripſiſſe: Ergo &c.

Reſp. Perturbatum eſſe ſubſcriptionum ordinem: Et reapſe Juvenalis Hieroſolymorum Epiſcopus interdum ante, interdum inter Pontificios Legatos ſubſcripſiſſe legitur, quod de Flaviano Philippenſium Epiſcopo idem factum eſſe comperimus.

Ob. 2. Epheſini PP. in relatione ad Imperatores per ſeptem Legatos miſſa Cyrillum vocant Concilii *Caput*, *Præſes & Princeps*: Ergo &c.

Reſp. Laudatos PP. Cyrillum Concilii Caput, Præſidem, & Principem vocaſſe, quoniam plus ceteris Alexandrinus Epiſcopus laboravit aut in doctrinæ luce, aut in Neſtorii confutatione.

Nonnulla modo de Canonibus hujus Concilii ſupereſſent addenda, verum cum apud omnes conſtet, ſex tantum in Epheſina Synodo editos fuiſſe, idcirco a ſuperfluis conſulto abſtinemus.

## CAPUT XI.

### *De Synodo Chalcedonenſi.*

CUm Euſebius Doryleenſis, aliique per Epheſinum Latrocinium afflicti Epiſcopi, ac præſertim Leo Pontifex novam Synodum ab Imperatore Marciano prudentia & Romana fide clariſſimo expoſtulaſſent, reſponſum meruere Conſtantinopoli datum x. Kalend. Septembris an. Chr. 450. Qua de re indicta & convocata eſt Synodus in Kalendas Septembris Conſulatu Martiani Auguſti & Clodii Adelphii, anno Domini 451. duodecimo Leonis Papæ, quarto ante captam urbem a Genſerico Wandalorum Rege. Quæ circa hoc quartum Generale Concilium diſputari ſolent, duobus ſequentibus propoſitionibus abſolvenda ſuſcipimus hunc in modum.

CONCLUSIO I.

*Chalcedonenſe Concilium ab Imperatore Marciano S. Leonis Papæ conſenſu fuit convocatum.*

Dem. Et quidem pleniſſime ex ipſa Marciani Epiſtola ad S. Leonem, quam ſic legimus: *Supereſt, ut, ſi placuerit tuæ Beatitudini in has partes advenire, & Synodum celebrare, hoc facere Religionis affectu dignetur, noſtris utique deſideriis veſtra Sanctitas ſatisfaciet, & ſacræ religioni quæ utilia ſunt, decernet. Si vero oneroſum eſt, ut tu ad has partes advenias, hoc ipſum nobis propriis litteris tua Sanctitas manifeſtet, quatenus in omnem Orientem & in ipſam Thraciam & Illyricum ſacræ noſtræ litteræ dirigantur, ut ad quemdam definitum locum, ubi nobis placuerit, omnes ſanctiſſimi Epiſcopi debeant convenire, & quæ Chriſtianorum Religioni, atque Catholicæ fidei proſint, ſicut tua Sanctitas ſecundum Eccleſiaſticas regulas definierit, ſua diſpoſitione declarent.* Quæ & confirmantur Epiſtola 43. S. Leonis ad Imperatorem data, in qua *Popoſceram*, inquit, *a glorioſiſſima clementia veſtra, ut Synodum, quam ad reparandam Orientalis Eccleſiæ pacem etiam a nobis petitam, neceſſariam judicatis, aliquantiſper differri ad tempus opportunius juberetis, ut liberioribus ab omni perturbatione animis, hi quoque Epiſcopi, quos hoſtilitatis metus detinet, convenirent. Sed quia pro ſtudio humanis negotiis divina præponitis, & rationabiliter ac religioſe regni veſtri viribus creditis profuturum, ſi nulla ſit in Sacerdotum ſenſibus diſſonantia, nulla ſit in Evan-*

*Evangelii prædicatione diſcordia : Ego etiam veſtris diſpoſitionibus non renitor optans, ut in omnium cordibus Catholica fides, quæ non poteſt niſi una eſſe, firmetur*. Poſt hæc prætermitti nequit ejuſdem S. Leonis Epiſtola 61. ad PP. Chalcedonenſes, in qua hæc habet inter cetera : *Fraterna univerſitas & omnium fidelium corda cognoſcant, me non ſolum per fratres, qui vicem meam exequuti ſunt, ſed etiam per approbationem geſtorum Synodalium, propriam vobiſcum univiſſe ſententiam : in ſola videlicet cauſa fidei, propter quam Generale Concilium, & ex præcepto Chriſtianorum Principum, & ex conſenſu Apoſtolicæ Sedis placuit congregari*. Quæ omnia cum per ſe clara ſint & manifeſta, hinc Liberati Diaconi, Juſtiniani Imperatoris, aliorumque multorum teſtimonia prætermittimus, & ad ea, quæ in contrarium ſentire aliquis potuit, eliminanda progredimur.

*Solutio Objectionum.*

Ob. Gelaſius in Epiſt. ad Epiſcopos Dardaniæ aſſerit, ſolam Apoſtolicam Sedem decreviſſe ut Synodus Chalcedonenſis fieret : Ergo &c.

Reſp. a Gelaſio ſcribi, ſolam Apoſtolicam Sedem decreviſſe celebrationem Synodi Chalcedonenſis non per oppoſitionem ad Imperatoris mandatum, ſed per oppoſitionem ad reliquas Sedes. Et reapſe Gelaſius ipſe in Synodo Romana Chalcedonenſe Concilium mediante Marciano Auguſto celebratum apertiſſime aſſeruit. Multa alia objiciuntur apud Natalem Alexandrum, ſed quoniam facillimæ ſunt ſolutionis, idcirco prætermittenda.

## Conclusio II.

*Chalcedonenſi Synodo Legati Leonis Papæ præferunt.*

Dem. Auctoritate S. Leonis, qui in Epiſtola 49. ad Marcianum Auguſtum hæc habet : *Credebamus, Clementiam veſtram id deſiderio noſtro poſſe præſtare, ut præſenti neceſſitate reſpecta differri ad opportunius tempus Sacerdotalem Synodum juberetis, ut evocatis de cunctis Provinciis Sacerdotibus, vere poſſet eſſe univerſale Concilium. Sed quia vos amore Catholicæ fidei congregationem nunc fieri voluiſtis, ne devoto viderer obviare arbitrio, fratrem & Coepiſcopum meum Paſchaſinum de ea Provincia, quæ videtur eſſe ſecurior, evocatum, qui vicem præſentiæ meæ poſſit implere, direxi Bonifacio fratre, & Compresbytero meo ſociato, & his, quos antea miſeramus, adjunctis conſortem illis fratrem quoque meum Julianum addentes Epiſcopum .... Quia vero quidam*

*dam de fratribus, quod ſine dolore non dicimus, contra turbines falſitatis non valuere catholicam tenere conſtantiam, prædictum fratrem & Coepiſcopum meum vice mea Synodo convenit præſidere*. Ejuſdem ferme ponderis ſunt, quæ Epiſtola 47. ad Synodum leguntur. Quæ vero primis tribus actionibus hujus Synodi geſta ſunt, clare evidenterque adeo Pontificiorum Legatorum præſidentiam exhibent, ut eorum expreſſa nomina exhibeant. Quibus omnibus & Facundi Hermianenſis, aliorumque accedit auctoritas, adeout de Leonis Pontificis Legatorum præſidentia irrefragabile ſit judicium.

*Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1. Anatolius Conſtantinopolitanus Epiſcopus in cauſa Baſſiani & Stephani ſententiam dixit act. 12. ante Sedis Apoſtolicæ Legatos: Ergo & præſidentiam habuit.

Reſp. Peculiarem illam fuiſſe cauſam ad diſciplinam ſpectantem, quæ cum eſſet Anatolio ceteris notior, idcirco Pontificii Legati id oneris Anatolio detulerunt, ut in ea libere judicaret.

Inſtab. Sardiana Synodus in Epiſt. ad Leonem Imper. duos hujus Synodi Præſides agnoſcit, Leonem ſcilicet, & Anatolium: Ergo &c.

Reſp. Apud Sardianam Synodum verbum *Præſidere* non ſumi pro eo, quod proprie ſignificat, ſed pro *judicare*. Et reapſe non tantum Synodo præfuiſſe dicitur Leo & Anatolius, *ſed & ſummi Sacerdotes, qui eis concordes fuerunt*.

Inſtab. Taraſius Conſtantinopolitanus act. 1. Synod. 7. Anatolium vocavit Synodi Chalcedonenſis primum Exarchum: Ergo &c.

Reſp. Taraſium vocaſſe Anatolium primum Exarchum non relate ad Pontificios Legatos, ſed relate ad ceteros Concilii Epiſcopos.

Inſtab. Photius lib. de 7. Synodis aperte teſtatur, Anatolium Præſidem Concilii ante Legatos Leonis declaratum fuiſſe: Ergo &c.

Reſp. Multa eſſe Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumenta, ex quibus ſupra evidenter Pontificiorum Legatorum præſidentia demonſtrata eſt. Quare illis potius, quam Photio fides habenda.

Ob. 2. PP. Concilii in relatione ad S. Leonem teſtati ſunt, Marcianum, vel per ſe, vel per Magiſtratus Synodo præfuiſſe: Ergo &c.

Reſp.

Reſp. Marcianum actione 6. Synodi PP. ita eſſe alloquutum: *Nos enim ad fidem confirmandam, non ad potentiam oſtendendam exemplo Religioſi Principis Conſtantini, Synodo intereſſe voluimus*. Non ergo præfuit Imperator condendis fidei decretis, ſed ad turbas compeſcendas, vimque omnem prohibendam, & ad pacem auctoritate ſua in Concilio ſervandam.

Quæres, quot Canones ab hac Synodo conditi ſint?

Reſp. Alios editos act. 6. alios 15. ſexta ſolos tres. Quintadecima edidit viginti octo, eoſque inter repetiit tres laudatos. Sane triginta ſolent ab aliquibus adnumerari, at duo poſteriores revera non ſunt Canones, ſed ſimplices quædam Canonis formam præferentes, & Canonibus per neſcio quem adnexæ Synodales Legatorum Romanorum de propoſitis quæſtionibus interlocutiones. Recte item Hermannus Contractus, Gratianus, & paſſim alii ajunt, editos ſolos viginti ſeptem, ſequuntur enim Dionyſium Exiguum, qui ſolos tot ſuæ collectioni inſeruit, & vigeſimum octavum quaſi non editum duxit & abjecit.

## CAPUT XII.

### *De quinta Œcumenica Synodo.*

IN celebri trium capitulorum cauſa convocata eſt V. Generalis Synodus anno Domini non 554. ut viſum eſt Cl. Chriſtiano Lupo, ſed anno antecedenti, ut patet ex correctione Eminentiſs. Cardinalis Noriſii in diſſert. de Synodo V. Multa ſunt, & hactenus eruditorum diſputationibus jactata quæſtionum capita, quæ hic recenſere non eſt hujus loci, cum in Noriſiano Opere videri percommode poſſint. Quæ omitti nequeunt aggredimur pertractanda ad juniorum mentes imbecillitate ſtudiorum adhuc tenues inſtruendas, & firmandas. Quare ſit

### CONCLUSIO I.

*Conſenſu Vigilii ab Juſtiniano Imperatore convocata eſt V. Synodus Generalis.*

Prob. Ex Sacra Divali Imperatoris ad Synodum, in qua ſic legimus: *Nos igitur ſequentes ſanctos PP. & volentes rectam fidem ſine macula in Dei Eccleſiis prædicari, & impiorum conatum reſecare, primum quidem & in veſtris vos degentes Eccleſiis interrogavimus de prædictis impiis tribus capitulis, & veſtram vobis voluntatem manifeſtam feciſtis, pro*

qua

*qua & comprobavimus vos, quod indubitanter & cum omni alacritate rectam fidem confeſſi eſtis, & impiam condemnaſtis. Quoniam vero & poſt condemnationem a vobis factam in eiſdem ipſis permanent quidam eadem impia tria capitula vindicantes, ideo vocavimus vos ad Regiam urbem hortantes communiter convenientes quam habetis pro his voluntatem, iterum manifeſtare.* Nec abſimilia ſunt quæ ſcribit Evagrius lib. 4. Hiſt. Eccl. c. 37. hunc in modum: *Jam vero cum Vigilius antiquæ Romæ & Mennas Novæ primum, deinde Eutychius, Alexandriæ autem Apollinarius, & Domnus Antiochiæ Epiſcopatum geſſit, Juſtinianus V. Concilium convocavit.* Quod vero id abſque Vigilii conſenſu factum non fuerit, ex ipſius Vigilii Epiſtola ad Eutychium eſt luculentiſſimum. Inquit enim: *Veſtrum deſiderium cognoſcentes annuimus, ut de tribus capitulis, ex quibus quæſtio nata eſt, facto regulari conventu, ſervata æquitate, mediis ſacroſanctis Evangeliis collationem cum unitis fratribus habeamus, & finis detur placitus Deo, & conveniens his, quæ a ſanctis quatuor ſunt definita Conciliis.* Atque hæc omnia comprobantur ex collat. 8. quintæ Synodi, & ex ſermone acclam. ad Imperat. In prima enim legitur: *Poſtea tamen & conſenſit in ſcriptis in Concilio convenire, & diſceptare una nobiſcum de his tribus capitulis, ut definitio communiter ab omnibus nobis præbeatur fidei rectæ conveniens.* In ſecundo vero: *Sicut & Vigilius poſt hæc Juſtiniano Piiſſimo conſonuit, & V. Concilium conſtitutum eſt, ut eorum Opuſcula, quæ latenter reperta ſunt plena abominatione, anathematizarentur.* Ex his omnibus ergo conſtat apertiſſime, non ſine Romani Pontificis conſenſu V. Generalem Synodum convocatam ab Imperatore fuiſſe.

C o n c l u s i o II.

*Num Vigilius, vel Eutychius Conſtantinopolitanæ II. Synodo præfuerit, videtur incertum. A Vigilio tamen & ab univerſali Eccleſia Concilium hoc approbatum fuiſſe omnino certiſſimum.*

Dem. 1. pars. Vigilium Concilii hujus Præſidem fuiſſe teſtatus eſt Zonaras tom. 3. Ann. hiſce verbis: *Sub hoc Eutychio Concilium V. eſſe coactum 165. SS. PP. quorum primus ac præcipuus fuit Vigilius*; necnon Nilus Rhodienſis Epiſcopus in lib. de Synodis, ubi de quinta Synodo hæc habet; *Præerant Synodo Vigilius Papa Romæ, Eutychius Conſtantinopolis.* Quibus & ipſa ratio ſuffragatur. Hæc enim una eſt ex præcipuis Synodi Œcumenicæ conditioni-

bus, quod illis Romanus Pontifex vel per ſe, vel per alios præeſſe debeat. Econtra tamen præſidentiam Eutychii affirmant acta Concilii, in cujus prima collatione hæc habentur: *Conſidentibus in Secretario venerabilibus Epiſcopis Eutychio ſanctiſſimo Patriarcha Regiæ Conſtantinopolis novæ Romæ, Apollinario ſanctiſſimo Archiepiſcopo Alexandrinæ civitatis, Domno ſanctiſſimo Patriarcha Theopolitanæ civitatis.* Quidquid tamen ſit de his, Vigilius quintam Synodum confirmavit. Evagrius illius ſæculi ſcriptor, qui acta Synodi legit lib. 4. c. 37. ſcribit: *Vigilius per litteras conſenſit Concilio, non tamen intereſſe voluit.* Has litteras tandem e ruderibus antiquitatis erutas Petrus de Marca nobili præmiſſa de Synodo V. diſſertatione evulgavit. Ita illæ inſcribuntur: *Epiſtola Vigilii Archiepiſcopi Romæ ad Eutychium Archiepiſcopum Conſtantinopoleos, & ad omnem præjacentem ſanctam Synodum.* Legitur hæc Epiſtola Vigilii tom. 12. edit. Regiæ Conciliorum. In hac Epiſtola Vigilius ſui conſtituti ſententiam retractat, & cum ſancti Auguſtini exemplum ſequutum ſe dicat, illius voces hic nobis reddendæ ſunt: *Si in omni*, inquit, *negotio ſapientiæ ratio poſtulat, ut id de quo quæritur, retractetur, neque pudori eſſe debet, cum ea, quæ ab initio omiſſa ſtudio deinde veritatis inveniuntur, in publicum eduntur, quanto magis Eccleſiaſticis diſceptationibus convenit, eamdem rationem in illis quoque obſervari, præcipue cum manifeſtum ſit, Patres noſtros, & maxime beatiſſimum Auguſtinum, qui in divinis ſcripturis claruit, Romanæ eloquentiæ magiſtrum propria ſcripta retractaſſe, dictaque ſua correxiſſe, atque illa quæ omiſerat, ac deinde invenerat addidiſſe. Nos quoque ſimiliter illis exemplis invitati in controverſia trium capitulorum ſupra memoratorum numquam deſtitimus, quin inveſtigaremus, quid de prædictis tribus capitulis in PP. noſtrorum litteris verius inveniri poſſet.* Dein recitatis pluribus erroribus librorum Theodori, necnon ſcriptorum Theodoreti, contra Sanctum Cyrillum, itemque Epiſtolæ Ibæ Edeſſeni, ita definit. *Prædicta itaque tria impia capitula anathematizamus, & condemnamus, ſcilicet impium Theodorum Mopſueſtiæ, una cum impiis ejus ſcriptis, & quæcumque impie Theodoretus ſcripſit, atque etiam Epiſtolam, quæ dicitur ab Iba ſcripta fuiſſe, qua ſuperius dictæ prophanæ blaſphemiæ comprehenduntur.* Poſtea vero revocat conſtitutum, & alia, quæ pro tribus capitulis antea ſcripſerat: *Quæ vero*, inquiens, *aut a me, aut ab aliis ad defenſionem trium prædictorum capitulorum*

*lo,um facta ſunt, præſentis hujus ſcripti noſtri definitione evacuamus*. Subſcribitur vero Epiſtola *data ante* VI. *idus Decembris Imperii Domini noſtri Juſtiniani Æterni Auguſti anno* XXVII. *Poſt Conſulatum Baſilii U. C. anno* XII. Itaque Vigilius ante finem anni Synodum confirmavit.

Quod & præſtitere Vigilii ſucceſſores Pelagius I. videlicet, quem Synodum V. recepiſſe antequam eligeretur Pontifex, teſtis eſt Victor Turonenſis in Chronico, idque ejus Epiſtolæ ad Narſem & ad Epiſcopos Thuſciæ ſchiſmaticos liquido probant. Nec non Pelagius II. ut conſtat ex ipſius Epiſtola ad Eliam Aquilejenſem, & Iſtriæ Epiſcopos ab Eccleſiæ Romana ob trium capitulorum defenſionem divulſos.

Quid de Gregorio M. dicemus: Ejus Epiſtola legatur ad Joannem Epiſcopum Conſtantinopolitanum 24. lib. 1. & 36. lib. 2. & de ejus approbatione minime dubitandum. Præterea Martinus I. in Concilio Lateranenſi adverſus Monothelitas ſecretario IV. legi juſſit V. Concilii definitionem cum hac Epigraphe: *Definitio Sanctæ V. Synodi*. Prætermittimus Diurnum Romanorum Pontificum, Synodum Conſtantienſem in formula profeſſionis fidei, & Synodum ſextam in definitione fidei act. 18. Eſt enim veritas hujus propoſitionis ſatis ſuperque in aperto.

*Diluuntur Objectiones*.

Ob. Hiſpanienſis Eccleſia V. Synodum non recepit: Ergo &c. Prob. antec. Toletana Synodus III. approbavit fidei profeſſionem, quam obtulit Rex Recaredus, in qua quatuor prima tantum Concilia memorantur. Toletanæ Synodi III. veſtigia preſſere Rex Receſvintus, & VIII. & XIV. Toletana Synodus: Ergo &c.

Reſp. Orientalis Eccleſiæ conſenſum, & præſertim Romanæ judicium ſatis probare inviſtiſſimam quintæ Generalis Synodi auctoritatem, nec aliquid in contrarium oſtendere diuturnum Hiſpanorum conſenſum, quem tolerarunt Romani Pontifices ad ſervandam Eccleſiæ pacem, & unitatis vinculum, donec veritas tandem illuceſceret. Atque hac œconomia tanto lubentius Romani Pontifices uſi ſunt, quod Hiſpani palam & procaciter quintam Synodum non impugnarent, ſed modeſto ſilentio ipſam prætermitterent.

Quæres. Quot Canones ediderit Sunodus V.

Reſp. Hoc in Concilio capitula novem contra Origeniſtas, & XIV. contra Neſtorianos, & Eutychianos fuiſſe condita.

## CAPUT XIII.

### *De VI. Synodo OEcumenica.*

ANno Chriſti ſexcenteſimo ſexageſimo octavo Conſtantinus Pogonatus Conſtantis filius, debellatis Saracenis, & Imperii pace firmata, quæſivit quid eſſet controverſiæ inter Romanam & Conſtantinopolitanam Sedem, ac audito nonnulla partim ex temeritate, ex ignorantia partim inducta eſſe, de convocando Concilio generali cogitavit.

Hac de cauſa ad Domnum Pontificem Maximum ſcripſit Imperator, ad quem etiam Epiphanium miſit Principis a ſecretis, qui legatione fungeretur, & cum ipſo ageret de Legatis Conſtantinopolim mittendis, & de aliis ad Concilii ordinem neceſſariis pertractaret. Cœpta eſt itaque VI. OEcumenica Synodus anno poſt Chriſtum natum 680. Agatonis Papæ III. qui defuncto Domno in Romana Eccleſia ſucceſſit; & contra Monothelitarum hæreſim nonnulla ad fidem neceſſaria hujus Concilii ſanctionibus firmata ſunt. Videamus igitur, ut conſuevimus, quid de hujus Concilii convocatione & Præſide ſentiendum ſit.

### CONCLUSIO.

*Generalis ſexta Synodus a Conſtantino Pogonato conſenſu Romani Pontificis convocata eſt, cui & Romanus Pontifex per Legatos præfuit.*

Dem. 1. pars ex Epiſtola Imperatoris ad Domnum Pontificem, in qua: *Poſtquam*, inquit, *igitur tempus non recipit perfectam congregationem fieri, adhortamur veſtram Paternam Beatitudinem per præſentem noſtram piam Sacram dirigere viros utiles ac modeſtos, notitiam habentes totius a Deo inſpiratæ doctrinæ, & peritiam irreprehenſibilem habentes dogmatum indutos perſonam veſtræ Apoſtolicæ ſedis, deferentes & libros, quos oportet proferri, & omnem auctoritatem habentes..... perſonas vero, quæ dirigentur a Paterna veſtra Beatitudine, decernent ex veſtra quidem Eccleſia ſancta (ſi utique videbitur ei) tres perſonæ ſufficient, quod ſi & plures, quantæ ei placuerint dirigat, De Concilio vero uſque ad duodecim Metropolitas & Epiſcopos: de quatuor vero monaſteriis Byzacenis ab unoquoque monaſterio Monachos quatuor. Nam ſi reciperet tempus ut dictum eſt, & perfectam congregationem po-*

*potuiſſemus facere; ſed quoniam tempus non admittit, Deus autem noſter proprio conſilio protulit, quod nos diſſerebamus in hoc tempore per omnia volumus veſtram Paternam Beatitudinem minime effici impedimentum voluntati Dei, ſed eos dirigere*. Idem probant litteræ Imperatoris ad Georgium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, & omnes Synodi actiones, in quibus ſemper dicitur Synodus congregata *ſecundum Imperialem ſanctionem*.

Prætermittimus variorum auctorum Eccleſiaſticorum teſtimonia, quæ in uniuſcujuſque operibus indigitare ſat erit, ſcilicet Venerabilis Bedæ in libello de temporibus c.22. Pauli Diaconi lib. 19. Freculphi Lexovienſis Epiſcopi Chronici t. 1. c. 47. Hincmari Rhemenſis Archiepiſcopi Opuſc. 33. c. 20. aliorumque plurium, qui & numero ſunt & auctoritate graviſſimi.

Dem. 2. pars. Et quidem ex actis Synodi. Actione enim I. hæc habentur: *Conveniente ſacra & univerſali Synodo, ideſt Theodoro & Georgio venerabilibus Presbyteris, & Joanne venerabili Diacono vicem agentibus Agathonis ſanctiſſimi, & beatiſſimi Archiepiſcopi antiquæ Romæ..... Georgio venerabili ac ſanctiſſimo Archiepiſcopo magnæ Conſtantinopolis, Petro Presbytero & Monacho Apocriſiario Theodori venerabilis Vicarii ſedis Hieroſolymorum, Joanne Epiſcopo Portuenſi, Abundatio Epiſcopo civitatis Paternenſi &c.*

Idem comprobat actio XVIII. in qua ante omnes ſubſcribunt *Theodorus & Georgius* Presbyteri S. Romanæ Eccleſiæ, *& Joannes Diaconus locum gerentes ter Beatiſſimi & univerſalis Papæ urbis Romæ*. Eadem habet Diurnus Romanæ Eccleſiæ in fidei profeſſione, eadem Græci auctores, videlicet Zonaras, Cedrenus, aliique plures, qui Legatos Agathonis primo loco nominarunt: Ergo &c.

*Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1. Teſte Venerabili Beda, & Lamberto Scaſnaburgenſi, atque Hincmaro, & Mariano Scoto Synodo ſextæ Georgius Conſtantinopolitanus, & Macarius Antiochenus præfuerunt: Ergo &c.

Reſp. Auctores iſtos deceptos fuiſſe. Majorem enim fidem merentur acta Concilii ceteris omnibus.

Ob. 2. Synodus ſexta dicitur habita *Præſidente piiſſimo & Chriſto dilectiſſimo Magno Imperatore Conſtantino*, ut legere eſt in undecim primis actionibus.

Reſp. Vid. quæ diximus in Reſp. ad Ob. 2. c. 10.

# CAPUT XIV.

## *De Septima Generali Synodo Nicæna ſecunda.*

ANno Domini ſeptingenteſimo octuageſimo quarto Indictione ſeptima ad Adrianum I. Pontificem fungentem tertio decimo Epiſcopatus ſui anno Conſtantinus & Irene Mater miſerunt Conſtantinum Leontinenſem in Sicilia & Dorotheum in Campània Epiſcopum Neapolitanum fidem Orthodoxam profeſſuros, rogaturoſque Romanam communionem, Eccleſiarum pacem, Generalem in Regia urbe Synodum, cui & ipſe Pontifex dignaretur præſidere. Quodnam hiſce reſponſum Pontifex dederit, incertum. Periere enim Apoſtolica reſcripta. Anno tamen ſequenti novam legationem miſit Conſtantinus Auguſtus, in qua quid poſtulatum ſit, habemus apud Theophanem. Ut ut ſit, Nicena II. Synodus inchoata eſt anno Chriſti ſeptingenteſimo octuageſimo ſeptimo Kalendas Octobris indictione undecima, circa quam hæc ſolent inquiri.

### Conclusio I.

*Adriano Summo Pontifice conſentiente convocata eſt Nicæna 2. Synodus a Conſtantino & Irene ejus matre Auguſtis.*

Dem. Ex actis Synodi, Anaſtaſio Bibliothecario, ex Adriani Epiſtola & Paulo Diacono. Et quod ſpectat acta Synodi: Act. 1. ſic habemus: *Conveniente ſancta & univerſali Synodo, quæ per Dei gratiam, & piam Sanctionem Imperatorum, congregata eſt in Nicæenſium Metropoli.* Eadem habentur act. quarta & ſeptima, & hæc clarius eruuntur ex Epiſtola Adriani ad Taraſium, in qua hæc ſunt notanda: *Porro poſt confeſſionem fidei veſtræ*, inquit Summus Pontifex, *notum factum eſt nobis, quod veſtra venerabilis Sanctitas poſtulaverit ab Orthodoxis ac Zelatoribus & propugnatoribus veritatis, piiſſimis videlicet Imperatoribus noſtris, quo fieret univerſalis Synodus, & repromiſerint coram omni populo Chriſtiano ſupplicationi veſtræ pie annuentes, ſynodumque in Regia urbe fieri definientes. Nos autem, quemadmodum, & ipſa Diva continebatur, juſſione, dilectos nobis & approbatos atque prudentes Sacerdotes pro ſtatu ſacratum Imaginum, ut priſco in illis partibus ordine conſtituantur, cum magno deſiderio & maximo gaudio deſtinavimus.* Quæ ſane Adriani conſenſum ſatis exprimunt.

Ul-

Ulterius confirmantur iſta Anaſtaſii Bibliothecarii in vita Adriani ampliſſimo teſtimonio. Habet enim: *Hic elegantiſſimus Præſul, atque fortiſſimus rectæ fidei prædicator direxit miſſos, videlicet Petrum Presbyterum Romanæ Eccleſiæ, & Petrum Religioſum Abbatem venerabilis Monaſterii S. Sabæ ad Imperatores Conſtantinum & Irenem adhortans eos atque prædicans per ſuas Apoſtolicas litteras pro ſacris imaginibus erigendis, qualiter per teſtimonia Scripturarum, ſeu Traditionem venerabilium Fratrum; a priſcis temporibus uſque hactenus Orthodoxi venerantur in Sancta Catholica, & Apoſtolica Romana Eccleſia, quod præfati Imperatores eamdem venerantes, atque amplectentes Apoſtolicam Epiſtolam, Concilium in Nicæa congregari fecerint trecentorum quinquaginta Epiſcoporum*. Similia habemus apud Paulum Diaconum, & apud Byzantinæ hiſtoriæ Scriptores, aliosque, quos hic referre ſuperfluum in re tam clara & aperta exiſtimamus.

## CONCLUSIO II.

*Synodo ſeptimæ præfuit Adrianus per Legatos ſuos.*

Dem. Et quidem ex actis Synodi. Sic enim legitur act. 1. *Conveniente ſancta & univerſali Synodo, ideſt Petro Archipresbytero Romanæ Eccleſiæ, ſcilicet Apoſtoli Petri, & Petro Presbytero Monacho & Abbate Monaſterii S. Sabæ retinentibus locum Apoſtolicæ Sedis, Archiepiſcopi Senioris Romæ Adriani, Taraſio Archiepiſcopo Conſtantinopoleos, Joanne & Thoma Presbyteris, & Vicariis Apoſtolicarum ſedium Orientalis Diœceſeos*. Eadem leguntur actionibus v. VII. & in definitione Synodica, quæ incipit: *Petrus Indignus Presbyter & Præſes S. Patris noſtri Sabæ, & vices agens Adriani Papæ veteris Romæ &c.* Sed a pluribus referendis ſuperſedemus.

*Solvuntur Objectiones.*

Ob. Photius in lib. de ſeptem Synodis quinque hujus Concilii Præſides ſtatuit, & 1. loco nominat Taraſium. In libello pariter ſynodico num. 787. plures ſtatuuntur Præſides, & primo loco Taraſius ſimiliter nominatur: Ergo &c.

Reſp. Photium ex actis Synodi refelli, ſicuti & auctorem libelli Synodici, qui ipſum ſequutus eſt. Hujus auctoris errorem hominis eſſe Schiſmatici, cum & ipſe aliarum OEcumenicarum Synodorum Præſidem faciat Conſtantinopolitanum Epiſcopum. Atque hæc quidem Photii teſtimonio re-

ponenda, niſi dicere potius velimus, verbum *Præſidere* latiori ſenſu ab ipſo fuiſſe uſurpatum.

## CAPUT XV.

*De octavo Generali Concilio Conſtantinopolitano quarto.*

ANno Chriſti 869. Conſtantinopoli celebrata eſt octava Œcumenica Synodus Baſilio imperante & Adriano II. Summo Pontifice ad Photianum Schiſma delendum, & Ignatii reſtitutionem in Sede Patriarchali Conſtantinopolitana. Qui plura circa hujus Cancilii hiſtoriam deſiderat, Chriſtianum Lupum præſertim adeat tom. 3. Interim, ut fieri aſſolet de hujus, Concilii convocatione inquiramus.

CONCLUSIO I.

*Baſilius Auguſtus conſentiente & jubente Adriano II. Summo Pontifice octavam univerſalem Synodum convocavit,*

Dem. Actioni I. hujus Synodi inſerta eſt Epiſtola Adriani II. in qua hæc præ cæteris leguntur ad Baſilium ſcripta: *Volumus autem per veſtræ pietatis induſtriam Conſtantinopoli numeroſum celebrari Concilium, cui noſtri quoque Legati Præſidentes delictorum, hominumque diſcrimine perſpecto, ſtatim cuncta impii conciliabuli exemplaria ab iis, qui illa retinent, ablata ignibus concremanda tradant.* Idem probant verba Anaſtaſii Bibliothecarii in præfat. VIII. Synodi ad Adrianum II. in quibus: *Miſiſque*, inquit, *cum auctoritate Apoſtolica Vicariis, & Epiſtolis Decretalibus juſſiſti fieri Conſtantinopoli Synodum.* Præterea de Baſilio ſic loquitur act. I. ſancta Synodus: *Qui univerſalem Synodum congregant, quæ viſa ſunt Spiritui Sancto pie perget.* Idem etiam teſtatur S. Ignatius Martyr in ſua ad Synodum acclamatione act. VIII. hiſce verbis: *Quoniam vero univerſali paci conſulens piiſſimus, & prudentiſſimus Imperator noſter multam habuit curam & ſollicitudinem colligendi ſanctiſſimos Vicarios ex cunctis aliis Patriarchalibus ſedibus, & Synodum univerſalem celebrandi ad exhibitionem & ſatisfactionem perfectam, veritate ſibi cooperante, omnipotentis providentia in finem proſperum adduxit conſilium ſuum.* Quæ omnia adeo plene ex actionibus Concilii VI. VIII. & X. confirmantur, ut nullus ſuperſit amplius dubitationi locus.

CON-

### Conclusio II.

*Octavæ Generali Synodo præfuit per Legatos ſuos Pontifex Adrianus II.*

Dem. Actis Concilii. Et quidem act. 1. hæc leguntur: *Convenientibus Donato & Stephano Epiſcopis, & Marino Diacono locum tenentibus Adriani Archiepiſcopi Senioris Romæ, & Ignatio Archiepiſcopo Conſtantinopoleos novæ Romæ, & Vicariis Orientis Thoma Metropolita Tyrii* . . . & infra: *Sanctiſſimi Vicarii Senioris Romæ dixerunt: Ergo & omnem dubitationem omittamus e cordibus veſtris & verbis, & operibus certificemus vos, quia ſecundum ea quæ mandata, & juſſa ſunt nobis, diſponemus. Ergo habemus Epiſtolas ad Imperatorem & Patriarcham, & ſi jubetis, legantur.* Et Act. viii. *Donato Epiſcopo Hoſtienſi & Stephano Epiſcopo Nepeſino & Marino Diacono Sanctæ Eccleſiæ Romanæ locum tenentibus Adriani Papæ.* Et act. ix. *Congregatis Papæ Adriani Legatis, & Patriarchà Ignatio* &c. Eadem habet Anaſtaſius Bibliothecarius in vita Adriani II. qui referens Baſilii ad Legatos alloquutionem hæc ſcribit: *Nos* (Baſilium intellige) *cum omnibus Orientalibus Patriarchis, Metropolitis, atque Epiſcopis cenſuram Sanctæ matris noſtræ Romanæ Eccleſiæ per biennium præſtolantes propter Deum petimus, ut Dei negotium viriliter peragatur, & tandem aliquando auctoritate veſtri ſacri collegii tam peſtifera Photianæ tergiverſationis ſcandala propellantur, quatenus unitas & tranquillitas optatæ diutius juxta Decreta Sanctiſſimi Papæ Nicolai reſtaurentur.* Quibus ſanctæ Sedis Legati reſponderunt: *Et nos ideo venimus, ideo miſsi ſumus, ſed neminem Orientalium veſtrorum unquam in noſtram Synodum ſuſcipere poſſumus, niſi oblato libello, cujus formam de ſcrinio Sanctæ Sedis Apoſtolicæ ſumpſimus, nobis fuerit ſatisfactum.* Ex quibus omnibus ſatis Adriani II. in Conſtantinopolitana IV. Synodo per Legatos ſuos oſtenditur præſidentia.

*Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1. Actione viii. & x. hujus Concilii legitur, Imperatorem Synodo præſediſſe: Ergo &c.

Reſp. Hæc nos nihil movere. Imperator enim Synodo præfuiſſe dicitur non jure & auctoritate, ſed ſolo ſedis honore, & Concilii protectore. Sed hæc jam pluries contrivimus & eliminavimus.

Ob. 2. Imperatorem rogaverunt Legati, ut ante omnes ſubſcriberent: Ergo &c.

Reſp. Hoc non eſſe auctoritatis & præſidentiæ argumentum

tum in Imperatore, ſed in Legatis urbanitatis & reverentiæ ſignum, quod ex verbis actionis x. luculenter evincitur, quæ ſic ſe habet: *Sanctiſsimi Vicarii Senioris Romæ dixerunt: Quoniam providentia Dei in proſperum finem omnia Eccleſiæ divenerunt negotia, oportet nos & in ſcriptis manu propria hæc roborare ſecundum Synodicam conſequentiam. Unde volumus* ( nota verba ) *ut ſubſcribant primitus Chriſti amatores Imperatores, & deinde ſecundum ordinem Sancta hæc Synodus. Baſilius Piiſsimus & Chriſti amicus Imperator dixit. Tranquilliſsimum Imperium noſtrum ſequutum præcedentes, & juſtiſsimo Imperatores, Conſtantinum videlicet Magnum, & Theodoſium & Marcianum, ac cæteros vult ſubſcribere poſt ſubſcriptionem omnium ſanctiſsimorum Vicariorum. Edocti enim ſumus a Chriſto vero Deo noſtro habere exaltantem humilitatem.*

## CAPUT XVI.

### *De nona Generali Synodo Lateranenſi prima, & decima Lateranenſi ſecunda.*

INveſtiturarum controverſiam Calixtum II. inter & Henricum IV. in Germania Imperatorem obortam Concilio Lateranenſi primo occaſionem dediſſe, ſatis eſt omnium Hiſtoricorum conſenſione firmatum. Contra inveſtituras jam a Gregorii VII. ætate acriter certatum eſt. Henricum III. Victor III. Gregorii ſucceſſor hac de cauſa excommunicavit. Eadem præſtiterunt Urbanus II. Paſchalis II. & Gelaſius, qui prædeceſſorum ſuorum contra inveſtituras ſtatuta firmavit. Quomodo Calixtus II. & Henricus IV. inter ſe pro ſchiſmate tollendo mutuis legationibus egerint, apertiſſima indicant hiſtoriarum veterum monumenta, de quibus habes nonnulla apud Natalem Alexandrum ſæculo XI. p. 231. & ſeq. fuſius collecta. Illud tantum hic obiter notandum, quod indicto per Imperatorem apud Wormatiam omnium Primatum generali conventu, incredibile eſt quam prudenti, quam ſollicito cunctorum Procerum conſilio pro pace & concordia per unam & amplius hebdomadam certatum ſit. Tandem D. O. M. ita cor Regis inflexit, ut Imperator Eccleſiaſticas inveſtituras, cæteraque ſpiritualia negotia, quæ tanto tempore Teutonici adminiſtraverant, abnegaret, & in manus Epiſcopi Oſtienſis, ac per ipſum Chriſto ejuſque Eccleſiæ in perpetuum dimitteret. Inde Nun-

Nunciis de pace Sacerdotium inter & Imperium inita acceptis Henricum oravit Pontifex, ut quantocius ſuos oratores ad indictum mitteret Concilium. Unde ita legimus Calixtum Imperatori ſcribentem apud Willelmum Malmesburienſem, ex quo iſta excerpſimus. *De iis autem quæ viva voce referenda prædictis fidelibus tuis Nunciis commiſiſti per eoſdem quid nobis & noſtris videatur fratribus, reſpondemus. Legatos itaque noſtros, qui apud vos ſunt, benevolentiæ veſtræ attentius commendantes rogamus, ut quia Concilium indictum a nobis accelerat, cito eos ad nos, Domino largiente, dimittas. Tuos vero Legatos ita inſtructos dirigas, ut juxta promiſſum tuum regalia in integrum Eccleſiæ Romanæ reſtituant.* Hæc omnia appoſite retulimus, ut ex ipſis etiam inde conſtaret, Œcumenicum Lateranenſe primum Concilium a Calixto II. fuiſſe indictum, cui & ipſe Pontifex in Lateranenſi Baſilica præfuit.

De celebrationis anno poſt Gabrielis Coſſartii obſervationes contra Baronium & Binium nulla amplius extat controverſia. Quare anno 1123. habita eſt Lateranenſis Synodus, cui tercentos & amplius Epiſcopos adfuiſſe teſtatur Sugerius Abbas, & nongentos nonaginta ſeptem partim Epiſcopos, partim Abbates ſcribit Pandulfus in vita Calixti.

Hac in Synodo de Chriſtianæ & Eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtauratione, & de ſacris expeditionibus in Hiſpaniam & Hieroſolymam promovendis PP. etiam deliberaſſe ſcimus, unde vigintiduo Canones confecti ſunt, de quibus vide Gaſparum Juenin & clariſſimum Baluzium ad calcem cap. 21. lib. 8. Cumque in hujus Synodi hiſtoria nihil ſit, quod preſſam exigat controverſiæ limam, hinc ad Lateranenſe ſecundum Concilium aliqua ſimiliter notaturi progredimur.

Secundum Lateranenſe Concilium ab Innocentio II. anno 1138. indictum fuit, & in Baſilica Lateranenſi anno ſequenti eodem Pontifice Præſide celebratum. Uſpergenſi Abbate & Ottone Friſingenſi teſtibus mille circiter PP. adfuere. Hujus autem Synodi celebrandæ tres fuere potiſſimum cauſæ.

I. Fuit ob ſedandum Petri Leonis ſchiſma. Petrus enim Leonis anno 1130. Innocentio II. canonice electo a quibuſdam factioſis Pſeudo-Pontifex ſub Anacleti II. nomine inauguratus eſt, qui Innocentium Roma armis expulit. Tandem hoc Pſeudo Pontifice e vivis ſublato, & a ſchismaticis in ejus locum Victore ſuffecto celebratum eſt Concilium

cilium Lateranenſe II. ad confirmandam obedientiam, quam depoſitis Pontificalibus veſtibus Victor Innocentio jam antea præſtiterat.

II. Cauſa in Hæreſibus Petrobuſianorum & Arnaldiſtarum eſt refundenda. Petrus enim de Bruis & Arnaldus de Brixia innumera in Eccleſiam mala tunc temporis invexerant, quæ in indicem retulit Petrus Cluniacenſis, de quo vid. Natalem Alex. ſæc. XI. pag. 169. Otto Friſingenſis lib. II. de Reb. Geſt. Friderici Imp. c. 20. & Guntherus Ligurinus edit. Hannoviæ Juſti Reuberi pag. 322. necnon S. Bernardus Ep. 195.

III. Denique cauſa fuit Eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtauratio. Collapſa enim erat diuturno ſchiſmate diſciplina; antiqui ſiquidem Canones ſpernebantur, maxima erat Clericorum incontinentia, matrimonia inibant inter ſe conſanguinei, Monachorum & Sanctimonialium diſſoluti erant mores, & Eccleſiæ præſules ſimoniaca labe inficiebantur. Qua de re viginti & octo Canones ad rei opportunitatem hoc in Concilio conditi ſunt, de quibus vide Gaſparum Juenin, & Natalem Alexandrum citato loc.

## CAPUT XVII.

### *De Lateranenſi III. IV. & Lugdunenſi I. Conciliis Generalibus.*

FRiderico I. Imperatore, & Alexandro III. in Petri Cathedra ſedente indicta eſt Lateranenſis III. Synodus ab eodem Romano Pontifice, ut convocationis litteras apertiſſime oſtendunt, in quibus ad Epiſcopos Thuſciæ cæteroſque orbis Chriſtiani Præſules ita ſcribit Pontifex. *Quia in Eccleſia Dei correctione quamplurima videmus indigere, tam ad emendanda quæ digna emendatione videntur, quam ad promulganda, quæ ſaluti fidelium viſa fuerint expedire, de diverſis partibus perſonas Eccleſiaſticas decrevimus evocandas, quarum præſentia & conſilio, quæ fuerint ſalubria ſtatuantur, & quod bonum ſecundum conſuetudinem antiquorum PP. provideatur & firmetur a multis. Quod ſi particulariter fieret, non facile poſſet plenum robur habere. Quocirca per Apoſtolica vobis ſcripta mandamus, qualiter huic noſtræ diſpoſitioni plenis deſideriis cooperari curetis, & prima Dominica advenientis quadrageſimæ, ad urbem Romam ducente Domino veniatis, & cooperante S. Spiritus gratia, tum in cor-*

*corrigendis enormitatibus, tam in ſtatuendis, quæ Deo grata fuerint, communi ſtudio, quod fuerit agendum, agatur, & uno humero ſublevemus Arcam Domini, atque uno ore honorificemus Deum & Patrem Domini noſtri Jeſu Chriſti.* Eadem confirmat Otto Friſingenſis lib. 7. Chronicor. c. ult. ſequentibus verbis. *Alexander univerſalis totius Eccleſiæ Pater canonice confirmatus eſt, post ſecundo confirmationis ſuæ anno maximum Romæ Concilium congregavit.*

Celebratum eſt autem Concilium Lateranenſe III. anno Chr. 1179. quam Epocham confirmant Matthæus Paris, Willelmus Tyrius, Rogerius de Hoveden in Annalibus Anglicanis, Helmoldus in Chronico Sclavorum lib. 2. c. 28. & Albertus Stadenſis in Chronico, quidquid in contrarium ſcripſerit Abbas Uſpergenſis. Ipſi præfuit Romanus Pontifex tercentos inter Epiſcopos teſte Willelmo Tyrio lib. 21. de bello ſac. c. 25.

Concilii autem hujus convocandi prima ratio fuit Schiſmaticorum, ſecunda Albigenſium & Waldenſium damnatio: tertia Eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtitutio. Quorum omnium hic per compendium hiſtorialem exhibemus, & qui plura voluerit, Natalem adeat Alexandrum ſæc. XI.

Poſt Adriani itaque mortem an. 1159. in Petri Sedem Alexandro III. legitime ſuffecto Pontificatus inſignia ſumere auſus eſt Octavianus, qui a tribus Cardinalibus tantum deſignatus fuerat ſub Victoris IV. nomine. Hoc mortuo ſucceſſive electi ſunt pſeudo Pontifices & Guido Cremenſis, & Joannes Strumenſis Abbas, quo mortuo Fridericus, qui in Schiſmaticorum partes iverat, ſupplex a Pontifice Alexandro veniam petiit, quam cum concederet Pontifex, totius orbis Epiſcopos ad univerſale Concilium Lateranenſe tertium convocavit, ut de ſchiſmate vitando in poſterum provideret.

Quod vero ad ſecundam attinet cauſam dicimus, Waldenses a Petro Waldo nomen ſectæ & hæreſis ſumpſiſſe, qui morte cujuſdam Lugdunenſis civis conſpecta ingentem pecuniæ vim in pauperes erogavit, quæ beneficentia maximam pauperum turbam ipſi conſociavit, quos voluntariam paupertatem juxta Chriſti & Apoſtolorum exempla ſectari docuit. Horum autem fanaticorum, quorum in Picardia, Bohemia, Bulgaria præſertim ingens fuit numerus, errores ad tria capita reducebantur. Blaſphemabant enim contra Eccleſiam Romana, quam ſub Sylveſtro defeciſſe autumabant, de ſacramentis male ſentiebant, & Sanctorum deni-

que

que invocationem, eorum imagines, ſacros altarium & pene omnes Eccleſiæ ritus deridebant.

Eccleſiaſtica vero diſciplina, quod tertium reſpicit convocationis Concilii caput, penitus erat illis labefactata temporibus. Simoniaca enim labes, Eccleſiaſticorum avaritia & faſtus, laicorum uſura, perverſus judiciorum eccleſiaſticorum ordo, & in clericis multimoda graſſabatur ſpiritalis polygamia. Quibus omnibus malis opportunum attulit remedium Lateranenſis tertia Synodus viginti ſeptem firmando Canones doctrina, & auctoritate ſanctiſſimos, de quibus vide jam ſupra citatos auctores.

Ut vero ad quartum Lateranenſe Concilium tranſitum modo faciamus ab Innocentio III. anno 1213. convocatum fuiſſe nullus eſt qui dubitet, ut ex convocationis diplomate cognoſcimus, quod incipit: *Vineam Domini Sabaoth:* in quo inter cetera hæc habet Pontifex. *Inter omnia*, inquit, *deſiderabilia cordis noſtri duo in hoc ſæculo principaliter affectamus, ut ad recuperationem videlicet terræ ſanctæ, ac reformationem univerſalis Eccleſiæ valeamus intendere cum effectu . . . . Quapropter habito ſuper his cum fratribus noſtris & aliis viris prudentibus frequenti ac diligenti tractatu hoc eandem ad exequendum prædicta de ipſorum conſilio providimus faciendum, ut quia hæc univerſorum fidelium communem ſtatum reſpiciunt, Generale Concilium juxta priſcam SS. PP. conſuetudinem convocemus propter lucra ſolummodo animarum opportuno tempore celebrandum, in quo ad extirpanda vitia & plantandas virtutes, corrigendos exceſſus & reformandos mores, eliminandas hæreſes ad roborandam fidem, ſopiendas diſcordias & ſtabiliendam pacem, comprimendas oppreſſiones, & libertatem fovendam inducendo Principes & populos chriſtianos ad ſuccurſum & ſubſidium terræ ſanctæ tam a clericis quam a laicis impendendum, cum cæteris, quæ longum eſſet per ſingula numerare, provide ſtatuantur inviolabiliter obſervanda*. Ex quibus apparet triplicem etiam fuiſſe hujus Synodi convocandæ rationem, videlicet expeditionem Terræ ſanctæ, multarum hæreſum damnationem, & collapſæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ reſtaurationem.

Celebrata eſt Synodus iſta Romæ anno Vulgaris Æræ 1215. menſe Novembris, cui & ipſe præfuit Innocentius. Inter varias hæreſes damnata eſt Albigenſium ſecta, de qua in tertio Lateranenſi Generali Concilio ſatis diximus. Proſcripta etiam eſt inſana Almarici hæreſis, qui auſus eſt coſtan-

ſtanter aſſeverare, quod quilibet chriſtianus teneretur credere ſe eſſe membrum Chriſti, nec aliquem poſſe ſalvari, qui hoc non crederet. Damnatus quoque eſt error Joachimi Abbatis Fiorenſis Monaſterii in Calabria, unde oriundus erat. Ex male intellecta Petri Lombardi doctrina ipſe docuit, Trinitatis Perſonas unum eſſe inter ſe non unitate eſſentiæ, ſed unitate concordiæ affectiva & morali, idquæ probabat ex verbis Chriſti Jo. c. 17. dicentis. *Rogo, pater, ut omnes unum ſint, ſicut tu Pater in me & ego in te*, inferendo, quod quemadmodum fideles unum non erant unitate eſſentiæ, ſed collectione, ita divinæ perſonæ unum pariter erant, quemadmodum unum erant fideles inter ſe. Unde hoc in Concilio Canones 70. editi ſunt, non 60. ut in Matthæi Pariſii operibus legitur, forſitan per errorem typographi. At de his citati ſuperius legantur auctores.

Ut denique ad I. Lugdunenſe concilium deveniamus, ab Innocentio IV. illud convocatum fuiſſe Lugduni in Galliis; & habitum an. 1245. cum Friderici II. Imperatoris ſtructas ſibi fugeret inſidias, convocationis litteræ pleniſſime oſtendunt, in quibus inter alia hæc habentur: *Hinc eſt, quod nos, ut ipſa Eccleſia per ſalubre fidelium conſilium, & auxilium fructuoſum ſtatus debiti poſsit habere decorem, & deplorando terræ ſanctæ diſcrimini, & afflicto Romano Imperio propere valeat ſubveniri, ac inveniri remedium contra Tartaros, & alios contemptores fidei, ac perſecutores populi chriſtiani: nec non pro negotio, quod inter Eccleſiam, & Principem vertitur, Reges terræ, Prælatos Eccleſiarum, ac alios mundi Principes duximus advocandos*. Ex quibus ſane verbis plane dignoſcitur, varias fuiſſe hujus Concilii convocandi rationes. Et 1. quidem ob Tartarorum in Chriſtianorum fines irruptionem. 2. ad Eccleſiæ Græcæ ſchiſma ſedandum. 3. ad hæreſes naſcentes comprimendas. 4. ad terræ ſanctæ defenſionem. 5. denique ob Friderici Imperatoris flagitia. Atque hæc omnia Synodo Lugdunenſi occaſionem dediſſe conſtat etiam ex Sterone in Annalibus apud Henricum Caniſium, ex Alberto Stadenſi, & Matthæo Pariſio in Hiſtoria Anglicana.

Synodo ipſe præfuit Innocentius, qui peractis ſolemnibus ita eſt Concilii PP. alloquutus: *O vos omnes qui tranſitis per viam attendite & videte ſi eſt dolor ſicut dolor meus*. Inde ſeptemdecim a Concilio confecti ſunt Canones, quorum duodecim priores in juris Canonici corpus relati ſunt, de quibus citata Theologorum opera conſulenda.

CA-

## CAPUT XVIII.

*De Lugdunenſi II. Viennenſi, Conſtantienſi, Baſileenſi Conciliis.*

VIx Gregorius X. Pontifex maximus clavum Eccleſiæ tenuit, de Græcis cum Latinis conciliandis agere cœpit. Hinc legationem ad Michaelem Palæologum Conſtantinopolim miſit, & ad Hieroſolymitanum Patriarcham cæteroſque Orientales Epiſcopos datis litteris Concilium indixit Generale Lugduni denuo celebrandum infra biennium. Datæ autem ſunt convocationis litteræ anno 1272. & quoniam in ipſis rationes convocandæ Synodi a Pontifice exponuntur, hinc aliquid claritatis & hiſtoriæ gratià ex ipſis dare decrevimus, in quibus ſequentia ſunt verba notanda. *Lugendum ſiquidem occurrit*, inquit Pontifex, *quod per ſubtractionem prædictam a Sedis ejuſdem unitate ſubtractos, & in devio poſitos grandis culpæ mors afficit, quod ſanctæ univerſalis Eccleſiæ membra tam nobilia, eadem gravis admodum & diſpendioſa ſubtractio tanto tempore mutilavit. Lugendum iterum ac amare dolendum, quod ſicut in partibus traſmarinis non tantum audivimus, ſed & oculis noſtris vidimus, & manus noſtræ contrectaverunt, deteſtabilius ſolito blaſphematur in gentibus nomen Chriſti, cum jam non tam verbis, quam rebus ipſis & factis, Chriſtianis inſultetur ab infidelibus, & dicatur:* Ubi eſt Deus eorum? *Dum funiculus hæreditatis Domini eadem terra ſancta per nefandiſſimos Saracenos ſic audacter invaditur . . . . . Lugendum & amplius pariter, & horrendum, quod cum ille ſummus agricola ſator bonorum omnium & plantator, agrum mundi hujus diligenter excolens, in eo ſeminaverit ſemen bonum, inimicus homo tanta in ipſo invenitur ſuperſeminaſſe vitiorum zizania & errorum, ut ea deflere magis liceat quam narrare . . . . . Et quia ſalubre in his adhiberi remedium intereſt generaliter omnium: Nos cum fratribus noſtris, aliiſque viris prudentibus, exacto & frequenti tractatu præhabito, prout tantæ neceſſitatis inſtantia exigebat, de ipſorum conſilio Generale Concilium, ſicut imitatione digna SS. PP. conſuetudo laudabilis, longeque obſervationis exemplum nos inſtruit, opportuno tempore decrevimus congregandum &c.* Ex quibus patet, has fuiſſe Synodi congregandæ rationes; 1. ad Chriſtianos in Syria juvandos: 2. ad Græcos ad communionem Catholicam re-

vo-

vocandos, 3. ad Eccleſiaſticam diſciplinam reformandam, 4. ad ſollicitæ electioni Romani Pontificis conſulendum, quod licet ex convocationis diplomate non conſtet, conſtat tamen ex Canone hac in Synodo ſancito, quæ inſcribitur: *De electione & electi poteſtate*. Huic Synodo, cui & ipſe præfuit, Conſtantinopolitano & Antiocheno Patriarchis exceptis, quingenti adſuerunt Epiſcopi. Interfuerunt etiam Jacobus Aragoniæ Rex, Michaelis Palæologi, Regum Franciæ, Germaniæ, Angliæ, Siciliæ & Tartariæ Oratores. Ad hoc Concilium vocatus fuerat S. Thomas de Aquino, & D. Bonaventura; ſed prior feſſus itinere in Foſſæ Novæ Monaſterio migravit ad Dominum, poſterior vero in ipſo Concilio Cardinalis & Epiſcopus Albanenſis creatus eſt. Canones autem 31. ſanciti ſunt in Lugdunenſi Concilio, de quibus vide in ſæc. 13. Natal Alex.

A Clemente V. in Petri Cathedra ſedente convocatum eſt Viennenſe Concilium anno 1307. quatuor potiſſimum de cauſis: 1. ad inquirendum in ordinem Templariorum, qui ob innumera crimina publica infamia laborabant; 2. ad naſcentes hæreſes compellendas; 3. ad terræ ſanctæ ſubſidium; 4. ad reformationem Eccleſiaſticæ diſciplinæ. Quæ ex Bulla convocationis eruuntur aperte, in qua hæc ſunt præſertim notanda. *Ex his etiam*, verba ſunt Pontificis, *dum miniſterio debitæ conſiderationis noſtræ mentis præſentantur obtutibus, ignis in noſtris meditationibus exardeſcit, & ad tanta diſcrimina revelanda ſuſpirat affectus, zelus accenditur, & ſpiritus anxiatur. Ad quod cum nos ſufficere commode non poſſe ſciamus, levamus oculos noſtros ad montem, montem quidem Dei, montem uberem, montem pinguem, unde opportunum nobis provenire auxilium & humiliter petimus, & devote ſperamus. Et quia ſalubre in his adhiberi remedium intereſt generaliter omnium, nos cum eiſdem fratribus noſtris, aliiſque viris prudentibus, exacto & frequenti tractatu præhabito, prout tantæ neceſſitatis inſtantia exigebat, de ipſorum fratrum conſilio, univerſale Concilium, ſicut imitatione digna Ss. PP. conſuetudo laudabilis longævæ obſervationis exemplo nos inſtruit, a proximis Kalendis Octobris ad duos annos immediate ſequentes decrevimus congregandum, ut in eo tam circa dictum Ordinem, & perſonas ſingulares, & bona ejuſdem, & alia, quæ ſtatum tangunt fidei Catholicæ, quam circa recuperationem & ſubſidium terræ ſanctæ, ac reparationem, ordinationem, & ſtabilitatem Eccleſiarum, & eccleſiaſticarum perſonarum, & libertatem earum, illa,*

*Deo auſpice, communi conſilio inveniatur proviſio, & ejuſdem approbatione Concilii roboretur, per cujus ſalutiferam executionem virtus Altiſſimi, eliminatis erroribus, roborata fide, ad tramitem veritatis reductis errantibus, redintegrata ejuſdem fidei unitate, extirpatis vitiis, virtutibus plantatis, correctis exceſſibus, moribus reformatis, repreſſis oppreſſionibus, libertate ſolita ſtabilitate munita, recuperatis deperditis, & ejuſdem terræ ſtatu proſpero reparato, occupata reſtituat vaſtata reſtauret & reſtaurata conſervet &c.*

Verum non ad biennium tantum, ſed ad quadriennium protracta eſt Viennenſis Concilii celebratio, quare celebrari cœptum eſt anno Domini 1311. Locus Concilii fuit Vienna Allobrogum. Illi præfuit Clemens V. Adfuere Cardinales, Patriarchæ Alexandrinus, & Antiochenus latini ritus cum 114. Epiſcopis, ut notat Guilelmus Nangius, vel 300. juxta S. Antoninum, & per ſeptem menſes perduravit.

Illud ſane notandum, tres habitas fuiſſe hac in Synodo ſeſſiones. In prima Concilium alloquens Pontifex cauſas expoſuit convocationis Concilii ſumptis pro themate verbis illis Pſalmi 110. *In Concilio juſtorum & congregatione magna opera Domini exquiſita in omnes voluntates ejus*, & inde varii habiti ſunt rerum agendarum tractatus. In ſecunda ſeſſione de Ordinis Templariorum extinctione cum ageret Pontifex, Concilium illis aliis verbis eſt alloquutus: *Non reſurgent impii in judicio, neque peccatores in Concilio juſtorum*. Cetera vero, quæ agenda remanſerant, in 3. ſeſſione pridie nonas Maji peracta ſunt.

Varia hac in Synodo pro fide Catholica ſancita ſunt, & 1. damnati errores Petri Joannis Olivi ex Ordine Minorum qui eo dementiæ devenit, ut inter cetera doceret, Chriſti adhuc viventis latus a Milite perforatum, animam non eſſe formam corporis, & habitus virtutum in puerulis baptizatis non infundi.

2. Beguardi damnati ſunt, qui cum Gerardo Segarelli Parmenſi communes habuerunt errores, de quibus vide Natal. Alexandrum in ſynopſi ſæc. XIII.

Conſtantienſe Concilium quinto idus Decembris an. 1413. celebrandum anno ſequenti indixit Joannes XXIII. & ad ſchiſma tollendum, & ad hæreſes comprimendas, & diſciplinæ reformationem. Huic Synodo præfuit primis ſeſſionibus idem Joannes XXIII. Poſt ejus fugam Joannem Epiſcopum Oſtienſem Præſidem habuit Concilium, & ultimis quatuor ſeſſionibus Martinum V. Pontificem in eodem Concilio

cilio creatum, qui & Synodum confirmavit. Quadraginta quinque ſeſſionibus Synodus iſta abſoluta eſt, & quatuor annis & ſex menſibus perduravit. Concilium iſtud unum ex illis eſt, quæ partim approbata, partim reprobata dicuntur, ut ſupra jam notaſſe ſcimus. Siquidem relate ad primas ſeſſiones reprobatum eſt in Concilio Florentino & Lateranenſi ultimo; approbatum tamen eſt relate ad ultimas ſeſſiones & ea omnia, que approbavit Martinus V. Ipſe enim diſerte dixit ſe confirmare tantum decreta de fide, damnationem videlicet Wiclefi & Joannis Hus intelligens.

Ut autem aliquid de Wiclefo dicamus & Joanne Hus, illud breviter notandum, in Anglia Wiclefum ortum habuiſſe, Lincolnienſis Diœceſis Rectorem fuiſſe ingenii vehementis hominem, ſuperbum, & ambitioſum. Cum iſte Pontificio Decreto a Collegii Cantuarienſis præfectura, quam præter jus invaſerat, amoveretur, ſtatim erga Romanum Pontificem odio cœpit inardeſcere, atque ſociis inde accitis hæreſum portenta diſſeminare. Contra Eccleſiam, ejuſque Sacramenta per ſummum nefas adeo blaſphemavit, ut hujus Peſtis errores octingentos numeraverit Thomas Valdenſis. Apud ſuos tanto habitus eſt in honore, ut nonnulli ex tam impia caterva effutierint, fidem potius adhibendam eorum magiſtro, quam Sanctis Auguſtino, Hieronymo, Ambroſio, & Gregorio. Obiit tandem Wiclefus Lutheworthii in Diœceſi Lincolnienſi die S. Sylveſtro Pontifici ſacra, biduum ante correptus paralyſi, cum & Sylveſtri & Thomæ Cantuarienſis glorioſum nomen ſatyrica oratione proſcindere decreviſſet anno 1384.

Huſſiticos errores excepit Joannes Hus Presbyter & in Academia Pragenſi Magiſter artium, dein Rector, obſcuro loco natus, ex Villa Hus, quod *anſerem* ſignificat, cognomentum mutuatus. Wiclefi autem errores, non ore tantum, ſed & calamo impia illius hæreſiarchæ dogmata propagavit Huſſus, aliquot ejus libris in Bohemicam linguam translatis, quos magni muneris loco ad Laicos potentiores mittebat. Ab Alexandro V. & a Sacra Pariſienſi facultate damnatus, in Conſtantienſi Concilio cauſam ſuam dicere coactus eſt; cum in hæreſi autem pertinax fuerit deprehenſus, igni traditus eſt. Qui plura voluerit, legat Martini V. Bullam.

Baſileenſe Concilium a Martino V. indictum fuit, in quo & Julianum Cardinalem Dicconum S. Angeli a Latere Legatum & Præſidem ampliſſima facultate creavit. Mortuo

inde Martino V. ejus ſucceſſor Eugenius IV. Juliani Cardinalis Legationem confirmavit hiſce verbis : *Placet nobis & volumus, tibique mandamus, quatenus expedito negotio Bohemorum tuos greſſus dirigas ad prædictam civitatem Baſileenſem, & ibi ( prout opus videris eſſe ) juxta tibi injuncta & ordinata in Concilio Conſtantienſi, optime provideas, prout in tua prudentia & circumſpectione plane confidimus.* Ex quibus conſtat, Baſileenſe Concilium initio quidem fuiſſe legitimum, nam & Legatus aderat Romani Pontificis, ſed cum inde depoſuerit Eugenium, & Felicem elegerit, non fuit Eccleſiæ Concilium, ſed conciliabulum ſchiſmaticum & ſeditioſum, prout appellatum eſt in Concilio Lateranenſi ultimo ſeſſ. 11. eo vel magis quod eo tempore, quo Concilium in Pontificem ſententiam depoſitionis auſum eſt pronunciare, Legatus Pontificis non aderat, & Epiſcopi præcipui diſceſſerant, & Cardinalis quidam Arelatenſis ſibi præſidendi munus aſſumpſerat inducta magna Presbyterorum multitudine pro abſentibus Epiſcopis. Eodem tempore Florentiæ aliud agebatur Concilium, in quo Græci & Latini convenerant, Græcorum Imperator, & Latinorum Imperatoris Legatus advenerant, dum interim Baſilea orribili peſte vexaretur propter damnatum Eugenium. Ex quibus conſtat, quamnam in rebus ad fidem ſpectantibus Baſileenſis Synodus præleferre debeat auctoritatem.

## CAPUT XIX.

### *De Florentina & Tridentina Synodo.*

CUm Eugenius IV. Summus Eccleſiæ Pontifex Græcos optaret in Eccleſiæ gremium coadunare ac recipere, Concilium Baſileenſe Ferrariam decrevit transferendum conſtitutione, quæ incipit *Doctoris gentium* data Bononiæ 7. Kalendas Octobris an. 1437. cui Cardinales octo ſubſcripſerunt. Verum cum Peſtis Ferrariæ graſſaretur, ibique Patres per unum annum commorati eſſent, per aliam Eugenii conſtitutionem translatum eſt.

Solet hoc loco inquiri, num potuerit Eugenius Baſileenſe Concilium transferre, eo quod ipſemet Pontifex approbaſſet Decretum ſeſſione 8. Baſileenſis Synodi, in qua Concilii translatio vetabatur. Natalis Alexander ſæc. xv. multa collegit, quibus probaret, jure hanc Synodi translationem fuiſſe factam ſemper ſuppoſitione habita, quod Baſileenſe Con-

Concilium fuerit Œcumenicum. Verum cum reapſe legitimum eſſe deſierit, ut ſupra oſtendimus, non eſt inde cur de legitimitate hujus translationis amplius inquiramus. Hoc in Concilio Græcos inter & Latinos pax ſancita æque firmata eſt viginti quinque ſeſſionibus. Quare adeat Natalem Alexandrum cit. loc. qui expetierit cognoſcere, quid in unaquaque ſeſſione geſtum ſit, cum hæc prælibaſſe ſufficiat.

Denique ut ad Tridentinam Synodum deveniamus, ejus convocationis cauſas Hæreſes fuiſſe dicimus Lutheri, Calvini, Zuinglii, aliorumque, & morum reformationem, ut in ſuis litteris ad Franciſcum I. Galliarum Regem Clemens VII. indigitavit. Defunćto tamen Clemente die 25. Septembris an. 1534. Paulus III. die 13. Oćtobris in ejus locum ſuffećtus Concilium indixit Mantuæ celebrandum, ſed cum id recuſaret Fridericus Mantuæ Dux, Vicentiæ celebrandum decrevit, ſed fruſtra, cum ob varias cauſas debuerit prorogari. Tridentum denique intra Alpes Kalendis Junii anno 1542. Spirenſi Germanorum Conventu approbante convocatum eſt, ita Pontifice in ſuo diplomate loquente. *Quo melius atque commodius, quæ ad integritatem & veritatem Chriſtianæ Religionis, quæ ad bonorum morum reductionem, emendationemque malorum, quæ ad Chriſtianorum inter ſe, tam Principum quam Populorum pacem, unitatem, concordiamque pertineant, & quæ ad repellendos impetus Barbarorum & Infidelium, quibus illi univerſam Chriſtianitatem obruere moliuntur, ſint neceſſaria, Deo noſtris conſultationibus præeunte, & lumen ſapientiæ ſuæ ac veritatis mentibus noſtris præferente, agi in dićto ſacro Œcumenico Concilio, & conſpirante omnium charitate conſuli, traćtari, confici, ad optatoſque exitus deduci, quamprimum, & quam optime poſſint.*

Cœpta igitur Synodus eſt ſub Paulo III. die 13. Decembris an. 1545. ſed cum Tridenti contagioſus morbus graſſaretur, Bononiam tranſlata eſt ab eodem Pontifice, reclamantibus Cæſaris & Regis Hiſpaniarum Oratoribus. Quare defunćto Paulo III. & ad Petri Sedem evećto Julio III. anno 1550. Synodum Tridentum reduxit Pauli ſucceſſor, qui in ſuo diplomate ſic ſuam mentem expreſſit: *Ut ſacrum Œcumenicum Generale Concilium a Paulo III. . . . . . inceptum ordinatum & continuatum, in quo plures publicæ & ſolemnes habitæ fuerunt ſeſſiones, pluraque tam in cauſa fidei, quam reformationis promulgata Decreta, multaque etiam* ad

*ad utramque cauſam pertinentia examinata & diſcuſſa*, *ad civitatem Tridentinam reducatur*. Reſumpta itaque eſt Synodus Kalendis Maii 1551. ſed ob belli tempeſtatem ſuſpenſa eſt anno ſequenti.

Suſpenſa Synodus remanſit, atque interim e vivis ſublato Julio III. Paulus IV. ejus ſucceſſor Concilium Tridentum revocavit diplomate dato Kalendis Decembris anni 1560. ſub quo Pontifice Tridentinum Concilium eſt abſolutum. In eo 25. ſeſſiones habitæ ſunt, videlicet ſub Paulo III. ſeſſiones undecim celebratæ, octo Tridenti, tres Bononiæ, quinque ſub Julio, & ſub Paulo IV. novem ad exitum Concilium perduxerunt. Quid in unaquaque ſeſſione actum ſit, habes in Hiſtoria hujus Concilii a Cardinali Pallavicino edita.

Interim ut ad graviora progrediamur, nunc tuenda eſt hujus Concilii auctoritas, quam impugnare auſi ſunt Lutherani, qui licet Concilium expoſtularent, verumtamen ſtatim ac illud noverunt indictum, varias moverunt querelas, aſſerendo, ipſum non eſſe legitimum, eo quod Legati Pontificii ipſi præeſſent, quod extra Germaniam haberetur, quod votum deciſivum ſui Miniſtri non haberent, aliaque hujus generis plura effutientes, ne ſe damnatos agnoſcerent. Contra hujus Concilii auctoritatem plura etiam collegerunt Carolus Molineus, Gentiletus, aliique plures, quos hac unica propoſitione confutare aggredimur.

## P r o p o s i t i o.

*Sacroſancta Tridentina Synodus legitima & Œcumenica habenda eſt.*

**Dem.** Illud Concilium legitimum eſt & Œcumenicum, quod canonice convocatum eſt, quod debitum habet Præſidem, ad quod ex præcipuis orbis partibus Epiſcopi conveniunt ſumma libertate fruentes in ſuffragiis ferendis, & quod a præcipuis orbis Eccleſiis receptum eſt; atqui hæc omnia de Tridentina Synodo verificantur: Ergo &c.

Singula per partes expediuntur.

Et primo quidem, ut ſupra notavimus, a Paulo III. Summo Pontifice Concilium indictum fuit, ad quem ſane, ut jam probatum eſt, pertinet Conciliorum convocatio.

Secundo: quibuſcumque actis & inſtrumentis Concilii Legatorum nomina præfixa ſunt hunc in modum: *Sacroſancta Œcumenica & Generalis Tridentina Synodus in Spiritu ſancto legitime congregata*, *præſidentibus in ea Apoſtolicæ Sedis Lega-*

*Legatis &c.* Hinc ſub Paulo III. Concilii Præſides fuerunt *Joannes Maria de Monte* Prænestinus Epiſcopus, *Marcellus Cervinus*, & *Reginaldus Polus* S. R. E. Cardinales. Sub Julio III. *Marcellus* Cardinalis *Creſcentius*, *Sebaſtianus Pighinus* Sipontinus Archiepiſcopus, & *Aloyſius Lipomannus* Veronenſis Antiſtes. Sub Pio IV. *Hercules Gonzaga* Cardinalis Mantuanus, *Jacobus* Cardinalis *Puteus*, *Stanislaus* Cardinalis *Oſius* Warmienſis in Polonia Epiſcopus, *Hieronymus* Cardinalis *Seripandus*, *Ludovicus* Cardinalis *Simonetta*, *Marcus Siticus* Cardinalis *Altempſius*, & cum e vivis exceſſiſſent Cardinalis *Mantuæ* & *Cardinalis Seripandus*, eorum locum Cardinales *Moronus* & *Navagerius* obtinuerunt.

Tertio ad hoc Concilium ex orbe univerſo Epiſcopos conveniſſe ex Pauli III. convocationis diplomate eſt apertiſſimum. In eo enim Summus Pontifex aperte teſtatur, ſe convocaſſe *omnes ex omnibus locis, tam Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & Abbates, quam alios quoſcumque, quibus jure aut privilegio in Conciliis Generalibus reſidendi, & ſententias in eis dicendi permiſſa poteſtas eſt*. Et reapſe Legatis Pontificiis exceptis Concilio interfuerunt viginti-quinque Archiepiſcopi, centum ſexaginta octo Epiſcopi, trigintanovem Procuratores Prælatorum abſentium, ſeptem Abbates, & totidem Religioſorum Ordinum Generales. Sed hæc infra clarius conſtabunt.

Quarto Patribus libertatem ademptam non fuiſſe videbimus in ſolutione objectionum.

Ultimo denique Tridentinam Synodum undique, & ubique receptam, non eſt maximopere inſudandum, ut demonſtremus. Siquidem hanc Synodum ſuſceperunt Germaniæ regiones & auguſtiſſimæ Auſtriacæ familiæ hæreditariæ, ut patet ex Auguſtana Synodo ab Othone Cardinali Truſeſſio celebrata anno 1567. Catholici Regis ditiones omnes Philippo Rege Imperante per edictum datum die 2. Julii 1564. Suſcepit Luſitania Sebaſtiano piiſſimo ac religioſiſſimo Rege agente, ut ejus litteræ oſtendunt ad *Pium IV.* ex Vaticano Archivio erutæ a Pallavicino. Excepit Polonia in Regni Comitiis eodem anno celebratis, ut patet ex vita Cardinalis *Commendoni* Nuntii Apoſtolici. Suſcepit Sereniſſima Venetorum Reſpublica, promulgarique juſſit inter ſacrificii ſolemnia in Baſilica S. Marci, teſte *Moroſino* lib. 8. Hiſt. Venetæ.

De Primariis autem Regnorum Catholicorum Eccleſiis

quid dicemus? Infiniti propemodum eſſemus, ſi omnium hic vellemus indicem texere, qua de re præcipuas tantummodo adnumerabimus. Concilium itaque Tridentinum probatum eſt in Mediolanenſi I. Concilio Provinciali ſub *S. Carolo* an. 1565. In Concilio Rhemenſi Provinciali an. 1564. *Carolo* Cardinali *a Lotharingia* Præſide. In Cameracenſi Provinciali Concilio an. 1565. *Maximiliano a Bergis* Archiepiſcopo, & Duce Cameracenſi Præſide. In Provinciali Toletano Concilio eodem anno *Chriſtophoro Rogio de Sandoval* Epiſcopo Cordubenſi Præſide. In Provinciali Mechlinienſi an. 1570. ſub *Martino Rythovio* Epiſcopo Yprenſi. In Rothomagenſi Provinciali an. 1581. *Carolo* Cardinali *Borbonio*. In Burdigalenſi an. 1583. *Antonio Prevotio Sanſaco*. Denique in Turonenſi ejuſdem anni, in Bituricenſi 1584. Acquenſi anni ſequentis, Mexicano ejuſdem anni, Toloſano 1590. Eccleſia itidem Gallicana minime prætermiſſa, ſalvis tamen ejuſdem libertatibus, ut patet ex Pariſienſibus Comitiis ordinum Regni an. 1615. Reſtat ergo, ut adverſariorum querimonias patienter excipiamus & nervoſe ſimul confutemus.

*Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1. Tridentina Synodus a Romano Pontifice convocata fuit: Ergo non fuit legitima. Prob. conſequentiam: Romanus Pontifex non poterat judicis & partis perſonam agere, de multis enim poſtulabatur: Ergo convocare Concilium non poterat.

Reſp. Conc. ant. & nego conſeq. & ad ejus probationem, nego, Romanum Pontificem in Synodo partis perſonam agere debuiſſe. Non enim Romani Pontificis, ſed fidei cauſa agebatur. Profecto, ſi hæc objectio valeret, numquam quocumque ſæculo potuiſſent Romani Pontifices Concilia indicere, illis præſidere, & Hæreticos anathemate percutere. Deinde quis eſſe debeat hoc in caſu Judex legitimus controverſiarum ad fidem ſpectantium? Principes forſan? at contrarium conſtat ex litteris Valentiniani ad Epiſcopos Orientis, ad quos ſcripſit: *Sibi, qui unus e laicorum numero erat, non licere ſe ejuſmodi negotiis interponere*. Idem confeſſus eſt Theodoſius Imperator, cum ad Epheſinam Synodum ſcriberet hiſce verbis: *Candidianum ad ſacram veſtram Synodum abire juſſimus, ſed ea lege & conditione, ut cum quæſtionibus & controverſiis, quæ circa fidei dogmata incidunt, nihil quidquam commune habeat. Nefas eſt enim, qui Sanctiſſimorum Epiſcoporum Catalogo adſcriptus non eſt, illum*

*lum Eccleſiaſticis negotiis ſeſe immiſcere*. Forſitan Romanus Pontifex Concilium convocare non debuit? At omiſſo, quod jam in ſuperioribus probavimus, ad Romanum Pontificem Conciliorum convocationem pertinere: nonne Clementem VII. & Paulum III. non ſemel expoſtularunt Carolus V. Ferdinandus Romanorum Rex, Franciſcus I. Rex Chriſtianiſſimus, ut Concilium convocarent, ut Sleidanus adverſæ communionis ſcriptor teſtatus eſt? Id ergo juris eſſe Pontificii Sereniſſimi Principes agnoverunt. Denique hoc argumentum in adverſarios retorquetur. Siquidem conqueſti ſunt adverſarii, quod Lutheranis miniſtris ſuffragium deciſivum non concederetur. At quæſo ipſi non poterant judicis & partis perſonam agere. De multis enim contra fidem & mores expoſtulabantur.

Ob. 2. Canones præcipiunt, ut cum de puniendis, vel abſolvendis perſonis agitur, prima cauſæ cognitio in Provincia inſtitui debeat; Concilium ergo in Germania convocandum erat.

Reſp. Canones intelligendos eſſe de cauſis privatis, & non de cauſis communibus, in quibus articuli fidei adducuntur in controverſiam. Hinc eſt, quod Arriana hæreſis Alexandriæ excitata, non in Ægypto, ſed in Bythinia damnata eſt; Neſtoriana lues Conſtantinopoli erupit, & Epheſi jugulata eſt. Idem de Donatiſtarum hæreſi in Africa oborta, & Romæ damnata a Melchiade; Idem de Pelagiana, aliiſque pluribus ſectis, quales fuere Eutychiana & Monothelitarum Cc. Jure ergo indici potuit ac celebrari Synodus Œcumenica Tridenti contra Proteſtantium errores, eo vel magis, quod in eam convocationem conſenſerunt Germaniæ Principes in Spirenſi conventu anno 1542.

Ob. 3. Ad Concilium vocati non ſunt Principes Auguſtanæ Confeſſionis, imo fuerunt a Concilio penitus excluſi. Ergo non fuit legitimum.

Reſp. Putidum in argumento apparere mendacium, idque aperte monſtratur ex datis publicæ fidei litteris in Concilii ſeſſionibus 13. 15. & 18. in ſequentem modum exiſtentibus; Ideſt ipſis eſt conceſſa facultas *Tridentum veniendi, ibidemque manendi, ſtandi, morandi, proponendi, loquendi, una cum ipſa Synodo de quibuſcumque negotiis tractandi, examinandi, diſcutiendi, ac omnia quæcumque ipſis libuiſſet, ac articulos quoslibet, tam ſcripto quam verbo libere offerendi, propalandi, eoſque Scripturis ſacris, & Beatorum PP. verbis, ſententiis & rationibus declarandi, adſtruendi, & perſua-*

*ſuadendi*, *& ſi opus fuerit*, *etiam ad objecta Concilii Generalis reſpondendi*, *& cum iis*, *qui a Concilio delecti fuerint*, *diſputandi &c.* Atque hæc adeo perimunt adverſarios, ut facultas iſta data fuerit etiam nationibus a Romana alienis communione hiſce verbis: *Eadem ſacroſancta Synodus in Spiritu ſancto legitime congregata præſidentibus in ea ejuſdem Apoſtolicæ Sedis de Latere Legatis*, *omnibus & ſingulis aliis*, *qui nobiſcum in iis*, *quæ ſunt fidei*, *communionem non habent*, *& quibuſcumque Regnis*, *Nationibus*, *Provinciis*, *Civitatibus*, *ac locis*, *in quibus publice & impune prædicatur*, *vel docetur*, *ſive creditur contrarium jus*, *quod Sancta Romana ſentit Eccleſia*, *dat fidem publicam*, *ſive ſalvumconductum*, *ſub eadem forma*, *& eiſdem verbis*, *quibus datur Germanis*. Injuſtæ ergo Lutheranorum querimoniæ.

Ob. 4. Tridentina Synodus morte Pauli III. interveniente deſiit ac prorſus concidit: Ergo &c. Prob. ant. Henricus II. Galliarum Rex renovationem Concilii a Julio III. factam adeo improbavit, ut nemini Epiſcoporum in ſuis ditionibus Tridentum commeandi facultatem permiſerit, teſtatuſque ſit, ſe conventum illum minime pro legitimo agnoſcere; ergo &c.

Reſp. Paulum III. Tridentinam Synodum ſuſpendiſſe, non diſſolviſſe. Verum licet diſſolviſſet, potuit jure ab Julio III. illius ſucceſſore denuo convocari eadem Synodus, quia eædem in ſuo ſtatu adhuc vigebant cauſæ. Denique licet duo, vel tria fuiſſent indicta Concilia, ejuſdem fuiſſent auctoritatis, & omnium Decreta fuiſſent ſacroſancta, quod ſolum negare poteſt pervicax Hæreticus. Relate ad Henricum reponimus, non illegitimam judicaſſe Concilii convocationem, ſed Epiſcopos ſuos retardaſſe, quia cum exortæ eſſent aliquæ inter ipſum, & Carolum V. ſimultates, eaſque ab Julio III. foveri crederet, idcirco moram interpoſuit, donec lites componerentur, & ceſſaretur a tumultu. Et re quidem vera profeſſus eſt Chriſtianiſſimus, ſe conteſtationem illam non feciſſe: *Quaſi aut cogitaret ullo modo*, *aut haberet in animo meritam ac debitam a ſe ſanctæ Sedi Apoſtolicæ obſervantiam & obediendi conditionem aut excutere*, *aut diminuere*, *quin contra operam daturum eſſe*, *ut magis ac magis in dies ſe dignum*, *probaret Chriſtianiſſimi Regis cognomine*, *horque maximo primogeniti Eccleſiæ filii ac fidei protectoris elogio*. *Animi hujus ſui ac ſtudii propenſionem ad feliciora melioraque tempora reſervari*, *cum ſcilicet hoc humano generi*, *ac præcipue Reipublicæ Chriſtianæ ſummis*

*mis ipſius ac totius Populi Gallici votis Dei optimi maximi gratia tribuiſſet, ut honeſte depoſitis armis, quæ eſſent parum modeſte illata, & motiones animi componerentur, & hoc modo pax ipſa conveniret.* Multa alia his ſimilia proteſtatus eſt Henricus, quorum exemplaria edita ſunt in commentariis rerum ad Synodum Tridentinam ſpectantium a Puteano collectis. Denique Carolus IX. Oratores ſuos cum Epiſcopis ad Concilium miſit, qui anteacta Decreta ſeſſione 25. perlecta plenis calculis approbarunt.

Ob. 5. Cum PP. Concilii & præſertim Hiſpani Epiſcopi in eam irent ſententiam, ut crederent reſidentiam Epiſcoporum de jure eſſe divino, Pontifex miſſis multis Epiſcopis in contrariam alios pertraxit ſententiam. Ergo nulla in Concilio libertas.

Reſp. Reapſe varias in ſententias PP. Concilii abiiſſe cum diſputaretur, an reſidentia juris eſſet divini, viris doctiſſimis ac religioſiſſimis ex utraque parte ſtantibus. Qua de re cum videretur quaſtio prorſus interminabilis, ab ea definienda temperandum eſſe duxerunt. Declaratum nihilominus eſt, reſidentiam Epiſcoporum eſſe de præcepto divino, nullaſque agnovit legitimæ abſentiæ cauſas præter *Chriſtianam charitatem, urgentem neceſſitatem, debitam obedientiam, ac evidentem Eccleſiæ, vel Reipublicæ utilitatem.* Quod vero de miſſis additur Epiſcopis, putida eſt calumnia. Siquidem, ut ex Pallavicino conſtat lib. 17. c. 8. 13. triginta & amplius Itali Epiſcopi ſeveriſſimæ ſententiæ de reſidentia juris divini adhærebant, qui cum inſimulati eſſent apud Pontificem, quod Apoſtolicæ Sedis partes non foverent, data ad Sanctitatem ſuam Epiſtola ſe purgaſſe, adeo ut in ſuo reſcripto Pontifex certum ſibi fuiſſe ſcripſerit, unumquemque pro ſua conſcientia differuiſſe, id ſibi non diſplicere, cum vellet omnimodam in Concilio libertatem. Vide Cardinal. Pallav. cit. loc.

Ob. 6. Seſſione 23. de Reformat. definitum eſt, licere cuique vigeſimoquinto ætatis anno eſſe ſacerdotem, ſed hoc contrarium erat Aurelianenſi Synodo, quæ triginta annos ad ſacerdotii munus obeundum exegit, nec non cum antiquis pugnabat Canonum inſtitutionibus: Ergo &c.

Reſp. 1. Quod Eccleſiæ diſciplina *lege fidei manente, admittit novitatem correctionis, operante ſcilicet & proficiente, uſque in finem gratia Dei*, ut ait Tertullianus de Virg. veland. c. 1. Quare jure potuit ſtatutis in Synodo Aurelianenſi hoc in caſu derogare. Ceterum de Aurelianenſi Synodo

do ita loquutus eſt Cardinalis a Lotharingia in ſuo Provinciali Rhemenſi Concilio anno 1564. Congregatione 9. *Comitia Aurelianenſia cujuſmodi fuerunt nolo hic dicere, conſtat certe, in iis multa fuiſſe conſtituta, quæ cum jure Eccleſiaſtico pugnant ex diametro, & magnum afferunt detrimentum, & præjudicium, cur ergo eorum decretis eſſe ſtandum judicabit Eccleſia?* & Congregat. 10. *Quod attinet ad ætatem Presbyterorum, videndum eſſe, ne nimis provectæ ætatis ordinentur, fuiſſe quidem in illis Comitiis Aurelianenſibus ſpecioſas factas leges, cujuſmodi eſt, qua cavetur, ne ordinetur ſacerdos, qui non ſit triginta aut quadraginta annos natus, & ne pro celebranda re divina dentur ſacerdoti pluſquam duo ſolidi, & dimidius, ſed ex non aliud ſpectabant, quam ne amplius ordinarentur Presbyteri.*

Ob. 7. Legati in Concilio ſibi jus proponendi reſervarunt quid agendum vel firmandum eſſet illa ſolita formula: *Proponentibus legatis*, nihilque proponentes, quod Romano Pontifici non placuiſſet, conſtantiſſime repugnantibus Hiſpanis præſertim Epiſcopis: Ergo nulla in Concilio libertas.

Reſp. Falſum, quod Patribus Concilii fuerit adempta libertas. Patres enim liberrime in omnibus & ſingulis Congregationibus & ſeſſionibus ſententiam ſuam dixerunt etiam in iis, quæ Legatos & ipſum ſummum Pontificem ſpectabant. Ceterum ſi Legati erant qui proponerent, nil mirum, cum ad vitandam confuſionem idem factum ſit in Epheſina, Chalcedonenſi, Conſtantinopolitana 3. & 4. aliis Generalibus Conciliis. Atque hac prærogativa Pontificios Legatos jure gaudere patet ex litteris Marciani Imperatoris ad S. Leonem, in quibus præcipit Imperator, *Ut ad definitum locum . . . . . omnes ſanctiſſimi Epiſcopi debeant convenire, & quæ Chriſtianorum religioni, atque catholicæ fidei proſint, ſicut Sanctitas tua ſecundum Eccleſiaſticas regulas definiverit, ſua diſpoſitione declarent.*

Multa ſunt alia, quæ objicere ſolent Heterodoxi contra Concilii hujus legitimam auctoritatem; ſed omnia videre poteris apud Pallavicinum in ſua hiſtoria nervoſe confutata. Interim gratias Deo referre debemus, quod de Conciliis tractatum abſolverimus, & ad hujus libri finem devenerimus.

# LIBER QUARTUS.

Cum hucuſque ſatis de auctoritate Scripturarum ſanctarum, & Conciliorum, pertractatum ſit, cum quarto loco poſſit & debeat Theologus ex Eccleſiæ auctoritate argumenta deſumere, hinc & nervos omnes intendere debemus, ut hac in parte quodnam ſit hujus loci pondus Theologiæ candidati deprehendant. Quapropter quarto hoc libro de eſſentia, Unitate, Sanctitate, Catholicitate, Apoſtolicitate, Viſibilitate, Indefectibilitate, & Infallibilitate Eccleſiæ differemus. Et ne tempus proloquiorum inutilitate teramus, operi manum adjiciamus.

## CAPUT I.

### *De Eſſentia Eccleſiæ.*

Eccleſiæ vocabulum non latinum eſt, ſed ex græca profluens dictione a verbo videlicet ἐκκαλέω, ideſt evoco, quemadmodum a verbo συνάγω, ideſt congrego, Synagoga dicta eſt Hebræorum Eccleſia. Atque id non ſine myſterio aliquo factum fuiſſe docet aperte Auguſtinus in epiſtolam ad Romanos hiſce verbis: *Eccleſia ex vocatione appellata, Synagoga vero ex congregatione. Convocari enim hominibus magis congruit, congregari autem magis de pecoribus dici ſolet; unde greges proprie pecorum dici ſolent. Quamvis ergo pleriſque ſcripturarum locis ipſa Eccleſia Grex Dei, & Ovile Dei, & pecus Dei vocetur, tamen cum in comparatione homines pecora dicuntur, ad vitam veterem pertinet, & appçret, hujuſmodi homines non eſſe ſempiternæ veritatis, ſed temporalium promiſſionum tamquam terreno pabulo eſſe contentos. Paulus ergo vocatus Apoſtolus ſegregatus in Evangelium Dei, unde, niſi ex grege Synagogæ?* Eadem habet S. Doctor in Pſ. 81. Verum tamen eſt, quod licet Chriſti Eccleſia Synagoga appelletur, congregatio tamen aliquando dicta eſt a Cyrillo Hieroſolymitano præſertim, qui Catech. 18. hæc habet: *Apte Eccleſia vocatur quaſi, dicas convocatio propter omnium convocationem & congregationem.* Ex quo liquet, Eccleſiæ definitionem, fidelium congregationem veluti quoddam genus in ſe continere; unde Theologi ita ſolent

lent Eccleſiam definire videlicet: *Cœtus Sanctorum ſub uno capite Chriſto Deo ſervientium:* Quæ ſane definitio Eccleſiæ in genere ſumptæ apprime congruit.

Per cœtum enim Sanctorum omnia Eccleſiæ membra in unum corpus aptata ſignificantur, quæ ſanctitatem quomodolibet præſeferant, ideſt vel perfectam habeant, quales ſunt Beati; vel inchoatam, quales ſunt qui peregrinantur a Domino, qui vel ſpeciem virtutis præſeferunt externam, vel internam habent ſanctitatem & externam ſimul. Cum vero dicitur ſub uno capite Chriſto, diſcrepantia indigitatur inter Chriſti Eccleſiam & veterem Synagogam, quæ negat Chriſtum in carne veniſſe. Unde de Eccleſia loquutus eſt Paulus ad Epheſ. 1. 23. hiſce verbis; *Ipſum* ( Chriſtum ) *dedit caput ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ejus:* & c. 5. 23. *Vir eſt caput Mulieris, ſicut Chriſtus caput eſt Eccleſiæ.* At cum ſervire Deo finis eſſe debeat Militantis & Triumphantis Eccleſiæ, idcirco ultimo additur *Deo ſervientium.*

Hanc Eccleſiæ definitionem allato modo explicatam rejecerunt Pelagiani, Novatiani, Donatiſtæ, Wicleſiſtæ, Lutherani, & Calviniſtæ.

Etenim Pelagiani definierunt Eccleſiam *Congregationem hominum perfectorum nullum peccatum habentium.* Ita tradidit S. Auguſtinus lib. de Hæreſ. c. 88. inquit enim: *In idem progrediuntur, ut dicant, vitam juſtorum in hoc ſæculo nullum omnino habere peccatum, & ex his Eccleſiam Chriſti in hac mortalitate perfici, ut ſit omnino ſine ruga & macula, quaſi non ſit Chriſti Eccleſia, quæ in toto terrarum orbe clamat ad Deum; dimitte nobis debita noſtra.*

Novatiani a Chriſti Eccleſia rejecerunt lapſos in perſequutione, ut patet ex S. Cypriano Tract. de lapſis, quorum errori adhæſerunt Donatiſtæ, ut videre eſt apud Auguſtinum lib. 3. contra Parmenianum.

Wicleſiſtæ ſolis prædeſtinatis Eccleſiam conſtare autumarunt. Unde iſti fuerunt in Concilio Conſtanſienſi damnati eorum articuli ſeſſ. 15. *Unica eſt ſancta univerſalis Eccleſia, quæ eſt prædeſtinatorum univerſitas.* Et in 5. *Præſcitus etſi aliquando ſit in gratia, ſecundum præſentem juſtitiam tamen nunquam eſt pars ſanctæ Eccleſiæ & prædeſtinatus ſemper manet membrum Eccleſiæ, licet aliquando excidat a gratia adventitia, ſed non gratia prædeſtinationis.*

Lutherani & Calviniſtæ ſolos juſtos in vera admittunt Eccleſia, & hodierni reformatæ Eccleſiæ impiiſſimi ſectatores

res contendunt, ſchiſmaticos, hæreticos, apoſtatas fundamentales tamen articulos fidei credentes veræ Chriſti Eccleſiæ membra eſſe.

Contraria docent ſane Catholici aſſerentes, Eccleſiam non tantum conſtare ex prædeſtinatis, ſed reprobos & impios etiam complecti, modo fidem ſub legitimis Paſtoribus exterius profiteantur; quæ cum ſolide demonſtrari debeant. Sit igitur

CONCLUSIO I.

*Eccleſiæ membra non ſunt ſoli prædeſtinati.*

Dem. Scripturis, PP. & ratione. In ſacris litteris, & præſertim in Evangelio Eccleſia comparatur ſagenæ miſſæ in mare & ex omni genere piſcium congreganti Matth 13. Convivio nuptiali, ad quod intraverunt boni & mali, Ovili, in quo ſunt agni & hœdi Matth. 25. magnæ domui, in qua ſunt vaſa aurea, argentea, lignea & fictilia 2. ad Timoth. 2. Ergo Eccleſiæ membra ſoli non ſunt prædeſtinati.

Accedunt PP. inter quos Cyprianum Ep. 51. ad Confeſſores, & 52. ad Antonianum; S. Hieronymus Dialog. adverſus Luciferian. S. Auguſtinus tract. 45. in Jo. & lib. 2. contr. Creſconium; S. Fulgentius lib. de fide ad Petrum c.43. & Gregorius M. Hom. 33. in Evangel. aliique plures, qui omnes allato ſenſu explicant ſupradicta ſcripturarum teſtimonia. Sed ne ſingula videamur præterire, ſufficiant verba educta ex Breviculo collationis cum Donatiſtis c.9. n.16. In qua collatione cum Donatiſtis plura retuliſſent ſcripturarum teſtimonia, ut oſtenderent peccatores membra Eccleſiæ non eſſe, Catholici Epiſcopi reſponderunt: *Hæc duo tempora Eccleſiæ, quæ nunc eſt, & qualis tunc erit, ſignificata ſunt etiam duabus piſcationibus: una ante reſurrectionem Chriſti, quando mitti juſſit retia, nec ſiniſtram nec dexteram nominans partem, ut nec ſolos malos, nec ſolos bonos, ſed commixtos bonis malos intra retia ſuorum ſacramentorum futuros doceret: Poſt reſurrectionem autem, quando juſſit retia mitti in dexteram partem, ut poſt reſurrectionem noſtram ſolos bonos in Eccleſia futuros intelligeremus.* Quarum ſane rationum pondere adverſariorum intolerabilis audacia validiſſime premitur ac propulſatur.

Adde argumenta ex ratione deprompta. Siquidem ſi Eccleſia ex ſolis conſtaret prædeſtinatis, foret ipſa inviſibilis, Pagani, Iudei & Heretici dummodo prædeſtinati forent in Eccleſia, a qua excluderentur fideles juſti non prædeſtinati, alia

aliaque plura collige his ſimilia argumenta, quæ in medium proferre conſueverunt Teologi.

*Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1. Arca Noe fuit Eccleſiæ figura, teſte Auguſtino lib. 3. de Baptiſmo c. ultimo, ſed in Arca fuerunt tantummodo, qui ſalvandi erant: Ergo & in Eccleſia ſoli erunt prædeſtinati.

Reſp. Diſt. maj. Arca fuit Eccleſiæ figura ſecundum quid conc. maj. abſolute & ſimpliciter neg. maj. & diſt. min. & paritas Eccleſiam inter & Arcam in hoc nequit conſiſtere conc. min. ſecus conc. min. & nego conſeq. Si inter Arcam & Eccleſiam adæquata intercederet paritas, ſequeretur, omnes omnino homines ſalvandos eſſe, cum animalia omnia, quæ in Arca extiterunt, non perierint in univerſali aquarum inundatione. Arca igitur typus Eccleſiæ fuit in hoc, quod ſicuti in illa munda & immunda continebantur animalia, ita in Eccleſia juſti ſunt & peccatores. Sicuti extra Arcam nemo ſalvus factus eſt, ita nemo extra Eccleſiam ſalvari poteſt. En ergo quomodo PP. Cyprianus, Hieronymus, Auguſtinus, aliique Arcam Eccleſiæ aſſimilarunt. Horum ſequi debemus doctrinam, non ex privato ſpiritu ad libitum ſomnia ſomniare, & chimeras confingere.

Ob. 2. Juxta Auguſtinum lib. 5. de Baptiſmo propter electos & prædeſtinatos Eccleſia aſſimilatur fonti ſignato, horto concluſo, & puteo aquarum viventium Cantic. c. 12. Ergo &c.

Reſp. Auguſtinum loqui de triumphantis Eccleſiæ gloria, in qua vere ſoli ſunt electi & prædeſtinati. Sic legimus S. Doctorem loquentem lib. 2. Retract. c. 18. *Ubicumque Eccleſiam commemoravi non habentem maculam, neque rugam, non ſic accipiendum eſt, quaſi jam ſit, ſed quæ præparatur ut ſit, quando apparebit etiam glorioſa*. Licet tamen de militante Eccleſia intelligenda eſſent Auguſtini verba, quemadmodum & in horto concluſo vepres ſimul cum floribus miſcentur, ita in Eccleſia boni cum malis permixti ſunt.

Ob. 3. Chriſtus caput eſt illius Eccleſiæ, quam ſalvabit: Ergo caput eſt prædeſtinatorum.

Reſp. Diſt. ant. Chriſtus caput eſt Eccleſiæ vel ſufficienter vel efficienter conc. ant. efficienter tantum neg. ant. & ſub data diſtinct. nego conſeq. Chriſtus eodem modo eſt caput Eccleſiæ, quo eſt Eccleſiæ Salvator; at quis negare poterit,

terit, Chriſtum totius mundi eſſe Salvatorem, licet non omnes ſalutem ſint conſequuturi? Pro omnibus Chriſtum eſſe mortuum, prædicat Catholicum dogma; Ergo omnium caput eſt, pro quorum ſalute mortuus eſt. Profecto quis negabit eum pro omnibus mortuum, cum omnibus dederit & obtulerit media ad ſalutem æternam conſequendam neceſſaria? Unde abſolute loquendo falſum eſt, Chriſtum caput eſſe ſolummodo illorum, qui ſalutem conſequentur, cum caput ſit non ſolum illorum, qui ſalutem conſequentur, ſed etiam illorum, qui ſalutem conſequi poſſunt, licet non ſint tandem ſalutem æternam conſequuturi.

Ob. 4. Chriſtus Jo. 10. 16. comparat Eccleſiam ovili; ſed in hoc ſunt oves ſolæ: Ergo in Eccleſia ſunt ſoli prædeſtinati.

Reſp. Diſt. min. Et inter oves & prædeſtinatos ſemper non ſtat comparatio, ſed inter oves & omnia Eccleſiæ membra, conc. min. ſecus, nego min. & conſeq. Non diffitemur in ſacris litteris oves aliquando ſumi pro prædeſtinatis, verum ibi ſemper aliquem noſcimus adjungi characterem, ex quo clare inſertur prædeſtinationis nota. Ita Jo. 10. 27. de ovibus ſermo habetur, ſed de iis, quæ vocem Chriſti audiunt. Matth. 25. 33. oves commemorantur, ſed quæ ab hœdis ſeparabuntur in extremo judicio. Et ſic de cæteris. Econtra pluribus aliis in locis ovium nomine tam boni, quam mali deſignantur. Ita Io. 21. 18. legitur: *Paſce oves meas*. Pſal. 73. 1. *Iratus eſt furor tuus ſuper oves paſcuæ tuæ*. Ezechielis 34. ubi oves ſanæ & ægrotæ deſcribuntur, & alibi paſſim. Certum eſt Auguſtinum tract. 45. in Jo. ad prædeſtinatos verba illa aptare, ſed idem eſt reſponſum, videlicet S. Doctorem de prædeſtinatis illa Scripturæ verba intelligere, quæ reapſe oves ab hœdis ſecernunt, & quæ vocem audiunt paſtoris.

## C o n c l u s i o II.

*Juſti & Peccatores ſunt in Eccleſia, aut publici ſint aut occulti.*

Dem. Scripturis, Eccleſiæ Traditione, & ipſa ratione & quidem quoad peccatores, nam juſtos in Eccleſiam admitti ab adverſariis in prænotatis jam vidimus.

Et primo quidem præter ea, quæ in præcedenti propoſitione ex ſcripturis adduximus, inſervire poſſunt ſequentia. Matth. c. 18. 15. Chriſtus jubet, peccatores corrigendos eſſe, & ab Eccleſia arcendos, ſi non audierint: Ergo &c. Rurſus Matth. c. 23. 3. nos monet Salvator, ut ea, quæ

docent Miniſtri & Doctores, faciamus, non quæ ipſi faciunt. Credidit ergo ipſos eſſe in Eccleſia. Accedit, quod Paulus in 1. ad Corinthios teſtatur ſe ſcribere Eccleſiæ Dei, quæ eſt Corinthi, in qua dicit eſſe contentiones, & cap. 5. mentionem illius inceſtuoſi facit, quem graviſſimæ tradidit pœnitentiæ. Profecto quis dubitet Corinthiorum Eccleſiam veram Dei Eccleſiam fuiſſe? Nullus profecto. Tenendum ergo, peccatores manifeſtos & occultos eſſe in Eccleſia.

Multa ſunt SS. PP. in hujus concluſionis præſidium teſtimonia; verum quoniam omnium agmen ducit S. Auguſtinus, idcirco uno, vel altero hujus S. Doctoris teſtimonio contenti erimus. Auguſtinus igitur lib. 7. de Bapt. c. 51. de bonis & malis obſervat, quod licet alii, *qui licet ad compagem domus, ſeu ad ſocietatem juſtitiæ non pertineant, ſunt tamen in Eccleſia, ſicut paleæ ſunt in frumentis. Iſtos enim eſſe in domo negare non poſſumus dicente Apoſtolo in eadem domo eſſe vaſa in honorem, alia in contumeliam.* Rurſus lib. de vera Religione c. 5. hæc habet: *Neque enim in confuſione Paganorum, neque in purgamentis hæreticorum, neque in languore ſchiſmaticorum, neque in cæcitate Judæorum quærenda eſt religio, ſed apud eos ſolos, qui Chriſtiani Catholici, vel Orthodoxi nominantur, ideſt integritatis cuſtodes & recta ſectantes:* & cap. 6. *Carnales autem ſuos, ideſt viventes aut ſentientes carnaliter, tanquam paleas tolerat, quibus in area frumenta tutiora ſunt, donec talibus tegminibus exuantur, ſed quia in hac area pro voluntate quiſque vel palea, vel frumentum eſt, tamdiu ſuſtinetur peccatum cujuslibet, donec aut accuſatorem inveniat, aut pravam opinionem pertinaci animoſitate defendat.* Celebriora hujus S. Doctoris teſtimonia erui poſſunt ex libris contra Epiſtolam Petiliani, de unitate Eccleſiæ c. 12. & 13. ex libris contra Parmenianum, aliiſque multis ſuorum operum locis. Lege ſimiliter Tertullianum & Cyprianum, & illos omnes, qui aſſeruerunt invalidum quidem Baptiſma ab Hæreticis collatum, non autem a peccatoribus; Hieronymum adverſus Luciferianos, & Fulgentium in lib. de fid. ad Petr.

Ultimo Catholicum dogma ratione comprobatur. Siquidem illi ſunt in Eccleſia, quibus Sacramentum confertur Pœnitentiæ, atqui peccatoribus Pœnitentiæ Sacramentum confertur: Ergo &c. Deinde Eccleſia viſibilis eſt, ut infra probabimus, ſed inviſibilis eſſet, ſi peccatores non eſſent

in

in Eccleſia ; non poſſent enim occulta vitia a virtutibus diſtingui : Ergo &c.

*Satisfit Objectionibus.*

Ob. 1. Canticor. lib. c. 4. v. 7. de Eccleſia dictum eſt : *Tota pulchra es amica mea, & macula non eſt in te:* Ergo &c.

Reſp. S. Auguſtinum duplici modo interpretatum fuiſſe allata Canticorum verba. Libro ſcilicet retract. 1. c. 19. & lib. 2. c. 18. de Eccleſia Triumphante intellexit, & lib. 2. de Civ. Dei c. 28. ſine macula aſſeruit dici Eccleſiam comparative ad veterem Synagogam. Admiſſa hic duplici S. Doctoris interpretatione, quæ ſane argumentum penitus enervat, dici etiam poteſt, Eccleſiam eſſe ſine macula, non quoad ſingulorum membrorum ſanctitatem, ſed quoad ſanctitatem doctrinæ & morum, quam docet & præcipit Eccleſia.

Ob. 2. Paulus in ſua ad Epheſios Epiſtola 5. 27. ſcribit: *Chriſtum ſeipſum tradidiſſe pro ea, ut exhiberet eam glorioſam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid ejuſmodi, ſed ut ſit ſancta & immaculata;* Ergo &c.

Reſp. Cum Divo Auguſtino in libro de Perfectione Juſtitiæ contra Cæleſtium, in allato Apoſtoli textu intelligi Eccleſiam, quæ per Baptiſmum redditur ſancta & immaculata. Quanquam nec Græcorum PP. officit interpretatio, qui hoc in loco intelligunt non Eccleſiam abſolute immaculatam & ſimpliciter, ſed ſecundum quid tantummodo, quatenus nempe in ſuis præſtantioribus membris nullam habeat maculam.

Ob. 3. Iſaiæ 52. 1. de Chriſti Eccleſia iſta pronunciat : *Non adjiciet ultra, ut pertranſeat per te incircumciſus & immundus:* Ergo peccatores &c.

Reſp. cum S. Auguſtino lib. cont. Donatiſtas c. 8. & 20. verba hæc intelligenda eſſe de Eccleſia Triumphante. Vide S. Doctorem citato loco & in Breviculo collationis diei tertiæ.

Inſtab. Verſu 11. ſequenti, ait propheta : *Recedite recedite exinde, pollutum nolite tangere exite medio ejus.* Ergo antecedentia verba nequeunt intelligi de Eccleſia triumphante.

Reſp. Nego conſequentiam. Quamquam nonnulli ex Theologis hæc verſus undecimi verba intelligant de Militante Eccleſia, quatenus nempe ſeparari debeamus animo & corpore, non autem corporaliter a Sacramentis; tamen

non videmus, quomodo & de eadem Triumphante Eccleſia nequeant intelligi, de cujus medio recedet omnis, qui immundum & pollutum tetigerit, ideſt qui peccatorum ſordibus non fuerit expurgatus.

Ob. 4. Ad Rom. 8. 9. hæc habentur: *Si quis autem Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus;* Sed peccatores & impii Spiritum Dei non habent: Ergo &c.

Reſp. Hæc ſolum probare peccatores & impios non eſſe viva Chriſti membra, palmites fructuoſos in vite, non tamen inde ſequi ad Chriſti corpus non pertinere quoad externam unionem, & quoad internam fidem, quæ motum exercet aliquem in membris aridis & imperfectis.

Ob. 5. nonnulla ex D. Auguſtino petita argumenta. Vide tract. 6. n. 12. lib. de unit. Eccleſiæ c. 21. n. 60. & c. 22. contra Creſconium c. 21. & lib. 3. de Baptiſmo c. 18. quæ omnia hoc S. Doctoris ratiocinio continentur, dum ipſe contra Donatiſtas ſcriberet. Donatiſtæ (en Auguſtini argumentum) ab Hæreticis baptizatos rebaptizant, quoniam Hæretici non ſunt in Eccleſia, cui ſoli data ſunt ſacramenta, ſed peccatores non ſunt in Eccleſia, & tamen peccatorum Baptiſma non iterant Donatiſtæ; Ergo Donatiſtarum doctrina eſt invicem pugnans: Ergo S. Doctor ſupponit, parem eſſe peccatorum & hæreticorum conditionem, quantum ad eorum excluſionem ab Eccleſia.

Reſp. Quæcumque ex Auguſtino peti poſſunt hac in re argumenta facillime exſufflari, dummodo vis Auguſtinianæ argumentationis attendatur, & Donatiſtarum error perſcrutetur. Sentiebant igitur Donatiſtæ, a probitate miniſtri valorem pendere Sacramenti, & impium miniſtrum Spiritum ſanctum dare non poſſe, cum in eo Spiritus ſanctus non eſſet. Hinc inferebant, validum non eſſe baptiſma collatum ab hæreticis. Cum vero ex alia parte opinarentur, Eccleſiam conſtare ſolis juſtis, Baptiſmum ab impiis & peccatoribus collatum non iterabant, ſed validum eſſe cenſebant. Quamobrem Auguſtinus merito ipſos Donatiſtas præcedenti urgebat argumento, ut eos inſcitiæ & contradictionis accuſaret. Qua de re quoties S. Doctor enuntiat peccatores non eſſe in Eccleſia, non eſſe membra columbæ, Eccleſiam eſſe ſicut lilium inter ſpinas & ſimilia, vel in ſententia Donatiſtarum iſta pronuntiat, vel Eccleſiam intelligit inadæquate ſumptam, ideſt quoad viva ipſius membra.

Inſtab. S. Auguſtinus lib. 5. contr. Donat. c. 27. refellit S. Cy-

S. Cyprianum, eo quod docuiſſet: improbos eſſe in Eccleſia: Ergo &c.

Reſp. Nego antec. Tantum enim abeſt, quod hac de cauſa Cyprianum improbaverit Auguſtinus, quin potius eamdem tuetur ſententiam lib. 4. contra Donatiſtas c. 12. Itaque contra Cyprianum ſtylum movit S. Doctor, non quod Cyprianus docuerit, improbos eſſe in Eccleſia, ſed quod rejiceret Baptiſma ab hæreticis collatum, quod certe rejicere non debuiſſet, ſicuti non rejiciebat Baptiſmum collatum ab impiis, cum tamen juxta rebaptizantium principia potior ratio non eſſet, cur deberet hæreticorum rejici Baptiſma, & non peccatorum, cum ex his nemo Spiritum ſanctum haberet.

Ob. 6. Ex his ſequitur duas eſſe diſtinguendas Eccleſias: unam ex bonis, alteram ex bonis & malis conſtantem; ſed hoc dici nequit, quin in adverſariorum caſtra tranſeamus: Ergo &c.

Reſp. Duas admittendas eſſe vel plures Eccleſiæ partes, ſicuti diverſa diſtingui poſſunt Eccleſiæ tempora. Siquidem & boni & mali membra ſunt Eccleſiæ, ut dictum eſt, ſed boni uno modo, alio modo ad Eccleſiam pertinent mali, boni veluti pars Eccleſiæ interior, mali veluti pars exterior. Ita aliud eſt tempus Eccleſiæ præſens, aliud eſt tempus Eccleſiæ in futuro, quin tamen diverſæ admittendæ ſint Eccleſiæ, cum unus ſit Chriſtus Eccleſiæ caput.

Ob. 7. Eccleſia eſt ſancta: Ergo conſtat ex ſolis Sanctis.

Reſp. Diſt. ant. Eccleſia eſt ſancta formaliter conc. ſubjective nego ant. & conſequent.

Ob. 8. Impii non habent Deum Patrem: Ergo ad Eccleſiam non pertinent.

Reſp. Diſt. ant. non habent Deum Patrem, quatenus non habent Spiritum ſanctum in ſe manentem conc. ant., quatenus non ſunt in Eccleſia. Nego ant. & conſeq. Reſponſio patet ex dictis in reſponſione ad Ob. 4.

## Conclusio III.

*Publici hæretici non ſunt in Eccleſia.*

Breviter Scripturis & ratione probatur: & quidem c. 3. 10. Epiſtolæ ad Titum inquit de hæreticis Apoſtolus Paulus: *Hæreticum hominem poſt unam & alteram correptionem devita ſciens, quia ſubverſus eſt, qui ejuſmodi eſt & delinquit, cum ſit proprio judicio condemnatus.* Unde ſic arguo: Paſtores Eccleſiæ debent ea curare, quæ ad proprias oves

pertinent, ſed hæreticum hominem vitare debent ex laudatis verbis: Ergo hæreticus inter oves non eſt adnumerandus: Ergo non eſt in Eccleſia. Rurſus D. Hieronymo interprete qui eſt *proprio judicio condemnatus* ſemetipſum ejicit ab Eccleſia, & Paſtoris prævenit ſententiam; ſed hæreticus *proprio judicio condemnatus eſt:* Ergo &c.

Præterea in epiſtola Joannis c. 2. 19. hæc legimus: *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis, nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiſcum*. Ideſt non erant ex nobis ſecundum divinam electionem, ait lib. De Dono Perſ. M. Auguſtinus c. 8.

Hæc omnia argumentis a ratione petitis confirmantur. Hæretici in externa fidei profeſſione non conſentiunt, Sacramenta non ſuſcipiunt, & debitam paſtoribus legitimis ſubiectionem non profitentur: Ergo non ſunt in Eccleſia. Denique qui Eccleſiam non audiunt, extra Eccleſiam cenſendi ſunt; ſed hæretici Eccleſiam non audiunt: ergo extra Eccleſiam cenſendi ſunt.

*Solvuntur Objectiones*.

Ob. 1. SS. PP. verba illa Matthæi c.13. *Cum autem dormirent homines, venit inimicus ejus, & ſuperſeminavit zizania in medio tritici*, interpretantur de Eccleſia, in qua granum, paleæ & zizania adinveniuntur, ſcilicet boni, mali, & hæretici. Ita S. Hieronymus hoc in loc. S. Auguſtinus in Breviculo collat., diei 3. contr. Donat. c.8. &9. & lib. 2. contr. Creſconium c. 34. & Serm. 18. de Verbis Domini, & Theophylactus Hom. 48. in Matth. Ergo &c.

Reſp. 1. SS. PP. in ſcripturis interpretandis non ſemper eumdem ſcopum habuiſſe, ſed diverſa pro diverſarum rerum occaſione tractaſſe: 2. in c. 13. S. Matthæi expreſſe agri nomine non Eccleſia, ſed mundus deſignatur. Hanc enim parabolam rogantibus diſcipulis ſic Chriſtus exponit: *Qui ſeminat bonum ſemen, eſt filius hominis. Ager autem eſt mundus. Bonum vero ſemen hi ſunt filii regni. Zizania autem filii ſunt nequam. Inimicus autem qui ſeminavit, eſt diabolus &c.* Hæretici ergo pertinent ad Eccleſiam ea ratione, qua ad Eccleſiam ſpectat diabolus, quem in Eccleſia eſſe ſolus poterit hæreticus affirmare.

Ob. 2. Apoſtolus 2. ad Timotheum c.2. 20. Eccleſiam magnæ domui comparat, in qua ſunt vaſa aurea & argentea, lignea & fictilia, intellige juſtos peccatores & hæreticos: Ergo &c. Ita S. Cyprianus Epiſt. 51. Auguſtinus lib. 4. contr. Donat. c. 12.

Reſp.

Reſp. 1. S. Cyprianum per vaſa lignea & fictilia peccatores quidem, non hæreticos manifeſtos intellexiſſe. Et re quidem vera in citata ſuperius Epiſtola de Novatiano hæretico aperte aſſerit, illum eſſe extra Eccleſiam; & Novatiani aſſeclas valide confutat, qui Eccleſiam ex ſolis juſtis conſtare autumabant. Quare legatur S. Cypriani allata epiſtola. Deinque tantum abeſt Cyprianum exiſtimaſſe, hæreticos eſſe intra Eccleſiam, quin potius hac de cauſa facultatem illis negavit valide baptizandi.

Quæ vero fuerit S. Agoſtini mens, non melius dignoſci poteſt, quam ex lib. 3. de Baptiſmo c. 19. in quo hanc præpræclariſſimam exhibet Paulini teſtimonii interpretationem hiſce verbis: *Dicit Apoſtolus Paulus de quibuſdam, qui circa veritatem aberraverant, & fidem quorundam ſubvertebant, quorum ſermo ut cancer ſerpebat, quos cum evitandos eſſe diceret, in una tamen magna domo eos fuiſſe ſignificat, ſed tanquam vaſa in contumeliam. Credo, quod nondum foras exierant. Aut ſi foras exierant, quomodo eos dicit in eadem magna domo cum vaſis honorabilibus? niſi forte propter ipſa Sacramenta, quæ ſeparatis etiam hæreticorum conventiculis, non mutata ſunt, ad unam magnam domum dicit omnes, ſed diverſis meritis pertinere, alios in honorem, alios in contumeliam.*

Ob. 3. S. Hieronymus in Dialogo adverſus Luciferianos ſic loquitur: *Arca Noe Eccleſiæ typus fuit..... ut in illa omnium animalium genera, ita & in hac univerſarum & gentium & morum ſunt homines. Ut ibi pardus & hœdi, lupus & agni, & hic juſti & peccatores, id eſt vaſa aurea, argentea cum ligneis & fictilibus commorantur.* Ex quibus Hieronymi verbis evincitur, hæreticos eſſe in Eccleſia, quos lupos eſſe nec ullus negabit: Ergo &c.

Reſp. Licet hæreticos deſignet Hieronymus in ſuo contra Luciferianos Dialogo, nullum tamen inde accedit præſidium adverſariorum falſo ſyſtemati. Siquidem illi, contra quos diſputabat S. Doctor, rejiciebant ab hæreticis baptizatos, admittebant tamen baptiſma ab improbis collatum miniſtris. Qua de re Hieronymus hoc argumento eos premebat: peccatores ſunt in Eccleſia, licet non habeant Spiritum ſanctum: Ergo licet hæretici Spiritum ſanctum non habeant, ſunt in Eccleſia quoad jus & poteſtatem baptizandi, de qua tunc erat quæſtio, non vero quoad unionem aut internam, aut externam, de qua nulla habebatur controverſia.

Ob. 4. Eccleſia hæreticos punit, atque eos anathemate percutit: Ergo hæretici pertinent ad Eccleſiam.

Reſp. 1. Hæreticos ad Eccleſiam pertinere ratione baptiſmatis, ut dictum eſt ſupra. 2. Eccleſia illos punit, ut corrigantur. Sic ovis, quæ fugit, non eſt in ovili quidem, ſed ad ovilem pertinet, cum redire poſſit; idem dic de ſervo transfuga, aliiſque ſimilibus.

Ob. 5. Hæretici habent omnes baptiſmi characteres, nonnulli vero ſacerdotii: Ergo &c.

Reſp. Etiam in damnatis utrumque adinveniri characterem. Suntne ergo damnati membra Eccleſiæ? id profecto negant omnes cum S. Thomæ: Vid. 3. p. q. 8. art. 3. Miles aufugiens cum Imperatoris vexillo pertinet ne ad exercitum, itaut vere dici poſſit eſſe in exercitu? Neminem arbitror ita deſipuiſſe, ut hoc credat.

Ob. ultimo. Qui vera habent Sacramenta, ſunt in Eccleſia, ſed hæretici vera habent Sacramenta, multi enim ex iis gratiam percipiunt: Ergo &c.

Reſp. Sacramenta illa Eccleſiæ eſſe, ex qua diſcedentes hæretici eorumdem uſum retinuerunt, non inde tamen ſequitur, eos eſſe in Eccleſia; neque enim ad Imperatoris exercitum pertinet, qui ab exercitu transfuga vexillum ſecum aſportavit. Præterquamquod falſum univerſaliter arbitror, ſacramenta ab hæreticis collata gratiam conferre, ſiquidem parvulis exceptis, & adultis, qui ſimplici corde veritatem quærunt, parati ei adhærere, cum primum eam cognoverint, reliqui ſane, qui hæreſi miniſtrorum conſentiunt, nullam conſequuntur Sacramentorum gratiam.

### C o n c l u s i o IV.

*Schiſmatici extra Eccleſiam deputantur.*

Quomodo hæretici a ſchiſmaticis diſtinguantur, docet S. Auguſtinus lib. de fid. & Symbolo c. 10. hiſce verbis: *Hæretici de Deo falſa ſentiendo ipſam fidem violant, ſchiſmatici autem diſciſſionibus iniquis a fraterna charitate diſſiliunt, quamvis ea credant, quæ credimus.* Unde etiam pro more ſuo accurate Angelicus Doctor 2. 2. q. 39. ad 3. ſubjungit: *Hæreſis per ſe opponitur fidei: ſchiſma vero per ſe opponitur unitati Eccleſiaſticæ charitatis, & ideo ſicut fides & charitas ſunt diverſæ virtutes . . . . . ita ſchiſma & hæreſis ſunt diverſa vitia.* Hiſce præmiſſis.

Dem. Propoſ. quæ expreſſa eſt in operibus S. Auguſtini, & præſertim in citato lib. in quo poſt allata verba hæc ſequuntur: *Quapropter nec hæretici pertinent ad Eccleſiam*

Ca-

*Catholicam, quæ diligit Deum, nec ſchiſmatici, quoniam diligit proximum*. Quibus ſane adſtipulatur S. Cypriani & Optati Milevitani auctoritas; ille enim Ep. 96. hæc ſcribit: *Eccleſia, quæ catholica eſt, una eſt, ſciſſa non eſt, nec diviſa, ſed utique connexa, & cohærentium ſibi invicem ſacerdotum glutino copulata*. Hic vero lib. 1. contra Parmen. de ſchiſmaticis ita loquitur: *Deſerta Matre Catholica impii filii, dum foras exeunt, & ſe ſeparant (ut vos feciſtis) a radice matris Eccleſiæ, invidiæ falcibus amputati, errando rebelles abſcedunt*. Neque dicas cum Jurio, hunc palmarem fuiſſe Africanorum PP. errorem. Similia enim Chryſoſtomus tradidit, qui Hom. 11. ad Epheſ. docuit, ſchiſmaticos ſimiles eſſe manui amputatæ, quæ corporis membrum eſſe deſiit: & S. Hieronymus in c.3. Ep. ad Titum expreſſe aſſeruit, hæreticos & ſchiſmaticos ab Eccleſia pariter ſeparatos eſſe. Adde præclariſſimum Ambroſii teſtimonium, qui de Satyro fratre ſuo jam defuncto lib. 1. de exceſſu fratris hæc narrat: *Advocavit ad ſe Epiſcopum, nec ullam veram putavit, niſi veræ fidei gratiam, percunctatuſque ex eo eſt, utrumnam cum Epiſcopis catholicis, hoc eſt cum Romana* (nota verba) *Eccleſia conveniret. Et forte ad id locorum in ſchiſmate regionis illius Eccleſia erat. Lucifer enim ſe a noſtra tunc temporis communione diviſerat, & quamquam pro fide exulaſſet, & fidei ſuæ reliquiſſet hæredes, non putavit tamen fidem eſſe in ſchiſmate. Nam etſi fidem erga Deum tenerent, tamen erga Dei Eccleſiam non tenebant, cujus patiebantur velut quoſdam artus dividi, & membra lacerari. Etenim cum propter Eccleſiam Chriſtus paſſus ſit, & Chriſti corpus Eccleſia ſit, non videtur ab his exhiberi Chriſto fides, a quibus evacuatur ejus paſſio, corpuſque diſtrahitur*. Hucuſque Mediolanenſis Antiſtes ſanctiſſimus, cujus verba nulla indigent commentatione. His adde, quæ de Eccleſiæ unitate infra dicturi ſumus.

*Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1. Duo præ cæteris in S. Litteris occurrunt exempla, quæ ſchiſmaticos eſſe in Eccleſia mirifice probant: Ergo &c. Prob. anteced. & 1. quidem ex eo quod facta ſeceſſione decem tribuum ſchiſma factum eſt in Judæorum Eccleſia, nec ullus unquam aſſeruit, decem tribus in Judæorum Eccleſia non fuiſſe. 2. Temporibus Apoſtolorum viſæ ſunt duo fidelium communiones, Gentilium videlicet, & judaizantium, quæ in nullo exteriori vinculo conveniebant; Erant ergo tunc temporis ſchiſmatici, qui tamen non erant ab Eccleſia præciſi. Reſp.

Reſp. Nihil efficere primum exemplum contra propoſitionis noſtræ ſoliditatem. Siquidem diſtinguendum eſt inter illos, qui ſchiſmati Ieroboam adhæſerunt. Alii enim prophana & delubra coluerunt, & Baal ſacrificia obtulerunt, coluerunt que Idola impietatis; alii e contra Principis edictum ſequuti ſunt coacti quidem, deſiderio enim & animo cum Juda communicabant. Et certe apud ipſos extiterunt Prophetæ Elias, Eliſæus, aliique, qui ſacrificiis exceptis in Hieruſalem peragendis omnia tamen ad religionem ſpectantia ſervabant, ut patet ex 4. Reg. 4. 23. Primi quidem ſchiſmatici erant, non ſecundi.

Nec aliquid ſonat ſecundum de primis Chriſtifidelibus exemplum. Siquidem Judæos illos, qui ex veteri lege aliqua obſervabant, vel tolerabat Eccleſia, vel non. Si primum non erant ſchiſmatici; ſi ſecundum: erant ab Eccleſiæ communione ſegregati.

Ob. 2. Ex quo ſchiſmatici in aliquibus cum Catholicis conveniant, dici debent in Eccleſiæ unitate: ergo &c. Prob. ant. ſplendidiſſima S. Auguſtini auctoritate, qui lib. 1. contr. Donatiſtas c. 1. hæc habet: *In quo enim nobiſcum ſentiunt, in eo etiam nobiſcum ſunt, in eo autem a nobis receſſerunt, in quo a nobis diſſentiunt..... Si ergo qui receſſit ab unitate aliquid aliud agere voluerit quam quod in unitate perceperit, in eo recedit, atque disjungitur: quod autem ita vult agere, ſicut in unitate agitur, ubi hoc accepit & didicit, in eo manet atque conjungitur:* Ergo &c.

Reſp. Non poſſe ſchiſmaticos in Eccleſiæ unitate comprobari ex allato Auguſtini teſtimonio. Imprimis enim licet S. Doctor aſſerat, ſchiſmaticos cum catholicis convenire in aliquibus, tamen in aliquibus disjungi aperte fatetur. Deinde ſupponit expreſſe ſchiſmaticos in Eccleſiæ unitate non eſſe, inquit enim: *Si ergo qui receſſit ab unitate*. Denique ex quo dicat: *In eo manet atque conjungitur*, non ad Eccleſiæ unitatem reſpicit, ſed ad Sacramentorum adminiſtrationem, quæ communis eſt ſchiſmaticis, atque Catholicis quidem, ſed non ſufficit ad probandam utrorumque unitatem.

Ob. 3. Schiſmatici Chriſto inſerviunt per exteriorem fidei profeſſionem: Ergo &c.

Reſp. Non tantum neceſſariam eſſe externam fidei profeſſionem, ſed & obedientiam & ſubjectionem legitimis Paſtoribus, qualem Chriſtus inſtituit.

Plura alia contra Theſim noſtram adduci ſolent, quæ ſuis locis

locis ſolvenda relinquimus, & præſertim cum de Eccleſiæ unitate inſtituemus diſputationem.

## Conclusio V.

*Excommunicati non ſunt in Eccleſiæ unitate.*

Scripturis, & PP. teſtimonio roboratur.

Matthæi c. 18. 17. *Si Eccleſiam non audierit*, inquit Chriſtus, *ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*. Quibus in verbis Ethnico comparatur excommunicatus, ſed Ethnicus non eſt in Eccleſia. Ergo &c.

In Prima ad Corinth. 5. 11. 13. legitur, Apoſtolum Corinthium inceſtuoſum tradidiſſe Satanæ, ſed qui cum Satana eſt, in Eccleſiæ unitate non vivit: Ergo &c.

Inter PP. teſtimonia clariſſima ſunt S. Cypriani verba Ep. 62. ad Pompejum. *Spiritali gladio*, inquit præclariſſimus ille Chriſti Martyr, *ſuperbi & contumaces necantur, dum de Eccleſia ejiciuntur. Neque enim vivere foris poſſunt, cum domus Dei una ſit, & nemini ſalus eſſe, niſi in Eccleſia poſſit.*

Iſta confirmat S. Hieronymus, qui in c. 3. Epiſt. ad Titum hæc habet: *Fornicator, adulter, homicida, & cætera vitia per Sacerdotes de Eccleſia propelluntur. Hæretici aut in ſemetipſos ſententiam ferunt ſuo arbitrio de Eccleſia recedentes.*

Sed audiamus Auguſtinum, qui quæſt. 39. in Deuteron. aſſerit; *hoc nunc agere excommunicationem, quod agebat tunc interfectio*, & lib. de Corrept. & Gr. c. 15. *per excommunicationem*, inquit, *ſeparari ab ovibus ſanis ovem morbidam, ne per plures ſerpant dira contagia*. Et denique lib. de unit. Eccleſ. c. ultimo expreſſe docet, *excommunicari eſſe viſibiliter præcidi a corpore Eccleſiæ.*

### *Solvuntur Objecta.*

Ob. 1. S. Auguſtinus lib. contr. Donat. poſt Collat. hæc habet c. 20. *A populo Dei non ſeparamus, quos vel degradando, vel excommunicando ad humiliorem pœnitendi locum redigimus*. Ergo excommunicati ab Eccleſiæ unitate non præciduntur.

Reſp. S. Doctorem loqui de ea ſeparatione, quæ perpetua eſt, & abſque ſpe reditus: vel dici etiam poteſt, quod probabilius exiſtimamus, per populum Dei intelligere Auguſtinum pios & juſtos homines, quorum commercio non privantur excommunicati, ut eorum monitis & ſuaſionibus in viam poſſint redire juſtitiæ.

Ob. 2. Excommunicatio eſt medicina: Ergo in utilitatem da-

datur; Non ergo ab Eccleſiæ vinculo diſſolvit.

Reſp. diſting. ultimum conſequens, non diſſolvit in perpetuum, conc. ad tempus, nego conſequentiam. Reſponſio ex diſtinctione patet.

## Conclusio VI.

*Catechumeni non ſunt actu in Eccleſia.*

Dem. SS. PP. ſemper Catechumenos a fidelibus ſejunxerunt: Ergo &c. Prob. antec. S. Gregorius Nazianzenus orat. 40. in S. Baptiſ. *Quamdiu*, inquit, *in Catechumenorum numero es, in pietatis veſtibulo es, intrare te oportet, atrium pertranſire, ſancta contueri, in Sancta Sanctorum proſpicere, cum Trinitate conjungi &c.* Similia profert S. Jo. Chryſoſtomus, qui Hom. 24. in Joannem Catechumenum a fideli alienum aperte pronuntiat. Omitto Tertullianum lib. de præſcript. S. Cyrillum lib. 11. in Joan. alioſque plures, apud quos inconcuſſa & ſatis eſt explorata Eccleſiæ traditio.

Atque hæc rationi quidem ſunt conſona. Siquidem illi non ſunt in Eccleſia, qui per Baptiſmum Chriſto nondum inſerti ſunt, & nullum habent jus ad cætera Sacramenta, ſed res ita ſe habet: Ergo &c.

*Diluuntur Adverſariorum argumenta.*

Ob. 1. Catechumeni ſalvari poſſunt, ſi decedant ante ſuſceptum Baptiſma: Ergo ſunt in Eccleſia.

Reſp. Licet Catechumeni nondum ſint initiati Baptiſmate, fidem tamen & perfectam charitatem cum Baptiſmatis deſiderio habere poſſunt; nil mirum ergo, ſi & ſalutem poſſint æternam conſequi.

Ob. 2. S. Auguſtinus tract. 4. in Joan. reponit in Eccleſia Catechumenos: Ergo &c. probat. antec. S. Doctoris verbis: *Intendat charitas veſtra: futuri erant aliqui in Eccleſia excelſioris gratiæ Catechumeni:* Ergo &c.

Reſp. diſting. antec. & ſimul explico ſenſum verborum: Reponit Catechumenos in Eccleſia improprie in potentia ſcilicet & in voto. conc. proprie & actu, nego antecedens. Reſponſio per ſe patet: ſed de membris Eccleſiæ multa diximus ſatis.

## CAPUT II.

### *De unitate Eccleſiæ.*

UNiverſalem Chriſti Eccleſiam in varias ſocietates diffuſam eſſe, quæ fidei articulos fundamentales profiteantur,

tur, a Jurio præſertim edocti recentiores tenent Proteſtantes; qui ejus unitatem ex tot Eccleſiarum univerſalitate deſumunt. Quæ autem ſit Catholicorum ſententia, ſequentibus propoſitionibus exponendum.

### Conclusio I.

*Una eſt Chriſti Eccleſia.*

Ita Catholici & Proteſtantes tenent, ac facillime demonſtratur.

Et 1. Sacris litteris, in quibus Eccleſia Corpus Chriſti dicitur, Ovile, & Sponſa nuncupatur; comparatur autem Terreſtri Paradiſo, Templo Hieroſolymitano, & veſti Chriſti inconſutili. Atque hanc Eccleſiæ unitatem perbelle ex variis membrorum officiis coarguit Apoſtolus dicens 1. ad Cor. 12, 12. *Sicut enim corpus unum eſt & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum ſint multa, unum tamen corpus ſunt, ita & Chriſtus. Etenim in una ſpiritu omnes nos in unum corpus baptizati ſumus;* & v.27. *Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra de membro.*

2. Conſtantiſſima accedit SS. PP. traditio. Et quidem S. Cyprianus de unit. Eccleſ. adverſ. Novatianos hæc habet: *Epiſcopatus unus eſt, cujus a ſingulis in ſolidum pars tenetur. Eccleſia quoque una eſt, quæ in multitudinem latius incremento fœcunditatis extenditur, quomodo ſolis multi radii, ſed lumen unum, & rami arboris multi, ſed robur unum tenaci radice fundatum.* Et in fine: *Deus unus eſt, & Chriſtus unus, & Eccleſia ejus & fides una, & plebs in ſolidam corporis unitatem concordiæ glutino copulata.* S. Optatus Milevitanus lib. 1. p. 8. *Chriſtus*, inquit, *ſponſus eſt unius Eccleſiæ, ſicut in Canticis Canticorum ipſe teſtatur, qui cum unam laudat, cæteras damnat.* Alia plura Auguſtini, & Hieronymi teſtimonia prætermittimus, cum jam ex ſuperioribus ſatis ſuperque de PP. traditione conſtet.

### Conclusio II.

*Eccleſia Romana centrum eſt unitatis.*

Dem. Ex jam dictis colligitur, unitatem Eccleſiæ in tribus conſiſtere, videlicet in eadem fide, in iiſdem Sacramentis, & in iiſdem Paſtoribus atque Miniſtris; ſed hi tres characteres in Eccleſia Romana conſpicui ſunt: Ergo &c. Deinde Eccleſia Romana Primatum habet ſuper omnes Eccleſias, ut ſuo loco oſtendemus: Ergo &c.

Et quidem rationi conſtans accedit PP. traditio, inter quos Optatus Milevitanus lib. 2. contr. Parmenianum hæc ſcri-

ſcribit: *Negare non potes, ſcire te in urbe Roma Petro primo Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam ..... in qua una Cathedræ unitas ab omnibus ſervaretur ...., ut jam ſchiſmaticus & peccator eſſet, qui contra ſingularem cathedram alteram collocaret*. Et Hieronymus ad Damaſum: *Hic*, inquit, *in tres partes ſciſſa Eccleſia me ad ſe rapere feſtinat; Ego autem clamito: ſi quis Cathedræ Petri jungitur, meus eſt*. Per cætera SS. PP. teſtimonia non percurrimus, quoniam de his alio in loco differendum erit.

## Conclusio III.

*Cæteræ hominum ſocietates, quorum fides ab Eccleſiæ Romanæ fide diverſa eſt, ab Eccleſiæ unitate certiſſime excluduntur.*

Licet plura ad hæc pertinentia attigerimus ſupra, cum de membris Eccleſiæ diſputatum eſt, nihilominus & hæc diſputationis gratia non piget adjungere, ut magis magiſque roboratam PP. teſtimonio Eccleſiæ unitatem veneremus, eamque contra calumniantium hominum dicteria ſtrenue ac fortiter defendamus.

Demonſtratur itaque Theſis noſtra SS. PP. auctoritate. Et quidem perſpicua ſunt S. Irenæi verba lib. 1. c. 10 adv. Hæreſ. *Nam etſi*, inquit ille, *in mundo loquelæ diſſimiles ſunt, ſed tamen virtus traditionis una, & eadem eſt. Et neque hæ, quæ in Germania ſunt fundatæ, Eccleſiæ aliter credunt, aut aliter tradunt, neque hæ quæ in Hiberis ſunt, neque hæ quæ in Celtis, neque hæ quæ in Oriente, neque hæ quæ in Ægypto, neque hæ quæ in Lybia, neque hæ quæ in medio mundi conſtitutæ*. Accedit Tertullianus, qui lib. de præſcript. c. 4. hæc habet: *Si hæc ita ſunt, conſtat proinde, omnem doctrinam, quæ cum illis Eccleſiis Apoſtolicis matricibus & originalibus fidei conſpiret, veritati deputandam; ſine dubio tenentem, quod Eccleſiæ ab Apoſtolis, Apoſtoli a Chriſto, Chriſtus a Deo accepit; omnem vero doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ ſapiat contra veritatem Eccleſiarum, & Apoſtolorum, & Chriſti, & Dei*. Pariter S. Clemens Alex. hac habet lib 7. Strom. *In unius naturæ ſortem cooptatur Eccleſia, quæ eſt una, quam conantur hereſes in multas diſcindere, eaque quæ antiqua eſt, & catholica, una eſt propter unitatem fidei*. Ita Origenes lib. 1. in Job: *Ad dimicandum*, inquit, *adverſus Eccleſiam, non tria tantum cornua, ſed innumera atque inæſtimabilia omnes ſectæ atque hereſes faciunt, per quas univerſas adverſus Eccleſiæ unitatem inceſſanter dimicant*. Eadem habet S. Hilarius lib.7. de

Tri-

Trinit. ubi ait : *Hæretici omnes contra Eccleſiam veniunt ; ſed dum hæretici omnes ſe invicem vincunt, nihil tamen ſibi vincunt. Victoria enim eorum Eccleſiæ triumphus ex omnibus eſt, dum eo hæreſis contra alteram pugnat, quod in hæreſi altera Eccleſiæ fides damnat, & inter hæc fidem noſtram, dum ſibi adverſantur, affirmant*. Denique S. Hieronymus contra Luciferianos firmiſſime pronunciat, *Societatem Marcionitarum, Valentinianorum, Montaniſtarum, Novatianorum non eſſe Eccleſiam Dei, ſed ſynagogam Antichriſti*. Nec deſunt Conciliorum Generalium definitiones firmiſſimæ. Quare vid. tom. 1. Concil. p. 1498. C. & tom. 2. p. 949. B. & 1205. D. Ex quibus omnibus SS. PP. teſtimoniis ita contra adverſarios argumentum inſtaurandum. Illi habent eamdem Eccleſiæ fidem, qui non aliter credunt, nec aliter tradunt, qui non ſapiunt contra veritatem Eccleſiarum & Apoſtolorum & Chriſti. qui non conantur Eccleſias in multis diſcindere, qui contra Eccleſiam non dimicant &c. Atqui ab Eccleſia Romana diffidentes ſocietates aliter credunt, aliter tradunt, contra veritatem ſapiunt Eccleſiarum, & Eccleſias conantur in multas diſcindere &c. Ergo &c. Vide præclariſſimum opus *de variatione Eccleſiarum* Illuſtriſſimi Boſſuetii Meldenſis Epiſcopi.

Atque hiſce omnibus accedunt validiſſima ex ratione deprompta argumenta. Siquidem membra, quæ non manent in corpore, areſcunt, ſed Hæretici non manent in corpore Eccleſiæ, quæ eſt una ; Ergo &c. Deinde Eccleſiæ membra in unitate conſentiunt doctrinæ, ſed hæreticorum ſectæ vix ortæ ſunt, in varia doctrinarum portenta ſciſſæ ſunt, quod ſane probatione non indiget. Siquidem ex Simonis hæreſi nonne Menandriani, Saturniani, Baſilidiani orti ſunt? ut fuſe S. Irenæus oſtendit lib. 1. c. 21. Nonne de Donatiſtis, ſcribit S. Auguſtinus lib. 1. de Bapt. c. 6. Donatiſtarum hæreſim in multa minutiſſima fruſtra ſuo tempore conciſam fuiſſe? Ex Marcionitis vero Lucianiſtas, Apellianos, Severianos natos fuiſſe docet Epiphanius lib. 1. contra hæreſ. Prætermittimus Montaniſtas, qui Pepuſianos, Artorytas Phrygaſtas genuerunt, Meſſalianos, qui Martyrianos, Sathanianos, Enthuſiaſtas protulerunt. Sed lege citatum ſupra Boſſuetii opus.

*Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1. Apud Catholicos alia eſt doctrina Theomiſtarum, alia Scotiſtarum &c. Diviſiones ergo quoque ſunt in Eccleſia Romana.

Reſp.

Reſp. Diſt. antec. Alia eſt doctrina &c. circa fidei dogmata, nego antec. circa ſcholaſticas controverſias, conced. antec. & neg. conſeq. Diſtinguendum igitur inter ſcholarum peculiares opiniones, & inter dogmata fidei. Hæc ſane juncto agmine tuentur ac propugnant totis viribus tam Scotiſtæ quam Thomiſtæ, aliique præclariſſimorum Doctorum diſcipuli, neque de his ulla eſt inter Romanæ communioni controverſiſtas diſſenſio. Diſſentiunt utique circa nonnulla ſcholarum placita, quæ in varias partes agitari Eccleſia permittit ad ingeniorum exercitium abſque eo quod alii alios erroris audeant inſimulare. Verum hæretici, qui hæc opponunt, circa fidei articulos diſſentiunt. Vide Cardinalem Hozium lib. 1. c. Brentium, & Caniſium in præfat. lib. Andreæ de Vega, alioſque.

Ob. 2. Eccleſia una eſt propter charitatem; ſequitur ergo illos, qui charitatem non habent, in Eccleſia non eſſe.

Reſp. Eccleſiam non tantum dici unam propter charitatem, ſed quid unionis vinculum habet in fide, in regimine, in ſubjectione legitimis paſtoribus, in Sacramentis &c. quæ ſufficiunt ad veram Eccleſiæ unionem formandam.

Ob. 3. Cuicumque hæreticorum ſectæ unitatis convenit character: Ergo &c.

Reſp. Non quibuſcunque hominum ſocietatibus illam convenire unitatis notam, quæ Eccleſiæ Chriſti convenit, quæque conſiſtit in eadem fidei regula, in eadem ſubjectione legitimis Paſtoribus, atque in eadem Sacramentorum participatione.

## CAPUT III.

### *De Eccleſiæ Sanctitate.*

UBicumque, inquit S. Auguſtinus lib. 2. Retract. c. 18. *commemoravi Eccleſiam non habentem maculam, aut rugam, non ſic accipiendum eſt, quaſi jam ſit, ſed quæ præparatur, ut ſit, quando apparebit etiam glorioſa. Nunc enim propter quaſdam ignorantias, & infirmitates membrorum ſuorum, habet unde quotidie dicat; Dimitte vobis debita noſtra.* Ex quibus S. Doctoris verbis patet, nos in præſenti diſputatione non omnium Eccleſiæ membrorum ſanctitatem, ſed illam, quæ in doctrina, & in ejus fundatoribus ac propagatoribus maxime elucet, vindicaturos eſſe, quam ſanctitatem

tem cum non habeant Acatholicorum Societates, ſequitur illas ſanctitatis nota minime poſſe inſigniri. Quare ſit

C o n c l u s i o.

*Sola Eccleſia Catholicorum ſancta eſt ea ſanctitate, quæ vere & proprie Chriſti competit Eccleſiæ.*

Dem. Siquidem *nihil turpe*, ut ait S. Auguſtinus lib. 2. de Civ. Dei c. 28. *ac flagitioſum ſpectandum imitandumque proponitur, ubi veri Dei aut præcepta inſinuantur, aut miracula narrantur, aut dona laudantur, aut beneficia poſtulantur*. Sancta ergo debet eſſe Eccleſia ſanctitate doctrinæ, ſed talis eſt Eccleſia catholicorum; nihil enim ipſa docet, quod non ſit ſanctiſſimum: quod credendum proponit, id vel ex Scripturis ſanctis, vel ex firmiſſima PP. traditione auctoritatem deſumit. Tanta vis præterea & efficacia eſt doctrinæ Eccleſiæ Catholicæ, ut ipſa in univerſo propemodum orbe gentes ex omni populo, & natione ſibi ſubdiderit, non arte verborum aut fuco ſermonis, ſed mirifica in omnibus ſimplicitate: Sancta ergo eſſe debuit Eccleſiæ catholicæ doctrina.

Sed etiam excellenti ac ineffabili ſanctitate prædita in humani generis Reparatore in Verbo Dei, qui eam fundavit ſanguine ſuo natus ex ſtirpe David Chriſtus filius Dei, qui fons eſt, & origo ſanctitatis & juſtitiæ. Sanctitatem habet in Apoſtolis, qui in omnem terram exierunt, & in fines orbis terræ eam propagarunt: habet in Martyribus, qui eam ſanguine conſecrarunt, ſuſtinueruntque, ac firmo & conſtanti animo pro Chriſto occubuere. Quæ omnia ſane inſignia ſunt excellentiſſimæ ſanctitatis.

*Diluuntur Objecta.*

Ob. 1. Etiam Mahumetana Religio in orbe mirifice propagata eſt, & hæreticorum ſectæ ſunt longe lateque diffuſæ: Ergo efficacia doctrinæ certum non eſt ſanctitatis indicium.

Reſp. 1. Mahumedis Religionem propagatam fuiſſe armorum vi, non perſuaſione doctrinæ, atque hominum lubidini plurimum indulſiſſe; unde nil mirum ſi ea longe lateque ab Oriente ad Meridiem propagata eſt. In eo potius mirari ſubeſt, quod univerſum orbem attigerit Religio Chriſtiana, quæ nonniſi dura præcipit, & relaxatos hominum mores ſeverioris diſciplinæ præceptis conſtanter continuit, quod ſane tribui non poteſt niſi doctrinæ ſanctitati. 2. Quod propagatæ fuerint hæreticorum ſectæ, nil mirum. Ea enim per illos reſciſſa ſunt, quæ magis ardua videbantur & oneroſa,

ut magis hominum faverent libertati. Verum quæ ſanctitas eſſe poteſt in tot hæreticorum ſectis, ſi per illos veteres errores jam pridem ab Eccleſia damnati renovantur? ſi vitia foventur, removentur virtutes? ſi harum ſectarum patroni & reformatores innumeris culpantur exceſſibus, Hiſtoricis omnibus undique conclamantibus?

Ob. 2. Eccleſia indiget reformatione: Ergo non eſt ſancta.

Reſp. Eccleſiam indigere reformatione non in doctrina, ſed relate ad diſciplinam. Fidei dogmata eadem ſemper fuerunt, non ita diſciplina, quæ pro diverſis temporum circumſtantiis varia eſſe potuit. Denique quot reformatores paſſa non eſt Eccleſia Proteſtantium?

## CAPUT IV.

### *De Catholicitate Eccleſiæ.*

C*Atholicam appellari Eccleſiam, quod per totum orbem terrarum diffunditur*, lib. 2. contr. litteras Petiliani S. Auguſtinus teſtatur c. 38. & S. Cyrillus Hieroſolymitanus, qui Catech. 18. hæc habet: *Catholica vocatur Eccleſia, quia per univerſum ſit orbem terrarum diffuſa a finibus terræ uſque ad extrema, & quia docet catholice, hoc eſt univerſaliter, & ſine ullo defectu, vel differentia omnia dogmata.* Quæ ſane horum SS. PP. teſtimonia, cum per ſe clara ſint & perſpicua, inquirendum hinc erit. 1. Num Catholicitas nota ſit veræ Eccleſiæ. 2. Num Eccleſia Romana ſit vere catholica.

### Conclusio I.

*Catholicitas nota eſt & character veræ Chriſti Eccleſiæ.*

Dem. Propoſitio contra Donatiſtas conſtantiſſima SS. PP. traditione. S. Auguſtinus enim lib. de vera Relig. c. 7. hæc habet: *Tenenda eſt nobis Chriſtiana Religio, & ejus Eccleſiæ communicatio, quæ catholica eſt, & catholica nominatur.* Et lib. contr. Epiſt. fundam. c. 4. *Multa ſunt*, inquit, *alia, quæ ejus* (catholicæ Eccleſiæ) *gremio me juſtiſſime tenent, tenet conſenſio populorum, atque gentium, tenet auctoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata .... tenet poſtremo ipſum catholicæ nomen, quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes, ſic iſta Eccleſia ſola obtinuit, ut cum omnes hæretici ſe catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad catholicam conveniatur,* nul-

*nullus hæreticorum, vel Baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere*. Eadem habet tract. 3. in Epiſt. Joannis, & lib. 3. contra Creſconium, nec non lib. 2. Oper. Imperf. contr. Julianum. Hiſce omnibus conſona ſunt, quæ in dialogo adverſus Luciferianos protulit S. Hieronymus hiſce verbis: *In illa Eccleſia permanendum eſt, quæ ab Apoſtolis fundata uſque ad hunc diem durat &c.* & clarius S. Cyrillus Hieroſolymitanus Catecheſi 18. *Neque id*, inquit, *tantum quæras ſimpliciter, ubi ſit Eccleſia, ſed ubi catholica Eccleſia. Hoc enim proprium eſt ſanctæ hujus, & matris omnium noſtrum, quæ eſt ſponſa Domini noſtri Jeſu Chriſti Unigeniti filii Dei*. Nec prætermittendus S. Optatus, qui lib. 2. contr. Parmenianum iſta profert: *Si apud vos tantummodo Eccleſiam eſſe, in Gallia, in Græcia, nec per tot innumerabiles inſulas, & cæteras Provincias, ubi vos non eſtis. Ubi ergo proprietas catholici nominis? Cum inde Eccleſia dicta ſit Catholica, quod ſit ubique diffuſa*. Plura alia ſunt SS. PP. teſtimonia apud Theologos præclariſſimos, quos videre poteris, atque conſulere ſi lubet.

## Conclusio II.

*Eccleſia Romana eſt catholica.*

Dem. Illa Eccleſia catholica eſt, quæ talis a SS. PP. fuit nuncupata, quæque per univerſum orbem diffuſa eſt; atqui Eccleſia Romana a SS. PP. Catholica nuncupata eſt, & per univerſum orbem diffuſa eſt: Ergo &c. Minor propoſitio quoad primam partem patet ex præcedenti propoſitione. Siquidem SS. PP. teſtimonia ibi recenſita Eccleſiam Romanam attingunt, in cujus communione erant PP. illi, quam ſane appellant catholicam. 2. Pars vero breviter oſtenditur. Eccleſia enim Romana diffuſa eſt in Oriente apud Indos, apud Perſas, apud Sinenſes, Japonitas, Siamenſes, & in omnibus ferme Orientis inſulis; in Occidente vero apud utriuſque Americæ incolas, in Europa, in qua florentiſſima eſt; & denique nullus eſt terrarum locus, ad quem Romanæ Eccleſiæ fides non pervenerit: Ergo &c.

*Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1. Eccleſia Romana non eſt in Anglia, Scotia, in Provinciis fœderatis, Dania, Svecia, majori Germaniæ parte, Tranſilvania, Moldavia, Valachia, Ruſſia, Moſcovia, &c. Ergo non eſt certe catholica.

Reſp. 1. Et in hiſce Provinciis Romanos adeſſe catholicos, qui non dominium, ſed uſum habent ſuæ Religionis. 2. Et Auguſtini tempore multos extitiſſe populos, qui Ro-

manæ Eccleſiæ fidem non agnoverant, cum nihilominus Eccleſia Romana & ab ipſo, & ab aliis Eccleſiæ PP. appellaretur Catholica. 3. Eccleſia Romana ita ubique diffuſa eſt, ut ceteras alias regiones ſeorſim ſumptas antecellat. 4. Denique, ut dictum eſt ſupra, nullus eſt terrarum locus, in quo Romanæ fidei veritas annuntiata non fuerit; quæ ſane omnia ſectariorum Eccleſiis nequeunt convenire. Unde præclare S. Auguſtinus ſerm. 137. de temp. *Diverſorum hæreticorum Eccleſiæ ideo catholicæ non dicuntur, quod per loca & per ſuas quæque Provincias continentur, hæc vero ab ortu ſolis uſque ad occaſum unius fidei ſplendore diffunditur.*

## CAPUT V.

*De Eccleſiæ Apoſtolicitate.*

Apoſtolicæ Eccleſiæ nomine Eccleſia illa deſignatur, quæ ab Apoſtolis traditam doctrinam conſervet, & ab Apoſtolorum regatur legitimis ſucceſſoribus. Eccleſiam Chriſti duobus hiſce characteribus debere inſigniri extra dubitationis aleam poſitum eſſe arbitror. Ita enim tradiderunt S. Irenæus lib. 3. adverſus hæreſes, Tertullianus de Præſcript. c. 20. & lib. 4. adverſ. Marcionem c. 4. S. Hieronymus in Epiſt. ad Pammach. S. Cyprianus Ep. 69. aliique plures ex Græcis & Latinis PP. Qua de re hoc tantum loco inquirendum ſupereſt, num videlicet Eccleſia Romana ſola gaudeat Apoſtolicitatis charactere. Unde fit

### Conclusio.

*Sola Eccleſia Romana eſt Apoſtolica.*

Dem. Contra Proteſtantes, præclariſſimo Tertulliani teſtimonio lib. de Præſcript. c. 36. inquit enim: *Age jam qui voles curioſitatem melius exercere in negotio ſalutis tuæ, percurre Eccleſias Apoſtolicas, apud quas ipſæ adhuc cathedræ Apoſtolorum ſuis locis præſident, apud quas ipſæ authenticæ litteræ eorum recitantur, ſonantes vocem & repræſentantes faciem uniuſcujuſque. Proxima eſt tibi Achaja, habes Corinthum, ſi non longe es a Macedonia, habes Philippos, habes Theſſalonicenſes, ſi potes in Aſiam tendere, habes Epheſum. Si autem Italiæ adjaces, habes Romam, unde nobis quoque auctoritas præſto eſt. Iſta quam felix Eccleſia, cui totam doctrinam Apoſtoli cum ſanguine ſuo profuderunt.* Hucuſque Tertullianus, cum & ſimilia edidiſſet c. 32. præcedenti

cedenti citati operis. Nec alia deſunt SS. PP. teſtimonia, quæ brevitatis gratia prætermittimus, quæque & citatis locis conſuli poſſunt, cum & ſuppetat ratio validiſſima argumenta. Siquidem illa fidei dogmata, de quibus Novatores audent cum Eccleſia Romana diſceptare, per prima quinque Eccleſiæ ſæcula deprædicata ac venerata ſunt, quod nec ipſi adverſarii audent diſſimulare. Sic Calvinus lib. 3. c. 4. n. 38. ait: *Omnes fere veteres, quorum libri exiſtunt, ubi de ſatisfactione agitur, aut hac in parte lapſos fuiſſe, aut nimis aſpere & dure loquutos:* & c. 5. n. 6. aſſerit, *ante mille & trecentos annos uſu receptum fuiſſe, ut precationes fierent pro Defunctis, ſed in errorem lapſos eſſe veteres*. Eadem pronunciat relate ad cœlibatum Sacerdotum, circa publicam Pœnitentiam, circa jejunium Quadrageſimale, ac propterea nec ipſi, clamat, Auguſtino parcendum eſſe. Doctrina ergo Eccleſiæ Romanæ Apoſtolica eſt.

Deinde Apoſtolicitas Eccleſiæ Romanæ comprobatur etiam ex non interrupta Petri ſucceſſorum ſerie, de qua ita Auguſtinus contra Epiſt. fund. c. 4. *Tenet me in Eccleſia ab ipſa ſede Petri Apoſtoli, cui paſcendas oves ſuas Dominus commendavit, uſque ad præſentem Epiſcopatum ſucceſſio Sacerdotum:* & in Pſalm. contra Partem Donati: *Numerate*, inquit, *Sacerdotes vel ab ipſa Petri ſede, & in ordine illo PP. quis cui ſucceſſit videte. Ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ*.

*Edant ergo*, ſic juvat ſuperbos Novatores alloqui cum Tertulliano lib. de Præſcript. c. 32. *Edant ergo origines Eccleſiarum ſuarum, evolvant ordinem Epiſcoporum ſuorum, ita per ſucceſſiones ab initio decurrentem, ut primus ille Epiſcopus aliquem ex Apoſtolis, vel Apoſtolicis viris, qui tamen cum Apoſtolis perſeveraverint, habuerit auctoritatem & anteceſſorem. Hoc enim modo Eccleſiæ Apoſtolicæ cenſus ſuos deferunt. Sicut Smyrnæorum Eccleſia habens Polycarpum ab Joanne conlocatum refert: Sicut proinde utique & ceteræ exhibent, quos ab Apoſtolis in Epiſcopatu conſtitutos Apoſtolici ſeminis traduces habent*. Profecto adeo clara ſunt Tertulliani verba, ut interpretatione minime indigere videantur. Oſtendant ergo adverſarii, quomodo Eccleſiæ Lutherana, Calviniana, Anglicana, & aliæ prorſus innumeræ ab Apoſtolis derivatæ ſint? Quomodo harum ſectarum Pſeudo-Epiſcopi valide ſuper miniſtros manus imponunt? Audiant profecto Cyprianum Epiſt. 32. ita loquentem: *Epiſcopi nec poteſtatem poſſunt habere, nec honorem, qui Epiſcopatus nec*

 *uni-*

*unitatem voluerunt tenere, nec pacem.*

Sed *Volo igitur & virtutes eorum proferre, niſi quod agnoſco maximam virtutem eorum, qua Apoſtolos in perverſum æmulantur:* proſequar cum Tertulliano de Præſcript. c. 30. Proferant ergo perverſi Hæretici, quæ in ſuæ fidei teſtimonium patraverunt prodigia. Nulla ſane: Niſi ea forſitan, de quibus loquitur Tertullianus citato in loco aſſerens quod *iſti de vivis mortuos faciunt*. Sola ergo Eccleſia Romana Apoſtolica dicenda erit.

*Solvuntur argumenta adverſariorum.*

Ob. 1. Summus Pontifex eligitur a Cardinalibus, qui ſunt inſtitutionis humanæ: Ergo ſucceſſio Romanorum Pontificum in Eccleſia Romana nullius eſt ponderis argumentum.

Reſp. Modum electionis ad diſciplinam ſpectare, modum ordinationis divinæ eſſe inſtitutionis. Romani Epiſcopi eliguntur a Cardinalibus, ordinantur tamen per impoſitionem manuum ab Epiſcopis.

Ob. 2. Plures ex Romanis Pontificibus innumeris apparuerunt fœdati flagitiis: Ergo eorum ſucceſſio in Romana Eccleſia character non eſt Apoſtolicitatis.

Reſp. Super Cathedram Moyſis ſediſſe Scribas & Phariſæos, & tamen a Chriſto mandatum fuiſſe, ut omnes ea facerent, quæ ipſi præſcriberent, non quæ ipſi facerent. Sedem Romanam ſanctam eſſe, ſanctam & legitimam Pontificum ſucceſſionem, & aliquorum corruptos mores divinæ providentiæ maximum eſſe indicium erga S. Petri Cathedram manifeſtiſſimum.

Ob. 3. Lutherus, Zuinglius, aliique reformatores ordinati ſunt in Eccleſia Catholica; ergo divinam habuerunt miſſionem ad Eccleſiam reformandam.

Reſp. 1. Falſum eſſe citatos hæreticos ordinatos fuiſſe in Eccleſia Catholica, ſed tantum a viris laicis, ut de ipſis merito dici poſſit cum Cypriano lib. de unit. Eccl. *Hi ſunt, qui ſe ultro apud temerarias convenas ſine divina diſpoſitione præficiunt, qui ſe præpoſitos ſine ulla ordinationis lege conſtituunt, qui nemine Epiſcopatum dante, Epiſcopi ſibi nomen aſſumunt.* 2. Licet prætenſi Reformatores in Eccleſia Romana ordinati fuiſſent, tamen ſtatim ac ſchiſma conflarunt ab jure quocumque exciderunt, ac idem de ipſis ferendum judicium, ac de Dioſcoro, Neſtorio, Cœleſtio, aliiſque, qui omni exauctorati ſunt miniſterio ſtatim ac in hæreſim prolapſi ſunt.

CA-

# CAPUT VI.

## *De viſibili Eccleſia.*

Circa Eccleſiæ viſibilitatem non fuit conſtans Reformatorum, ut ajunt, opinio, ſiquidem Eccleſiam primo viſibilem aſſeruerunt, ut patet ex confeſſione Auguſtana, in qua profitentur, *ſe credere unam ſanctam Eccleſiam, quæ in perpetuum duratura eſt, eamque eſſe ſocietatem ſanctorum, in qua recte annuntiatur Evangelium, & adminiſtrantur Sacramenta*. Quæ ſane reddunt Eccleſiam viſibilem. Idem habetur in articulis Smalcaldenſibus, quibus omnes Lutherani ſubſcripſerunt: idem in Confeſſionibus Saxonica & Witembergenſi, Bohemica, & Baſileenſi an. 1536. quibus Calviniſtæ ſubſcripſerunt. Verum cum negarent Catholici hæreticos eſſe in vera Eccleſia, idque hoc oſtenderent argumento, quod Eccleſia pſeudo-Reformatorum ante annos centum quinquaginta non erat viſibilis, preſſi hac difficultate Eccleſiæ adverſarii repoſuerunt, non ſemper Eccleſiam viſibilem fuiſſe, ſed aliquibus temporibus delituiſſe, id patet ex catechiſmo Calviniſtarum in Gallia, tum ex ipſo Calvino in præfat. inſtitut. Qua de re duo hic oſtendemus. 1. Eccleſiam ſemper viſibilem fuiſſe. 2. Hanc viſibilitatis notam ſoli Eccleſiæ Romanæ convenire.

### CONCLUSIO I.

*Chriſti Eccleſia eſt ſemper viſibilis.*

Dem. multiplici argumentorum genere, ſcripturis videlicet, PP. & rationibus Theologicis.

Eccleſiæ viſibilitas a Prophetis prænunciata fuit pluribus ſuorum vaticiniorum locis. Ita Iſaiæ 2. 2. Eccleſia ſub montis nomine deſignatur Hieronymo interprete in hunc locum. Pſalm. 18. ſoli comparatur juxta Auguſtinum tract. 2. in Epiſt. S. Joan. Deinde Chriſtus Eccleſiam ſuam indicavit Parabolis Agri, Areæ, Sagenæ, ad eam paſtores miſit Matth. 5. 13. promiſitque Eccleſiam ſuam ſuper Petram ædificandam. Denique Eccleſiam viſibilem eſſe ſatis superque tot ſuis Epiſtolis indicarunt Apoſtoli, ut ea re nihil clarius.

Accedit PP. traditio. Origenes Hom. 30. in Matth. *Eccleſia*, inquit, *plena eſt fulgore ab Oriente uſque ad Occidentem*. S. Joannes Chryſoſtomus Hom. 4. in c. 6. Iſaiæ: *Facilius eſt*, inquit, *ſolem extingui, quam Eccleſiam deleri*.

Et cæteris aliis omiſſis, S. Auguſtinus tract. 1. in Epiſtolam Joannis Eccleſiam oſtendit toto orbe conſpicuam: ait enim; *Nonne ille lapis crevit, & factus eſt Mons magnus, & implevit univerſum orbem terrarum? Numquid digito oſtendimus iſtum montem, quomodo oſtenditur hominibus tertia luna? V. G. quando volunt homines videre lunam novam dicunt: Ecce luna, ecce ubi eſt, & ſi ſunt ibi, qui non valent intendere aciem, & dicant ubi? intenditur illis digitus ut videant ...... Numquid ſic oſtendimus Eccleſiam fratres mei: Nonne aperta eſt? nonne tenuit omnes gentes, nonne impletur, quod ante tot annos promiſſum eſt Abrahæ, in ſemine ejus benedici omnes gentes? Ecce mons implens univerſam faciem terræ: Ecce civitas de qua dictum eſt: Non poteſt civitas abſcondi ſupra montem poſita*. Et lib. 2. contra litteras Petiliani: *Non eſtis*, inquit, *in civitate ſuper montem conſtituta, quæ certum ſignum hoc habet, quod abſcondi non poteſt. Nota eſt ergo omnibus gentibus: pars autem Donati ignota eſt pluribus gentibus; non eſt ergo ipſa.* Adde argumenta e ratione petita. Eccleſiæ membra ſe manifeſtant in externa fidei profeſſione, in eadem Sacramentorum participatione, & in debita Paſtoribus ſuis reverentia. Ergo Eccleſia, quæ ex ſuis conſtat membris, viſibilis eſt. Deinde ſi poſſet Eccleſia per aliquod tempus latere, vana eſſet fides noſtra, poſſent enim omnia ceſſare miniſteria, propter quæ Eccleſia eſt inſtituta, & hominum tunc temporis ſalus impoſſibilis redderetur: Ergo &c.

*Solvuntur Objecta.*

Ob. 1. Scriptura pluribus in locis indicat Eccleſiam eſſe inviſibilem: Ergo &c. Prob. anteced. multiplici Scripturarum ſanctarum eloquio. Lucæ 17. 21. de Eccleſia Chriſtus ait: *Non venit regnum Dei cum obſervatione: neque dicent ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnum Dei intra vos eſt*. Joan. 4. 23. *Veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate*. Hebr. 12. 18. *Non acceſſiſtis ad tractabilem montem, & accenſibilem ignem .... Sed ad Sion montem & civitatem Dei viventis Hieruſalem cæleſtem, & multorum millium Angelorum frequentiam, & Eccleſiam primitivorum, qui conſcripti ſunt in cælis*. 1. Petri 2. 5. *Ipſi tamquam lapides vivi ſuperædificamini, domus ſpiritualis, Sacerdotium ſanctum, offerentes ſpirituales hoſtias Deo*. Quæ omnia pleniſſimam probant Eccleſiæ inviſibilitatem.

Reſp. falſam ab adverſariis adduci ſcripturarum interpretationem. Hæc enim omnia nihil probant; & ſane non pri-

primum teſtimonium. Si quidem verba illa : *Non venit regnum Dei cum obſervatione* indicant regnum Meſſiæ non futurum eſſe cum dominatu & Imperio, quale expectabant Hebræi, ſed cum gratiæ ſpiritualis auxilio, ut interpretatur Theophylactus, de quo divinæ largitatis munere dictum eſt: *regnum Dei intra vos eſt*. Unde nihil hiſce in verbis de Eccleſia.

Sed & nihil in verbis Joannis. Præcipua enim pars divini cultus in interno conſiſtit, ita tamen ut cultus externus ſervari debeat. Cum vero Hebræi carnales eſſent, atque externis tantum dediti cæremoniis, cumque lex iſta abroganda eſſet, Chriſtus peroptime reſpondit, *Venit hora.... quando veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate*. Unde nihil hic de Eccleſia.

Relate ad Apoſtoli teſtimonium dicimus, comparationem in hoc ſitam eſſe, quod quemadmodum Hebræi ad montem acceſſerunt & accenſibilem ignem; ita Chriſti ſectatores ſpe accedunt ad montem cæleſtem & civitatem Dei viventis, quæ eſt ipſa Eccleſia triumphans. Quare ad militantem Eccleſiam verba iſta non reſpiciunt.

Ad Petri verba reponimus, ea dicta eſſe per oppoſitionem ad cultum Hebræorum. Illi enim toti erant in externo cultu ſovendo, in victimis videlicet mactandis, ſacrificiis offerendis, & in legalibus ſervandis cæremoniis : Cum autem Eccleſia Chriſti non externum tantum, ſed internum quoque cultum præſcribat, idque per quandam legis gratia excellentiam, hinc de hac mirifica colendi ratione loquitur Apoſtolus, non excluſo tamen externo cultu, de quo ſæpiſſime loquitur in ſuis Epiſtolis.

Ob. 2. Juxta Apoſtolum ad Rom. 12. 5. & ad Cor. 12. 27. Eccleſia eſt corpus Chriſti myſticum, ſed hoc eſt inviſibile: Ergo &c.

Reſp. Eccleſiam eſſe corpus Chriſti myſticum hoc in ſenſu, quod videlicet conſtet ex prædeſtinatis, juxta quem ſenſum loquitur Apoſtolus, hoc tamen non ſecluſo, quod ſit corpus etiam externum & reale, in quo adſunt Miniſtri, Sacerdotes & Sacramenta.

## C o n c l u s i o II.

### *Character viſibilitatis ſoli competit Catholicorum Eccleſiæ.*

Dem. ſuperioribus & ex Scripturis & ex PP. deductis argumentis. Ibi enim de Catholicorum Eccleſia, tam ſcripturæ, quam PP. loquuntur. Sed & hæc addenda ſunt.

Ca-

Catholicorum Eccleſia excellenti quodam dignitatis gradu ſupra omnes quaſcunque hominum ſocietates eminens eſt, permanens eſt, conſpicua eſt: Ergo ſupra omnes viſibilis.

Prob. antec. Eccleſia Catholica eminens, permanens & conſpicua fuit in numquam intermiſſa Romanorum Pontificum ſucceſſione; in Conciliorum ſuorum definitionibus, & in Hæreticis debellandis, id aſſerunt PP. & inconcuſſa id oſtendunt Hiſtoriarum monumenta: Ergo &c.

Atque iſti viſibilitatis characteres Pſeudo-Reformatorum ſectis minime reperiuntur. Dicant enim quomodo coram Pſeudo-Eccleſiæ viſibiles fuerunt ante Reformationem, ſi nondum a Romana Eccleſia defecerant? Quæ in contrarium opponi poſſunt jam ſupra ſoluta ſunt.

## CAPUT VII.

### *De Eccleſiæ indefectibilitate.*

Eccleſiam Triumphantem indefectibilem eſſe concedunt Novatores: negant tantum deficere non poſſe Eccleſiam militantem: imo aſſerunt aliquando defeciſſe, ut ita ſuarum Eccleſiarum defectibilitatem excuſent, quas nequeunt probare indefectibiles. Sed advertendum, ipſos concedere quidem Eccleſiam deficere non poſſe, licet tamen aliquando defecerit. Nos vero oſtendimus ac propugnamus, ita indefectibilem eſſe, ut numquam defecerit. Quare ſit

CONCLUSIO.

*Vera Chriſti Eccleſia numquam defecit.*

Dem. In ſacris litteris prædicitur aperte ac manifeſte, perpetuam fore Eccleſiæ Chriſti durationem: Ergo &c. Prob. antec.. Iſaiæ 61. hæc habentur: *Fœdus perpetuum feriam eis, & ſciens in gentibus ſemen eorum, & germen eorum in medio populorum; omnes qui viderint eos cognoſcent illos, quia juſti ſunt ſemen, cui benedixit Dominus.* Atque hæc verba Luc. 4. de Eccleſia novi teſtamenti intelligenda eſſe nos monuit. Daniel. 2. 44. *In diebus regnorum illorum ſuſcitabit Deus cœli regnum, quod in æternum non diſſipabitur.* Oſeæ 2. 19. *Et ſponſabo te mihi in ſempiternum.* Pſalm. 47. 9. *Sicut audivimus, ſic vidimus in civitate Domini virtutum in civitate Dei noſtri, Deus fundavit eam in æternum.* Et Pſ. 88. 19. *In æternum ſervabo illi miſericordiam meam, & teſtamentum meum fidele ipſi.* Matth. ultim. 20. *Ecce vobiſcum omnibus diebus uſque ad conſumma-*

*mationem ſæculi*. Denique ad Epheſ. 4. 11. *Ipſe* ( Chriſtus ) *dedit quoſdam Apoſtolos , quoſdam autem Prophetas , alios vero Evangeliſtas , alios autem Paſtores , & Doctores ad conſummationem Sanctorum in opus miniſterii , in ædificationem corporis Chriſti , donec occurramus omnes in unitatem fidei & cognitionis filii Dei* . Certe , quod Deus promiſit , eventurum eſt infallibiliter ; Promiſit Eccleſiæ ſuæ indefectibilitatem perennem : Ergo &c.

Accedunt luculentiſſima PP. teſtimonia.

S. Joannes Chryſoſtomus in Hom. de ejus expulſ. *Fortior enim*, inquit , *Eccleſia multo quam terra , imo & fortior cœlo , cœlum & terra tranſibunt , verba autem mea non tranſibunt* . S. Hilarius lib. 7. de Trin. *Hoc enim* , ait , *Eccleſiæ proprium eſt , ut tunc vincat , cum læditur , tunc intelligatur , cum arguitur , tunc obtineat cum deſeritur* . S. Ambroſius lib. de Salom. c. 4. hæc habet : *Navem Eccleſiam debemus accipere , in ſolo mundi iſtius conſtitutam , quæ crebris ventorum fluctibus , ideſt tentationum plagis , & verberibus fatigatur , quam turbidi fluctus , ideſt hujus ſæculi poteſtas conatur ad ſaxa perducere . Quæ etſi undarum fluctibus , aut procellis ſæpe vexatur , tamen numquam poteſt ſuſtinere naufragium , quia in arbore ejus , ideſt in Cruce , Chriſtus erigitur , in puppi Pater reſidet gubernator , proram Paracletus ſervat Spiritus . Hanc per anguſta hujus mundi freta duodeni in portum remiges ducunt , ideſt duodecim Apoſtoli* . Verum ſunt poſt hæc lydio lapide ſignanda , quæ magnus Eccleſiæ Doctor Auguſtinus de indefectibilitate Eccleſiæ protulit contra Donatiſtas clariſſimis hiſce verbis : *Sed illa Eccleſia , quæ fuit omnium gentium , jam non eſt , periit . Hoc dicunt , qui in illa non ſunt . Oh impudentem vocem ! Illa non eſt , quia tu in illa non es . Vide , ne tu ideo non ſis , nam illa erit , etſi tu non ſis . Hanc vocem abominabilem , deteſtabilem , præſumptionis & falſitatis plenam , nulla veritate ſuffultam , nulla ſapientia illuminatam , nullo ſale conditam , vanam , temerariam , præcipitem , perniciosam prævidit Spiritus Dei* . Eadem habet Tertullianus in Apologetico , aliique ex PP. bene multi .

Hæc omnia confirmantur ratione eodem argumento , quod ſupra retulimus . Credendum enim non eſt , Deum ſaluti aditum occluſiſſe , ſed ſi Eccleſia defeciſſet , aut aliquando poſſet deficere , aditum ſaluti hominum occluſiſſet : Ergo &c.

Di-

*Diluuntur Objecta.*

Ob. 1. Eccleſia Antichriſti tempore deficiet: Ergo &c. prob. antec. nitidiſſima Pauli auctoritate in Ep. ad Theſſalon. 2. 3. in qua hæc habet: *Niſi venerit diſceſſio primum, & revelatus fuerit homo peccati filius perditionis:* Ergo &c.

Reſp. Nego antec. & ad Pauli verba repono, per vocabulum illud *diſceſſio.* metonymice deſignatum eſſe Antichriſtum, quod ex particula copulativa & apertiſſime evincitur. Reſponſio eſt S. Auguſtini lib. 20. de civ. Dei c. 19. aliorumque PP.

Ob. 2. Eccleſia defecit in Adam & Eva, juxta Auguſtinum in Enchiridio ad Laur. c. 45. Ergo &c.

Reſp. S. Doctorem citato loco tantummodo oſtendere, primorum Parentum peccatum inhobedientiæ fuiſſe, non infidelitatis, per quam ſolam poteſt Eccleſia extingui. Neque enim illorum Theologorum ſententiam probamus, qui ab Abel Eccleſiæ deducunt exordia, non a primis protoparentibus, ipſi enim promiſſi reparatoris ſignum acceperunt.

Ob. 3. Tempore Arrianæ Hæreſis in Conciliis Ariminenſi, & Seleucienſi ſexcenti Epiſcopi defecerunt, ita ut juxta Hieronymi phraſim totus orbis ingemuerit, cum ſe videret Arrianum: Ergo tunc periit Eccleſia.

Reſp. Ad hanc tritam & obſoletam Novatorum cantiunculam profligandam referre hic non pigeat Janſenii Yprenſis reſponſum in libro cui titulus *Spongia* Lovanii anno 1666. ſequentibus verbis. *Cum vel maxime ſæviret illa* ( Conſtantii ) *perſecutio, veriſſimum fuit illud Auguſtini, quod Eccleſia in ſuis firmiſſimis tamquam columnis ædificii immobiliter ſtantibus eminebat. Tunc enim non ſolum Athanaſius, ſed fideliſſimi cooperatores ejus Cajus, Ammonius, Agathodemon, Adelphius, Marcus, Paphnutius, aliique tam Africæ, quam Ægypti Antiſtites partim in deſerta relegati, partim ſpontanea fuga, durante tempeſtate dilapſi fortiſſime perſtiterunt. Tunc Gregorius ille Hiſpaniarum Epiſcopus, & Philo decus Lybiæ, quos Hieronymus numquam Arrianæ impietati mixtos dicit, Dracontius, quem S. Hilarion exulantem viſit, Serapion Temuenſis, ſub Conſtantio confeſſione celeberrimus, & S. Antonii hæres, Euſebius Samoſatenus ipſi Conſtantio præ conſtantiæ generoſitate mirabilis, Cymatius Epiſcopus Cœleſyriæ & Carterius, quos pro fide exulaſſe teſtis eſt Athanaſius, Catholica confeſſione clariſſimi eluxerunt. Et ut nihil de Epiſcopis inferioris notæ dicam, quos Arrianus furor, dum celebrioribus ſubvertendis incumberet, in ſuis ſe-*

*ſedibus intactos relinquebat, ſtatim a morte Conſtantii integra concilia Catholicorum Epiſcoporum in Oriente celebrata ſunt, in quibus de lapſorum Antiſtitum receptione tractaretur. Teſtatur enim Epiſtola Synodalis ex Concilio Alexandrino ſcripta, multos præclaros Epiſcopos ex Italia, Ægypto, & Lybia hac de cauſa confluxiſſe. Quod ſi vero ad Occidentem nos convertamus, Eccleſia Catholica non obſtante quacumque Conſtantii immanitate, velut Tabernaculum Domini in ſole poſitum radios ſuos in Orientem uſque fundebat. Nam ut admirandos illos Epiſcopos S. Euſebium Vercellenſem, Hilarium, Dionyſium Mediolanenſem pro fide exules prætermittam, idem Hilarius, quem pro Catholico nomine depreſſo citas, conſtantiam Epiſcoporum Germaniæ primæ & ſecundæ, Provinciæ Aquitanicæ, & Novempopulanæ & Narbonenſis & Provinciarum Britanniæ miris laudibus prædicat... Ex quibus omnibus manifeſtum eſt, quam falſum ſit quod dicis, Arrianos applaudente toto terrarum orbe audiviſſe Catholicos.*

Ad Hieronymi vero phraſim ita reponit: *Significat* Hieronymus, *Epiſcopos illos cum ſibi non eſſent conſcii Arrianæ perfidiæ, ingemuiſſe de impoſtura perduellium, & miratos eſſe, quod, ut infra explicat, ſine conſcientia Hæretici ferebantur. Nam ut ibidem ex ipſis actis Concilii Ariminenſis refert, Catholici illi Epiſcopi non ſolum generatim, ſed etiam nominatim ſingulos Arrianæ hæreſis articulos ab Urſacio & Valente abjurari fecerant*. Hucuſque Janſenius, cujus verba pro exacta inſerviunt reſponſione.

## CAPUT VIII.

### *De Infallibilitate Eccleſiæ.*

ECcleſiam in Concilliis Generalibus legitime congregatam infallibilem præſeferre auctoritatem vidimus ac probavimus jam lib. 3. Videndum nunc autem eſt, ac probandum ſimiliter particularium Eccleſiarum, quæ per orbem diſperſæ ſunt, univerſalem & unanimem conſenſum in rebus ad fidem pertinentibus ab errore immunem eſſe, ac prorſus infallibilem contra peſtifera Heterodoxorum dogmata.

CONCLUSIO.

*Peculiares totius Orbis Eccleſiæ infallibilis ſunt auctoritatis omnes ſimul ſumptæ.*

Dem. Sacrarum litterarum teſtimonio. Iſaiæ c. 59. 20. *Cum venerit Sion Redemptor... hoc fœdus meum cum eis dicit*

*erit Dominus, Spiritus meus qui eſt in te, & verba mea quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui amodo, & uſque in ſempiternum.* Oſeæ 2. 19. *Sponſabo te mihi in fide in ſempiternum. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus uſque ad conſummationem ſæculi.* Ita Matthæi ultimo, v. 20. Non deſunt innumera alia ſcripturarum teſtimonia, quæ brevitatis gratia omittimus, & ad PP. auctoritates greſſum facimus.

S. Irenæus lib. 3. adv. h. c. 3. *Traditionem*, inquit, *itaque Apoſtolorum in toto mundo manifeſtatam, in omni Eccleſia adeſt perſpicere omnibus, qui vera velint videre*; cum jam lib. 1. c. 10. dixerit; *Eccleſia per univerſum orbem uſque ad fines terræ ſeminata, & ab Apoſtolis & a diſcipulis eorum accepit eam fidem, quæ eſt &c.* Tertullianus lib. de Præſcript. c. 20. *Apoſtoli Eccleſias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei & ſemina Doctrinæ ceteræ exinde Eccleſiæ mutuatæ ſunt, & quotidie mutuantur, ut Eccleſiæ fiant, ac per hoc & ipſæ Apoſtolicæ deputantur, ut ſoboles Apoſtolicarum Eccleſiarum ... Itaque tot ac tantæ Eccleſiæ, una eſt illa ab Apoſtolis prima, ex qua omnes. Sic omnes prima &c.* S. Auguſtinus lib. 7. De Baptiſmo c. 53. *Nobis tutum eſt... fiducia ſecura vocis aſſerere, quod in gubernatione Domini Dei Noſtri J. C. univerſalis Eccleſiæ conſenſione roboratum eſt.* Prætermittimus Cyrillum, Cyprianum, Hieronymum, aliosque tum ex Græcis tum ex Latinis ſanctiſſimos PP.

Accedit ratio: Concilia Generalia infallibilis ſunt auctoritatis, quia univerſalem repræſentant Eccleſiam; Ergo univerſalis Eccleſia inerrantiæ privilegio gaudebit. Rurſus Dogma oppoſitum univerſalis Eccleſiæ conſenſui Hæreſis eſt infallibiliter; Ergo univerſalis Eccleſiæ conſenſus infallibilis eſſe debet. His adde cenſuras S. Facultatis Pariſienſis anno 1663. die 19. Februarii, & 1542. art. 18. & 1664. die 24. Maji contra Magiſtrum Gabrielem Drovet de Villeneuve, Lutherum & Vernantium injuſtos univerſalis Eccleſiæ infallibilitatis aggreſſores. Hucuſque de vera Chriſti Eccleſia, de cujus notis differentes a veteri ſcholaſticorum more diſcedere nec potuimus, nec debuimus.

L I.

# LIBER QUINTUS.

*De Romano Pontifice.*

De Supremo Eccleſiæ capite viſibili, ejuſque auctoritate pertractantes, ea certe in medium proferemur, quæ ab innumeris Theologis jam in medium prolata ſunt. Et ſane aut ea inſpiciantur argumenta, quæ Romani Pontificis Primatum atque infallibilitatem vindicant, illis profecto nec antiquiora nec validiora; aut ea, quæ ab Heterodoxis & peſsimæ farinæ hominibus in contrarium ſunt toties & ad nauſeam uſque conſarcinata, illis ſane nulla ſunt infirmiora, cum ſint millies fracta penitus, atque contrita. Qua de re novitatis nihil hac in diſceptatione attendat Theologiæ candidatus, vel ab aliis expectet, ſed ſolum Romani Pontificis auctoritatem totis viribus propugnare diſcat ac revereri. Hæc tantum præmonuiſſe ſufficiat: nunc controverſiæ ſtatum aperiemus.

## CAPUT I.

*De S. Petri Primatu ſupra cæteros Apoſtolos.*

Supra cæteros Apoſtolos non ordine tantum, ſed poteſtatis excellentia atque juriſdictionis S. Petrum emicuiſſe, negarunt illi, quibus ſemper inviſa fuit Romani Pontificis auctoritas, hæretici præſertim Calviniſtæ & Lutherani. Admiſſo enim S. Petri ſupra cæteros Apoſtolos Primatu, eadem prærogativa Petri ſucceſſores decorandos eſſe nimis eſt manifeſtum, ac luculentiſsimum. Aſt cum ex ſacris litteris & conſtantiſſima Eccleſiæ traditione ſatis ſuperque de hac poteſtativa Petri, ejuſque ſucceſſorum præeminentia conſtet, hinc nervos omnes intendere debemus, ut contra Eccleſiæ inimicos pro veritate pugnemus, licet ex Theologis innumeri inviciſſimis argumentis hanc ſpartam adimpleverint, quos fuſe enumerat in Præfat. ad Tract. de Rom. Pont. Doctiſſimus Bellarminus. Quare ſit

Con-

## Concluſio.

*S. Petrus Primatum a Domino accepit ſupra cæteros Apoſtolos.*

Dem. ex Matth. c. 16. 18. in quo poſt celeberrimam illam Petri confeſſionem*: Tu es Chriſtus filius Dei vivi:* Dominus reſpondit: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrum, & ſuper hanc Petrum ædificabo Eccleſiam meam.* Ex quibus verbis ita argumentum conficitur. Ille a Chriſto conſtitutus eſt Rector Univerſalis Eccleſiæ & Apoſtolorum Princeps, ſuper quem ædificata eſt Eccleſia, ſed ex allatis verbis ſuper Petrum Eccleſia ædificata eſt: Ergo &c.

Reponunt adverſarii, Petrem eſſe Chriſtum. Ita Calvinus lib. 4. inſtit. c. 6. §. 6. vel juxta Lutherum lib. de Pot. Papæ Petræ nomine fidem intelligi. Verum ad libitum iſta dicuntur confiſta, nec iſtas interpretationes patitur integer hujus teſtimonii ſenſus. Siquidem cum Chriſtus Diſcipulos interrogaſſet, quem dicerent homines eſſe filium hominis, multi dixerunt: Dein repoſuit: *Vos autem quem me eſſe dicitis?* Petrus illico reſpondit*: Tu es Chriſtus filius Dei vivi:* In hujus Confeſſionis præmium ad Petrum converſus Dominus ait: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & ſuper hanc Petrum ædificabo Eccleſiam meam.* Petræ ergo nomine Petrus intelligitur, ſecus abſurda nimis foret iſta Chriſti locutio: *Tu es Petrus & ſuper me ædificabo Eccleſiam meam*, vel *Tu es Petrus & ſuper fidem ædificabo Eccleſiam meam.* Adde Petrum in hoc ſupra ceteros excelluiſſe, quod Chriſti fateretur Divinitatem, quam alii de eo non prædicaverant, at quod Chriſtus Petrum Petrum eſſe enuntiaret, nihil erat novæ rei. Rurſus verba illa: *Tu es Petrus* &c. a Chriſto juxta D. Hieronymum prolata ſunt in præmium confeſſionis, de qua antea dixerat: *Beatus ex Simon Bar Jona* &c. At quodnam præmium eſſe poterat, quod Chriſtus Petrum vocari Petrum, omnibus teſtaretur?

Denique Petrum Petræ nomine deſignatum eſſe allato in teſtimonio PP. omnes tum Græci tum Latini prædicant. Origenes Hom. 5. in Exod. hæc habet*: Vide magno illi Eccleſiæ fundamento & Petræ ſolidiſſimæ, ſuper quam Chriſtus fundavit Eccleſiam, quid dicatur a Domino, modicæ fidei quare dubitaſti?* Athanaſius in Epiſt. ad Felicem*: Tu es Petrus, & ſuper fundamentum tuum Eccleſiæ columnæ, idest Epiſcopi, ſunt confirmatæ.* Baſilius lib. 2. in Eunom. *Petrus propter fidei excellentiam Eccleſiæ ædificationem in ſe ipſum ſuſcepit.* Nanzianzenus in Orat. de Moder. ſerv. in diſp. *Pe-*

*Petrus Petra vocatur*, *atque Eccleſiæ fundamenta fidei ſuæ credita habet*. Chryſoſtomus Hom. 55. in Matth. *Dominus ait: Tu es Petrus, & ſuper te ædificabo Eccleſiam meam*. Inter Latinos Tertullianus: *Latuit aliquid Petrum ædificandæ Eccleſiæ Petram dictum?* Hieronymus in Epiſt. ad Damaſ. de ſede Petri loquens ait: *Super hanc Petram ædificatam Eccleſiam ſcio*. Denique S. Auguſtinus in Pſ. contr. part. Don. *Numerate Sacerdotes, vel ab ipſa Petri ſede ipſa eſt Petra, quam non vincunt ſuperbæ inferorum portæ*. Eſt ne ergo conſtans hæc Eccleſiæ traditio Novatorum cavillalis poſthabenda?

Confirmatur altero teſtimonio Joan. c. 21, in quo cum Chriſtus Petrum interrogaſſet, num eum plus adſtantibus Apoſtolis diligeret illis verbis: *Diligis me plus his?* Petrus illico reſpondit; *Domine tu ſcis, quia amo te*, eique repoſuit Chriſtus, *Paſce oves meas*. Ex quibus verbis ita denuo fas eſt argumentari. Hoc in loco Petro committitur regimen gregis, quoniam plus cæteris diligebat: Ergo vel ſoli Petro data eſt ovium cura, quod non admittimus, vel ſi Petro & Apoſtolis, ſane ſpecialiori titulo Petro onus regiminis eſt demandatum, ſecus ob vehementiorem amoris vim nil ſupra ceteros recepiſſet. Antecedens, quod negant Lutherani, abunde probat Bellarminus de Rom. Pont. lib. 1. c. 15. ex verbo Græco ποιμαίνω, quod non tantum ſignificat *paſcere*, ſed *regere* variis collectis ſcripturarum teſtimoniis, inter quæ illud præcipuum eſt, quod habetur apud Matth. c.2. ἐκ σοῦ μοι ἐξελεύσεται ἡγούμενος, ὅστις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου τὸν ἰσραήλ, *Ex te mihi exiet Dux qui regat populum meum Iſrael*. Quibus accedunt PP. Origenes in c. 6. Ep. ad Rom. *Petro*, inquit, *cum ſumma rerum de paſcendis ovibus traderetur, & ſupra ipſum velut Petram fundaretur Eccleſia, nullius confeſſio virtutis alterius ab eo, niſi charitatis, exigitur*. S. Auguſtinus in c. Matth. 24. *Oves ipſas paſcendas, docendas, regendaſque committit*. Eadem docent Ambroſius lib. 10. in Luc. Gregorius M. lib. 4. Ep. 32. ad Maurit. Imp. & S. Bernardus lib. 2. de conſid. c. 8. nec prætermittendus Chryſoſt. in c. Joan. 21.

Plura alia ſunt in ſacris litteris ad Petri primatum oſtendendum, de quibus fuſe pertractat citato loco doctiſſimus Bellarminus, ſed quæ ſupra retulimus, cæteris ſunt validiora. Concludendum igitur cum Auguſtino lib. 2. de Bapt. c. 1. *Quis neſcit illum Apoſtolatus Principatum cuilibet Epiſcopatui præferendum?*

*Solvuntur Objectiones.*

Ob. 1. Ad Petri Primatum ſupra cæteros Apoſtolos adſtruendum nihil probat allatum Matthæi teſtimonium : Ergo &c. Prob. antec. Petra, ſuper quam Eccleſia dicitur ædificanda, non Petrus erat, ſed Chriſtus: Ergo &c. Prob. antec. 1. Scriptura: Habet enim Apoſtolus ad Cor. 10. *Petra autem erat Chriſtus*. 2. Splendidiſſimo S. Auguſtini teſtimonio ex ſerm. 13. de verb. Apoſt. deſumpto, in quo S. Doctor hæc habet: *Tu es ergo*, inquit, *Petrus*, *& ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, *ſuper me ædificabo te*, *non me ſuper te:* & tract. 124. in Joan. *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam. Petra enim erat Chriſtus, ſuper quod fundamentum etiam ædificaturus eſſet Petrus:* Ergo &c.

Reſp. Utique Chriſtum Petram eſſe & fundamentum Eccleſiæ, ac de eo Paulum loquutum eſſe in ſua ad Corinthios Epiſtola. Nego tamen, Chriſtum eſſe Petram illam, de qua Matthæi c. 16. ob rationes ſuperius allatas, neque aliquid in contrarium officere utrumque Auguſtini teſtimonium. Siquidem lib. Retract. 1. c. 21. an per Petram in Evangelio Matthæi Chriſtus, vel Petrus intelligi debeat, non vult S. Doctor definire, & utramque ſententiam probabiliorem vocat, quam relinquit arbitrio lectorum: inquit enim: *In hoc libro* ( contra Epiſt. Donat. ) *dixi in quodam loco de Apoſtolo Petro, quod in eo tanquam in Petra fundata ſit Eccleſia, qui ſenſus etiam cantatur ore multorum in verſibus B. Ambroſii, ubi de Gallo Gallinaceo ait: Hoc ipſo Petra Eccleſiæ canente culpam diluit, ſed ſcio, me poſtea ſæpiſſime ſic expoſuiſſe, quod a Domino dictum eſt: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo* Eccleſiam *meam*, *ut ſuper hanc Petram intelligeretur, quam confeſſus eſt Petrus dicens: Tu es Chriſtus filius Dei vivi, ac ſi Petrus ab hac Petra appellatus perſonam Eccleſiæ figuraret, quæ ſuper hanc Petram ædificatur, & accepit claves regni cœlorum. Non enim dictum eſt illi, tu es Petra, ſed tu es Petrus. Petra autem erat Chriſtus, quam confeſſus Simon, ſicut eum tota* Eccleſia *confitetur, dictus eſt Petrus. Harum autem duarum ſententiarum, quæ ſit probabilior, eligat lector*. Cæterum etiam illis in locis, in quibus S. Doctor Petræ nomine Chriſtum intelligit, uti ſerm. 13. de verb. Ap. S. Petrum vocat *primum & præcipuum Apoſtolorum*, & ejus *Apoſtolatus Principatum* verbis magnificis commendat.

Ob. 2. Petræ nomine SS. PP. Petri fidem intellexerunt: Ergo

Ergo &c. Prob. antec. S. Hilarius lib. 6. de Trinit. *Super hanc igitur confeſſionis Petram Eccleſiæ ædificatio eſt...... Hæc fides Eccleſiæ eſt fundamentum*. S. Cyrillus Alex. lib.4. de Trin. *Petram opinor nihil aliud, quam inconcuſſam & firmiſſimam diſcipuli fidem vocavit*. S. Chryſoſt. Hom. 55. in Matth. *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, ideſt fidem & confeſſionem*: Ergo &c.

Reſp. Diſt. antec. SS. Patres Petræ nomine fidem intellexerunt ſubjective ſumptam, atque a Petro indiſtinctam, conc. ſecus, nego. Allata igitur SS. PP. teſtimonia Petræ nomine Petri fidem deſignant, quatenus fides auxit Petri meritum, ob eamque meruit Petram nuncupari, ſuper quam erat Eccleſia ædificanda. Ita S. Hieronymus Ep. 61. ſcribit: *Super aquas Petri corpus non ambulaſſe, ſed fidem*: quibus verbis ſicuti S. Doctor non negat, Petrum vere & proprie ſuper undas ambulaſſe, ſed fidem attingit, quæ cauſa fuit, cur Petrus ſuper aquas graderetur; ita dum cæteri SS. PP. fidem Petri nuncupant Petram, minime negant, Petrum vere & proprie Petram fuiſſe nuncupatum.

Ob. 3. Cæteris etiam Apoſtolis datas eſſe claves Regni, cum dictum eſt Petro: *Tibi dabo* &c. teſtantur Hilarius lib. 6. de Trin. S. Auguſtinus ſerm. 30. de diverſ. aliique: Ergo nullum habuit Petrus Primatum ſupra cæteros. Præterea S. Auguſtinus tract. 50. in Jo. hæc habet: *Si hoc Petro tantum dictum eſt, non facit hoc Eccleſia. Si autem & in Eccleſia fit, ut quæ in terra, ligantur, in cœlo ligentur, & quæ ſolvuntur in terra ſolvantur in cœlo, quia cum excommunicat Eccleſia, ligatur in cœlo excommunicatus, cum reconciliatur ab Eccleſia, in cœlo ſolvitur reconciliatus. Si hoc ergo in* Eccleſia *fit, Petrus quando claves accepit, Eccleſiam ſanctam ſignificavit*. Ex quibus verbis eruitur, Petrum non proprio, ſed Eccleſiæ nomine & perſona claves accepiſſe: Ergo &c.

Reſp. Datas quidem fuiſſe Petro & Apoſtolis claves Regni cælorum, ſed Apoſtolis quidem cum dependentia & ſubordinatione ad ipſum Petrum. Ita paſſim SS. PP. Origenes in Scorp. c. 10. *Nam etſi adhuc clauſum putas cælum, memento claves ejus hic Dominum Petro, & per eum Eccleſiæ reliquiſſe*. Optatus Milevitanus: *Bono unitatis B. Petrus, cui ſatis erat, ſi poſtquam negavit ſolam veniam conſequeretur, & præferri omnibus Apoſtolis meruit, & claves Regni cœlorum communicandas cæteris, ſolus accepit*. Omittimus alios plures ex SS. PP. quorum una eſt plane ſententia. Ad au-

auctoritatem vero S. Auguſtini dicimus, Petro collatas quidem fuiſſe claves nomine Eccleſiæ non tanquam Eccleſiæ Legato, ſed tanquam Eccleſiæ Principi, rectori ac moderatori, quod & idem S. Doctor aperte pronuntiat tract. 124. in Jo. hiſce verbis: *Petrus Apoſtolus propter Apoſtolatus ſui primatum Eccleſiæ gerebat figurata quadam generalitate perſonam, quod enim ad ipſum proprie pertinet, natura unus homo erat, gratia unus Chriſtianus abundantiore gratia unus idemque primus Apoſtolus: ſed quando ei dictum eſt: Tibi dabo claves &c. univerſam ſignificabat Eccleſiam*. Et ſerm. 13. de verb. Dom. *Petrus*, inquit, *Eccleſiæ figuram portans. Apoſtolatus Principatum tenens*. Nec aliter ſentire potuit præclariſſimus fidei defenſor, qui licet Chriſtus vere & proprie fuerit Baptizatus, tamen lib. 15. de Trin. c. 26. aſſerere non eſt veritus, *Chriſtum geſſiſſe figuram Eccleſiæ, quando baptizatus eſt*. Nihil ergo adverſariorum ſententiæ accedit præſidii ex auctoritate Auguſtini, qua potius jugulantur, perimuntur.

Ob. 4. S. Cyprianus lib. de Unit. Eccl. hæc habet: *Hoc erant utique cæteri Apoſtoli, quod fuit & Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis, ſed exordium ab unitate proficiſcitur, & primatus Petro datur, ut Eccleſia una monſtretur*. Et infra: *Epiſcopatus unus eſt, cujus a ſingulis in ſolidum pars tenetur*: Ergo &c.

Reſp. Duo attingere hoc in loco D. Cyprianum, poteſtatem videlicet intrinſecam & eſſentialem, & poteſtatem extrinſecam & accidentalem. Prima competit omnibus Apoſtolis, quatenus ordine ſunt Epiſcopatus inſigniti, & rerum gerendarum habent amplitudinem; ſecunda ſoli tribuitur Petro, in quo Chriſtus centrum poſuit unitatis Eccleſiæ. Cum autem unuſquiſque teneatur unitati adhærere, ne in ſchiſma miſerrime prolabatur, debet propterea ab unitate neceſſario dependere. Quædam hinc reſultat in centro præeminentia ac poteſtas, per quam tenetur unitatem ſervare, & cæteras ne ab unitate recedant continere. Hic plane ſenſus eſt verborum Cypriani, ut patet ex integra textus expoſitione. *Quamvis Apoſtolis omnibus*, ita Cyprianus, *poſt reſurrectionem ſuam, parem poteſtatem tribuat & dicat:* Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos, accipite Spiritum S. &c. *tamen ut unitatem manifeſtaret, unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit. Hoc erant utique cæteri Apoſtoli &c.* Atque eadem eſt pro altero Cypriani teſtimonio inconcuſſa reſponſio.

Ob. 5.

Ob. 5. SS. PP. tribuunt æqualem Petro & Paulo poteſtatem; Ergo &c. prob. antec. S. Epiphanius hæreſ. 27. hæc habet: *Romæ primi omnium Petrus & Paulus Apoſtoli pariter & Epiſcopi fuerunt*. S. Irenæus: *Eccleſiam Romanam a S. Apoſtolis Petro & Paulo inſtitutam fuiſſe ac fundatam*. Ita ferme cæteri PP. Cyrillus Hieroſolymitanus, Joannes Chryſoſtomus, Ambroſius, aliique.

Reſp. in Petro & Paulo duo eſſe conſideranda, diſſeminationem doctrinæ videlicet per Apoſtolatum, & munus regendi in Eccleſia. Dum igitur SS. PP. aſſerunt Petrum & Paulum in Urbe Apoſtolos fuiſſe & Epiſcopos, Romanam Eccleſiam ab utroque fuiſſe fundatam, dum ipſos Romanæ Urbis Patres, Principes Sacerdotum appellant, diſſeminetionem doctrinæ reſpiciunt tantummodo & nil aliud, & ſi ab aliquibus Paulo primatus tribuitur, primatum intellige prædicationis, non auctoritatis.

Ob. 6. Romani Pontifices in Bullis dicunt, ſe habere auctoritatem Petri, & Pauli. Ita Paulus III. in convocatione Concilii Tridentini.

Reſp. Et aliorum Romanorum Pontificum diplomata audienda eſſe. *Ex auctoritate Dei*, inquit Joannes VIII. Ep. 262. *& BB. Apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium ſanctorum &c. jubemus te omni Eccleſiaſtica communione privatum.* Nicolaus I. in ſententia contra Photium lata: *Sic*, inquit, *Dei omnipotentis & Beatorum Apoſtolorum Principum Petri & Pauli, & omnium ſimul ſanctorum, atque venerandorum ſeu univerſalium Conciliorum auctoritate, nec non & Spiritus S. per nos judicio ab omni Sacerdotali honore alienus*. Alexander II. Ep. 9. *Ex parte Domini N. J. C. & ſanctæ Dei genitricis Mariæ, ſanctorumque Apoſtolorum Petri, & Pauli omniumque ſanctorum & electorum Dei &c.* Quid ad hæc imbelles Refractarii? Loquuntur ergo Romani Pontifices in ſuis diplomatibus de auctoritate præſidii, quod implorant, non de auctoritate, cui ſucceſſerint.

## C o n c l u s i o II.

*Romanus Pontifex primatum habet in Eccleſia jure divino.*

Sequitur ex præmiſſis, & breviter demonſtratur.

Ille primatum habet in Eccleſia jure divino, qui eſt Petri ſucceſſor; atqui Romanus Pontifex eſt Petri ſucceſſor: Ergo primatum habet in Eccleſia jure divino. Minor probatur locupletiſſimo & infallibili traditionis teſtimonio.

Atque inter PP. qui innumeri prorſus ſunt, ſit primus S.

Cyprianus, qui de Cornelio Romano Pontefice Ep. 52. ſic loquitur: *Factus eſt autem Cornelius Epiſcopus & Chriſti ejus judicio, de Clericorum pene omnium teſtimonio, de plebis, quæ tunc adfuit. ſuffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum collegio, cum nemo ante ſe factus eſſet, cum Fabiani locus, ideſt cum locus Petri, & gradus Cathedræ Sacerdotalis vacaret*. Et Epiſt. 55. ad Cornelium Romanum Pontificem: *Poſt iſta adhuc inſuper Pſeudo Epiſcopo ſibi ab Hæreticis conſtituto, navigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Eccleſiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt: a ſchimaticis & prophanis litteras ferre, nec cogitare eos eſſe Romanos (quorum fides Apoſtolo prædicante laudata eſt) ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum*. Accedit Optatus Milevitanus lib. 2. contr. Parmen. *Cathedra unica eſt, quæ eſt prima de dotibus..... Sedit prior Petrus, cui ſucceſſit Linus, Lino ſucceſſit Clemens, Clementi Anacletus &c. Julio Liberius, Liberio Damaſus, Damaſo Siricius hodie, qui noſter eſt ſocius, cum quo nobis totus orbis commercio Formatarum in una communionis ſocietate concordat*. S. Petrus Chryſologus in Epiſt. ad Eutychetem, quæ refertur I. parte Concil. Chalced. *In omnibus autem hortamur te, frater honorabilis, ut his, quæ a Beatiſſimo Papa Romanæ Civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas, quoniam B. Petrus, qui in propria ſede & vivit & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem. Nos enim pro ſtudio pacis & fidei extra conſenſum Romanæ civitatis Epiſcopi cauſas fidei audire non poſſumus*. S. Hieronymus Ep. 57. ad Damaſum: *Beatitudini tuæ, ideſt Cathedræ Petri, communione conſocior. Super illam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Quicumque extra hanc domum agnum comederit, profanus eſt. Si quis in Arca Noe non fuerit, peribit regnante Diluvio........ Quicumque tecum non colligit, ſpargit, hoc eſt, qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt*. S. Auguſtinus Epiſtola ad Generoſum 165. *Si ordo Epiſcoporum ſibi ſuccedentium conſiderandus eſt, quanto certius, & vere ſalubriter ab ipſo Petro numeramus, cui totius Eccleſiæ figuram gerenti, Dominus ait: Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferorum non vincent eam. Petro enim ſucceſſit Linus, Lino Clemens, Clementi Anacletus &c. Damaſo Siricius, Siricio Anaſtaſius... In illum autem ordinem Epiſcoporum, qui ducitur ab ipſo Petro uſque ad Anaſtaſium, qui nunc eamdem cathedram tenet, etiamſi quiſquam traditor per illa tempora ſubrepſiſſet, nihil præjudicaret Eccle-*

*cleſia*. Ex quibus Auguſtini, aliorumque PP. verbis firmiſſima conſtat de primatu Romani Pontificis Eccleſiæ traditio.

Quam & ſi rurſus conſulere velimus, innumera alia ſuppeditare poterimus argumenta. Ex traditione itaque habemus, Romanam Eccleſiam cæteris eſſe potentiorem, cui conveniat Principatus, & ad quam univerſi orbis confugere debeant Eccleſiæ. Sufficiat pro omnibus S. Irenæi teſtimonium, qui lib. 3. adverſ. Hæreſ. c. 3. hæc habet: *Quoniam valde longum eſt in hoc tali volumine omnium Eccleſiarum enumerare ſucceſſiones, maximæ & antiquiſſimæ & omnibus cognitæ a glorioſiſſimis duobus Apoſtolis Petro & Paulo Romæ fundatæ & conſtitutæ Eccleſiæ eam, quam habet ab Apoſtolis traditionem, & annuntiatam hominibus fidem per ſucceſſionem Epiſcoporum pervenientem uſque ad nos, judicantes, confundimus eos, qui quoquomodo, vel per ſui placentiam malam, vel vanam gloriam, vel cæcitatem & malam ſententiam, præterquam oportet colligunt. Ad hanc enim Eccleſiam propter potentiorem principalitatem neceſſe eſt omnem convenire Eccleſiam*. Nec prætermittere poſſumus Tertullianum lib. de Pudicitia c. 1. vocare Romanum Epiſcopum *Pontificem maximum, & Epiſcopum Epiſcoporum*.

Præterea ex traditione & Eccleſiaſticæ hiſtoriæ monumentis deducimus, Romanos Epiſcopos fidei controverſias diremiſſe tanquam judices, excommunicaſſe aliarum Eccleſiarum Antiſtites, & jus cæteris dixiſſe Patriarchis. Id comprobatur ex S. Irenæo, qui Victorem Romanum Pontificem adhortatus eſt, ne Aſiaticos Epiſcopos ob controverſiam de Paſchate anathemate percelleret, teſte Euſebio lib. 5. Hiſt. Eccleſ. c. 24. Ex S. Stephano, qui Cyprianus & Africanis Epiſcopis in cauſa rebaptizantium fortiter reſtitit: Ex eo quod Concilia Orientis irrita haberentur, niſi eſſent auctoritate Romani Pontificis firmata, ut ex Socrate & Sozomeno evincitur. Pluraque alia Hiſtoriarum & Pontificii Primatus firmiſſima monumenta prætermittimus, de quibus apud Bellarminum de Rom. Pontif. & Natalem Alexandrum ſæc. pr. p. 187. alioſque.

*Reſponſiones ad Objecta.*

Ob. 1. Romanus Pontifex non eſt Epiſcopus Epiſcoporum: Ergo Primatum non habet ſupra ceteros Epiſcopos. Prob. antec. auctoritate Cypriani, qui in Epiſtola ad Quintum ait: *Neque enim quiſquam noſtrum Epiſcoporum ſe Epiſcopum conſtituit:* Ergo &c.

Reſp. Nego anteced. & ad auctoritatem Cypriani repono, 1. veniam dandam eſſe Cypriano, ſi aliqua protulit ſubiratus quandoque & commotus in Stephanum, cum juxta Auguſtinum ſanguine ſuo ſatis maculas abluerit: 2. allata Cypriani verba referenda eſſe ad Africanos Epiſcopos, inter quos oborta erat controverſia de rebaptizandis hæreticis, circa quam ſatis ſenſum ſuum expreſſit S. Martyr ſequentibus verbis: *Supereſt ut de hac ipſa re ſinguli, quid ſentiamus, proferamus neminem judicantes, aut a jure communionis aliquem, ſi diverſa ſenſerit, amoventes. Neque enim quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adigit, quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis ac poteſtatis ſuæ arbitrium proprium, tamque judicari ab alio non poſſit, quam nec ipſe poteſt alterum judicare.* Ex quibus abunde patet, Cyprianum nullam de Romano Pontifice mentionem facere. Ceterum laudatus Martyr ſatis agnovit Romani Pontificis Primatum in fidei cauſis judicandis etiam contra Epiſcopos, ut patet ex illius Epiſtola 67. ad Stephanum I. in qua illum adhortatur, ut Martianum Arelatenſem Epiſcopum deponat, qui ad Novatianos defecerat, hiſce verbis: *Quamobrem facere te oportet pleniſſimas litteras ad Coepiſcopos noſtros in Galliis conſtitutos, ne ultra Marcianum pervicacem & ſuperbum, & divinæ pietatis ac fraternæ ſalutis inimicum, collegio noſtro inſultare patiantur:* & infra: *Dirigantur a te litteræ in Provinciam & ad plebem Arelate conſiſtentem, quibus abſtento Marciano alius in locum ejus ſubſtituatur.*

Ob. 2. A SS. PP. Epiſcopi vocantur Petri ſucceſſores; Ergo ipſis eadem tribuitur poteſtatis plenitudo. Prob. antec. ex eodem S. Cypriano Ep. 27. *Dominus noſter, cujus præcepta metuere & obſervare debemus, Epiſcopi honorem & Eccleſiæ ſuæ rationem diſponens, in Evangelio loquitur, & dicit Petro: Ego dico, quia tu es Petrus &c. inde per temporum & ſucceſſionum vices Epiſcoporum ordinatio & Eccleſiæ ratio decurrit, ut Eccleſia ſuper Epiſcopos conſtituatur, & omnis actus Eccleſiæ per eoſdem Præpoſitos gubernetur.* Similia ſcripſere Hieronymus Ep. 1. Ephrem Syrus de laud. Baſilii M. Gaudentius Brix. Serm. 1. aliique.

Reſp. S. Cyprianum, alioſque PP. quandoque Epiſcopos Petri ſucceſſores nuncupaſſe, non quod Epiſcopi eamdem haberent Petri auctoritatem, ſed quia in Petro origo eſt pote-

poteſtatis. Ceterum quæ fuerit Cypriani aliorumque PP. ſententia, jam ſupra expoſuimus.

Ob. 3. Epiſcopi vocantur a SS. PP. Chriſti Vicarii; ergo eamdem habent cum Romano Pontifice auctoritatem. Anteced. probant S. Cyprianus Ep. 55. & S. Bernardus Ep. 42.

Reſp. diſt. antec. Epiſcopi vocantur Chriſti Vicarii æqui juris cum Petro, nego antec. diverſi & minoris juris, conc. antec. Siquidem Epiſcopi vices gerunt Chriſti in propria Eccleſia; Pontifex Romanus in Eccleſia univerſa.

Ob. 4. Nonnulli ex SS. PP. Epiſcopos dixere univerſalis Eccleſiæ curam ſuſtinere: Ergo &c.

Reſp. Nonnullorum apocryphorum ſcriptis allatam propoſitionem inniti, vel ſi inconcuſſe PP. auctoritati, PP. illi intelligendi ſunt de cura univerſali, quæ non ex vi datæ poteſtatis, ſed ex charitatis præcepto proficiſcatur, ad quod ſervandum omnes tenemur.

## CAPUT II.

### *De Infallibilitate Romani Pontificis.*

DE Primatu Romanorum Pontificum diſſeruimus hactenus, nunc de infallibili eorumdem oraculo diſputandum. Neque hic ſermo eſt de controverſiis, quæ facti quæſtiones reſpiciunt. De his ceteris omnibus enucleatius egit ſapientiſſimus Berti. Quare vide hujus compendii lib. 17. c. 4. Quæſtio igitur tota verſatur circa illas controverſias, quæ juris dicuntur, in quibus Pontificem Romanum infallibilem eſſe negant illi, quorum odium in Romanam Eccleſiam æternum eſt. Infinita propemodum ad hoc pertinentia congeſſerunt Theologi, & præſertim Thomas Waldenſis lib. 2. Doctr. fid. Joannes de Turrecr. lib. 2. Summæ; Joannes Driedo lib. 4. de Eccleſ. dogm. Cajetanus de poteſt. Papæ, Hoſius lib. 1. contr. Brent. Melchior Canus lib. 6. Bellarminus de Rom. Pont. aliique propemodum innumeri. Omnia ſummatim attingemus, ne fines prætergrediatur inſtitutæ brevitatis ratio. Quare ſit

### Conclusio Unica.

*In quæſtionibus juris infallibile eſt Romani Pontificis judicium.*

Iis prætermiſſis, quæ doctiſſime & copioſe tractat Cl. Ber-

Berti cit. loc. & ad quem Lectorem remittimus, ſic Theſis noſtra probatur.

*I. Momentum ex Scripturis.*

Quod Petro promiſſum a Chriſto eſt, & Petri ſucceſſoribus promiſſum eſſe certiſſime credimus & profitemur; atqui a Chriſto promiſſa eſt Petro infallibilitas; ergo & ejus ſucceſſoribus. Minor oſtenditur ex cap. Lucæ 22. in quo hæc habentur non juxta textum Græcum tantummodo, ut falſo putavit Bellarminus, ſed etiam juxta textum Latinum, ut ex utriuſque collatione conſtare poterit. Σίμων, Σίμων, ἰδὲ ὁ σατανᾶς ἐξῃτήσατο ὑμᾶς, τοῦ σινιάσαι ὡς τὸν σῖτον. Ἐγὼ δὲ ἐδεήθην περὶ σοῦ, ἵνα μὴ ἐκλείπῃ ἡ πίστις σοῦ, καὶ σύ ποτε ἐπιστρέψας, στήριζον τοὺς ἀδελφοὺς σοῦ. *Simon Simon, ecce Satanas expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum. Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* Ex quibus pro infallibilitate Romani Pontificis tale colligitur argumentum.

Chriſtus promiſit Petro non eſſe defecturam illius fidem. ſed hoc promiſit ejus ſucceſſoribus etiam: Ergo &c. Min. prob. Chriſtus promiſit Petro indefectibilitatem illius fidei, per quam erant fratres confirmandi; atqui fratres non tantum erant confirmandi per Petrum, ſed etiam per ejus ſucceſſores; Ergo promiſit Petro & ſucceſſoribus ejus fidei indefectibilitatem. Quare S. Lucius. I. Papa & Martyr in Ep. ad Epiſc. Hiſp. & Gall. ita ſcripſit: *Eccleſia Romana Apoſtolica eſt, & mater omnium Eccleſiarum, quæ a tramite Apoſtolicæ traditionis numquam erraſſe probatur, nec hæreticis novitatibus depravata ſuccubuit ſecundum ipſius Domini pollicitationem dicentis: Ego rogavi pro te &c.* Et Agatho Papa in Epiſt. ad Conſtantinum Imp. quæ lecta eſt in 6. Synodo: *Hæc eſt*, inquit, *veræ fidei regula, quam & in proſperis & in adverſis vivaciter tenuit Apoſtolica Chriſti Eccleſia, quæ per Dei gratiam a tramite Apoſtolicæ traditionis numquam erraſſe probatur, nec hæreticis novitatibus unquam depravata ſuccubuit, quia dictum eſt Petro: Simon Simon, ecce ſatanas &c. Ego autem rogavi pro te &c. Hic Dominus fidem Petri non defecturam promiſit, & confirmare eum fratres ſuos admonuit, quod Apoſtolicos Pontifices meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſſe ſemper cunctis eſt agnitum.*

*II. Momentum ex PP.*

Infiniti propemodum eſſemus, ſi omnia SS. PP. teſtimonia hic vellemus percenſere. Qua de re hæc pauca ſufficiant,

S.Pe-

S. Petrus Chryſologus in Ep. ad Eutychetem: *Hortamur te*, inquit, *frater honorabilis, ut his, quæ a Beatiſſimo Papa Romanæ civitatis ſcripta ſunt, obedienter attendas, quia B. Petrus, qui in propria ſede vivit & præſidet, præſtat quærentibus fidei veritatem*. Origenes ſuper illa Matthæi verba: *Portæ inferi &c. Manifeſtum eſt*, ait, *etſi non exprimatur, quod nec adverſus Petrum, nec adverſus Eccleſiam portæ prævalere poterunt inferorum, nam ſi prævalerent adverſus Petram, in qua Eccleſia fundata erat, contra Eccleſiam etiam prævalerent*. S. Cyrillus apud D. Thomam in Catena. *Secundum hanc promiſſionem Eccleſia Apoſtolica Petri ab omni ſeductione & hæretica circumventione manet immaculata*. Theodoretus in Ep. ad Renatum Presb. Rom. *Tenet ſancta iſta ſedes gubernacula regendarum cuncti orbis Eccleſiarum tum propter alia, tum quia ſemper hæretici fœtoris expers permanſit*: S. Hieronymus in Ep. ad Damaſum. *Super iſtam Petram ædificatam Eccleſiam ſcio. Obſecro ut mihi litteris tuis ſive tacendarum, ſive dicendarum trium hypoſtaſeon detur auctoritas, non timebo tres hypoſtaſes dicere, ſi jubetis*. Multa alia ſupra retulimus SS. PP. teſtimonia, quæ pro hujus loci firmitate etiam validiſſime pugnant.

*III. Momentum ex Actis Conciliorum Generalium.*

D. Thomas in Opuſculo contra errores Græcorum iſta refert Concilii Chalcedonenſis verba: *Veneramur ſecundum ſcripturas & Canonum definitionem ſanctiſſimum antiquæ Romæ Epiſcopum primum eſſe & maximum Epiſcoporum*. Et infra: *Si quis Epiſcopus prædicatur infamis, liberam habeat ſententiam appellandi ad Beatiſſimum Epiſcopum antiquæ Romæ, quia habemus Petrum Petram refugii, & ipſi ſoli libera poteſtate loco Dei ſit jus diſcernendi ſecundum claves a Domino ſibi datas, & omnia ab eo definita teneantur tanquam a Vicario Apoſtolici throni*. Et ſane Act. 1. hujus Synodi Leo Papa dicitur, *Apoſtolicum gubernare Thronum, & ſedes Romana caput omnium Eccleſiarum*. Et Act. 2. cum legeretur Epiſtola Leonis PP. clamaverunt: *Anathema, qui ita non credit: Petrus per Leonem loquutus eſt*; cumque Leo Dioſcorum condemnaſſet, Synodus ait: *Sanctiſſimus Archiepiſcopus magnæ Romæ una cum ter Beatiſſimo Petro, qui eſt Petra & crepido Catholicæ Eccleſiæ, & ille, qui eſt rectæ fidei fundamentum, nudavit eum Epiſcopatus dignitate*.

Synodus V. Generalis ſubſcripſit judicio Mennæ contra Anthimum pronunciato ſequentibus verbis: *Nos Apoſtolicam ſedem ſequimur, & obedimus, ſicut charitas veſtra ſcit, &*

*ipſius*

*ipſius communicatores, communicatores habemus, & condemnatos ab ipſa & nos condemnamus.*

Prætermittimus ſextam, ſeptimam, & octavam Synodum, in quibus eadem ſancita ſunt. Vide Melchiorem Canum, Bellarminum, alioſque citatis locis.

*IV. Momentum ex Hiſtoria Eccleſiaſtica.*

Argumentum, quod ſuppeditant Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ monumenta in hunc modum conficitur. Romani Pontifices numquam a fide defecerunt, quod de aliarum Sedium Patriarchis dici nequit, & aliunde ſine Conciliis Generalibus plurimas hæreſes condemnarunt. Primum conſtat ex Macedonio, Neſtorio, Sergio, qui Conſtantinopoli ſederunt. In Alexandrina ſede Gregorius, & Lucius fuerunt Ariani, & Dioſcorus Eutychianus. In Antiochena Paulus Samoſatenus fuit Hæreſiarca, & Macarius Monothelita. In Hieroſolymitana denique Eutychius & Hilarius fuerunt Arianiſmo imbuti, & Joannes Origeniſtas fovit. At *in Eccleſia Urbis Romanæ*, inquit Ruffinus in expoſit. Symb. *neque hæreſis ulla ſumpſit exordium, & mos ibi ſervatur antiquus*. Secundum liquet ex Pelagio, Priſcilliano, Joviniano, Vigilantio, aliiſque a Romanis Pontificibus damnatis veluti Hæreticis, quos itidem pro veris hæreticis univerſalis habuit Eccleſia. Tot ergo firmiſſimis Romani Pontificis infallibilitas munita præſidiis firma remanet atque inconcuſſa.

*Reſponſiones ad objecta.*

Ob. 1. cum Centuriatoribus Magdeburgenſibus, qui varios notarunt certe ſuppoſititios Romanorum Pontificum lapſus, primumque inter ceteros proferunt Liberium, qui ſecundæ vel tertiæ formulæ Sirmienſi juxta ipſos ſubſcripſit; ergo, inquiunt, nulla eſt Romani Pontificis infallibilitas.

Reſp. His ſatisfeciſſe Cl. Berti in Tract. de Incarnat. ubi oſtendit Sap. Vir Liberium primæ formulæ ſolummodo ſubſcripſiſſe, quæ interpretative tantum hæretica erat.

Verum quoniam deprehendiſſe modo confidimus, Liberium nulli ex Sirmienſibus formulis adjunxiſſe manum, & Liberii lapſum inanem eſſe calumniantium hominum phantaſiam in odium Apoſtolicæ Sedis, idcirco ſequenti Appendice, quæ nos in hanc novam trahunt ſententiam, validiſſima argumenta ſubjicimus, quibus arbitramur melius Pontificiæ cauſæ conſultum iri.

AP-

# APPENDIX

## Concluſio,

*Commentitius eſt Liberii lapſus, & ex Sirmienſibus formulis nullam approbavit.*

DEm. Nullam approbavit Liberius Sirmienſem formulam, ejuſque lapſus idcirco commentitius eſt, quoties id validiſſimis innitatur rationibus, & quæ in contrarium ab adverſariis proferuntur argumenta ſint nauci, flocci, & pili facienda: Res autem ita ſe habet: Ergo &c.

Oſtenditur 1. pars. Et quoniam Hiſtoricorum auctoritate hoc potiſſimum in loco certandum eſt, recenſendum prius eſt, quod de Liberio poſteris amandarunt Sulpitius Severus, Socrates, Theodoretus, Caſſiodorus, & Ruffinus.

Sulpitius Severus itaque Hiſtor. Sac. lib. 2. hæc habet de Liberio: *Liberius quoque Urbis Romæ, & Hilarius Pictavorum Epiſcopus dantur exilio .... Sed Liberius paulo poſt Urbi redditur ob ſeditiones Romanas*. Socrates Hiſt. Eccl. lib. 2. c. 37. Ed. Valeſ. *Ceterum*, inquit, *Liberius haud multo poſt ab exilio revocatus Sedem ſuam recepit, cum Populus Romanus ſeditione facta, Felicem Eccleſia expuliſſet, & Imperator licet invitus aſſenſum illis præbuiſſet*, Theodoretus Hiſt. Eccl. l. 2. c. 17. ait: *Glorioſus igitur veritatis athleta in Thraciam, uti præceptum fuerat, perrexit. Elapſo autem biennio Conſtantius Romam profectus eſt .... flexus itaque Imperator* (precibus Romanarum Matronarum) *egregium illum, omnique laude digniſſimum ab exilio redire juſſit. Ambos vero* (Liberium & Felicem) *in commune Eccleſiam adminiſtrare permiſit: Quod cum populus recuſaret, omnes una voce clamarunt: Unus Deus, unus Chriſtus, unus Epiſcopus .... Poſt has chriſtianiſſimæ plebis acclamationes pietate, ac juſtitia plenas reverſus eſt admirandus ille Liberius*. Eadem ferme recitat Caſſiodorus, & Liberium appellat *Veritatis propugnatorem, & victorem ſanctiſſimum*. Hiſt. Trip. lib. 5. cap. 18. Ruffinus Aquilejenſis lib. 1. Hiſtor. cap. 27. *Liberius*, inquit, *Urbis Romæ Epiſcopus, Conſtantio vivente regreſſus eſt. Sed hoc utrum quod acquieverit voluntati ſuæ ad*

*ad ſubſcribendum*, *an ad populi Romani gratiam*, *a quo proficiſcens fuerat exoratus*, *indulgens*, *pro certo compertum non habeo*.

Hiſce præmiſſis in Liberii patrocinium primum hoc ſit argumentum.

Ruffino duo incerta erant, ideſt Liberium revocatum fuiſſe ab exilio, eo quod acquieverit Conſtantii voluntati, & quod Conſtantius illi indulſerit motus precibus populi Romani. Atqui Sulpitius Severus, Socrates, Ruffino æquales, Theodoretus homo doctiſſimus, Caſſiodorus, *Vir acerrimi ingenii*, *& inſignis eruditionis*, ut ait Hincmarus Rhemenſis, expreſſe, & definitive aſſerunt, Liberium ab exilio revocatum, non ex eo, quod Conſtantii acquieverit voluntati, quod ipſis debebat eſſe perſpectum, ſed quia ortæ ſunt Romæ ſeditiones, aut quia a Matronis Romanis, quod idem eſt, Conſtantius fuerat exoratus, ut Liberium revocaret. Ergo Liberius numquam Sirmienſem formulam approbavit.

Deinde Theodoretus appellat Liberium ab exilio redeuntem *egregium*, *omnique laude digniſſimum*, *atque admirandum:* Ergo Conſtantii minis certe non ceſſit, quod ſic oſtendo. Quia Theodoretus Liberium in exilium ſecedentem vocat *glorioſum veritatis athletam*, Liberius ante exilium ſane Sirmienſem formulam non approbavit: Ergo quia *egregium* nuncupat, *omnique laude digniſſimum*, *atque admirandum* poſt exilium, profecto cum eſſet apud Bæream integer in veritate permanſit.

Præterea Romanus Populus, ut ex præmiſſis didicimus, enixe Conſtantium rogavit, ut Liberium ab exilio revocaret, adeo ut revertenti Liberio *obvius cum gaudio exiverit*, juxta Marcellinum Tom. V. Bibl. PP. & ipſe Liberius, juxta Hieronymum in Chronico, *quaſi victor Romam intraret*. At quis eſt, qui neſciat, Romanum populum Nicænæ fidei ſtudioſiſſimum fuiſſe, atque Athanaſium ejuſque defenſores impenſe dilexiſſe? Age jam, ſi Liberius Athanaſium damnaſſet, ſi fautoribus Arrianorum præbuiſſet auditum, fuiſſetne de Liberii ſalute adeo ſollicitus? & tanto exultaſſet gaudio, dum ille Romam reverteretur? *Liberium* ergo, inquit Sozomenus Hiſtor. Eccl. lib. 4. c. 15. *utpote Virum undequaque egregium*, *& qui pro Religione Imperatori fortiter reſtitiſſet*, *populus Romanus impenſe diligebat*. Quod magis ita confirmo.

Felix erat populo Romano inviſus, quia juxta Theodoretum loco cit. *Formulam fidei a Nicænis PP. expoſitæ integram quidem*, *atque inviola-*

*violatam ſervabat*, *cum iis tamen*, *qui eam labefacta- bant*, *libere communicabat*. *Atque ob hanc cauſam nemo ex Civibus Romanis in Eccleſiam ingreſſus eſt*, *dum ille intus eſſet*. Si ergo Liberius primæ ſaltem formulæ, quæ interpretative ſaltem labefactata erat, ſubſcripſiſſet, in eadem fuiſſet Felicis conditione.

Ulterius Epiſcopos illos, qui Arimini lapſi erant, Liberius execravit, & pœnitentiæ leges lapſis impoſuit, apud Socratem lib. 4. Hiſtor. cap. 12. Si ergo & ipſe lapſus fuiſſet, aliquo ſane documento ea recantaſſet, quæ Imperatoris vi, & Arrianorum fraudibus irretitus admiſerat.

Præterea litteras, & Legatos ad Liberium Romam reverſum miſerunt, tanquam ad Nicænæ fidei, & vocis ὁμοούσιον defenſorem. Imo Euſebius Vercellenſis Tom. 4. Ital. Sac. *Romam veniens Liberium Papam adiit*, *quem ſummo gaudio Liberius excipiens*, *collegam illius ſe fore congratulabatur*, *oſtenditque ei B. Euſebius fidei decretum*, *quod ipſe & Athanaſius vir glorioſus Alexandriæ peregerunt cum ceteris Orientalibus Epiſcopis*. Quis ergo credat hæc evenire potuiſſe, niſi documento aliquo ſuæ fidei conſtantiam Liberius comprobaſſet? Ultimo, nec Severus Sulpitius, nec Socrates, nec Sozomenus, nec Theodoretus, nec alii plures hunc Liberii lapſum unquam cenſorie notarunt. In odium ergo Romanorum Pontificum fabula hæc conſarcinata eſt. Secunda pars conſtabit ex ſolutione argumentorum.

*Reſponſiones ad Objecta.*

Ob. 1. In Hiſtoria Arrianorum, quæ extat in Epiſtola S. Athanaſii ad Solitar. hæc habentur: *Sic itaque a principio ipſam Romanam Eccleſiam labefactare conati ſunt* (Arriani) *optantes ſuam illi admiſcere impietatem*. *Porro Liberius extorris factus poſt biennium denique fractus eſt*, *miniſque mortis perterritus ſubſcripſit*; *verum ea ipſa re comprobatur cum violentia eorum*, *tum Liberii in Hæreſim illam odium*, *ejuſque pro Athanaſio ſuffragium*, *quamdiu ſcilicet libere arbitrioque ſuo agere licuit*. *Nam quæ tormentorum vi præter priorem ſententiam eliciuntur*, *ea non reformidantium*, *ſed vexantium ſunt placita*; & nonnullis interjectis: *Conſtantius* . . . *Oſium*, *quem exilii vice anno integro Sirmii detinet*, *nec Deum metuens impius homo*, *neque Patris erga Oſium affectum reveritus improbus ille*, *neque ſenectutem* (*centenarius quippe erat*) *vene-*

*veneratus vir inhumanus*. *Hæc namque omnia hæreſeos gratia nihil fecit novus ille Achab, aliuſque noſtri ævi Balthaſar. Tantam enim ſeni vim intulit, tandiuque illum ditinuit, ut malis oppreſſus vix tandem cum Valente & Urſacio communicaret, neque tamen ſcriberet contra Athanaſium. Sed eam rem minime neglexit ſenex, inſtante quippe morte, vim ſibi illatam quaſi teſtamento declaravit*. Ex his ergo patet, quid de Liberio ſentire debeamus.

Reſp. Quæ ſuperius in contrarium ex Hiſtoria Arrianorum in medium prolata ſunt verba, ea ex laciniofis mendis eſſe confecta. Si quidem Arrianorum hiſtoria n.4. meminit Leontii Arriani Antiocheni Pſeudo-Epiſcopi hiſce verbis: *Leontius Caſtratus, qui nunc Antiochiæ Epiſcopus eſt*. Dum ergo hæc ſcribebatur hiſtoria, Leontius in vivis adhuc degebat. Verum Leontius iſte ſupremum diem clauſit anno 356. ut ex Socrate probant Baronius ad eundem annum, & Valeſius in Notis ad Socr. necnon Petavius in Animadv. ad Epiph. Scribebatur ergo Athanaſii hiſtoria anno 356. Sed quis eſt, qui neſciat Oſii Cordubenſis lapſum anno 357. contigiſſe, & Liberii ſubſcriptionem ad annum 358. referri? Dum ergo hæc ſcribebatur Hiſtoria, nihil adhuc Liberio contigerat. At reponunt, Athanaſium potuiſſe hæc addere hiſtoriæ in ſequentibus annis: Recte quidem, ſed non vere: Athanaſius enim falſa ſcribere non potuit. Si quidem hac in hiſtoria hoc ſolum Oſii crimen fuiſſe dicitur, quod *malis oppreſſus, vix tandem cum Valente, & Urſacio communicaret*. Sed hoc eſt apertum mendacium. Audiamus tres de Oſii lapſu nitidiſſimos teſtes Athanaſio æquales & Arrianorum perſequutionibus agitatos. Hilarius itaque Pictavorum Epiſcopus in lib. de Synod. exhibet *exemplum blaſphemiæ apud Sirmium per Oſium, & Potamium conſcripta*, ideſt ſubſcriptione ſua firmatæ, ut adnotarunt Benedictini Hilarii Editores. Idem in lib. cont. Conſtant. Imp. Sirmienſem formulam hæreticam nuncupat, eamque appellat *deliramenta Oſii*, *& incrementa Urſacii*. Euſebius Vercellenſis in Epiſt. ad Gregorium Eliberitanum Epiſc. Oſium vocat *Tranſgreſſorem*. Demum S. Phœbadius Agennenſis Bibl. PP. t. 4. cum Oſii lapſum ſibi objeciſſet, *non mihi*, inquit, *ejus auctoritate præſcribitur, nam ſi nonaginta fere annis male credidit, poſt nonaginta illum recte ſentire non credam*. Hæc ſane oſtendunt, Oſium aliquid plus præſtitiſſe, quam *vix cum Urſacio, & Valente communicare*. Quis autem cre-

credat Athanaſium in rebus tam magni momenti, & quorum ipſe pars magna fuit, Oſii lapſum ita occultaſſe, ut linimento verborum imminueret, cum aliunde falſitatis accuſari poſſet ab Arrianis eum undequaque prementibus? Quæ ergo ſuperius ex hac hiſtoria contra Liberium adducta ſunt in hiſtoria Arrianorum, certe ſunt aliena manu inſerta, quemadmodum certum eſt juxta omnes hanc eandem hiſtoriam initio mancam ac mutilam eſſe. Adde in fine hujus hiſtoriæ promitti Epiſtolam, quæ *res in Synodis Arimini, & Seleuciæ in Cappadocia geſtas enarret*. Hæc autem deſideratur. Quæ omnia ſunt certæ depravationis indicia.

Ob. 2. S. Hilarius in lib. contr. Conſtant. num. 11. Imperatorem alloquens: *Vertiſti*, inquit, *deinde uſque ad Romam bellum, eripuiſti illinc Epiſcopum* (*Liberium*), *& ob te miſerum! qui neſcio utrum majore impietate relegaveris, quam remiſeris*. Ex quibus contra Liberium hoc fit argumentum. Per Hilarium impietas fuit Liberium relegare, & forſitan major ipſum ab exilio remittere: ergo Liberius juxta Hilarium Imperatoris acquievit voluntati.

Reſp. Iſta facillime ſolvi. Scimus enim Conſtantium Liberio reditum conceſſiſſe ſub hac impia lege, ut cum Felice in commune Eccleſiam adminiſtraret. Infandum ſane ſcelus, quo *ſedes Petri dehoneſtaretur*, juxta Sozom. lib. 4. c. 15. Quod clarius expreſſit Nicephorus lib. 9. c. 37. hiſce verbis: *A duobus Præſulibus ſimul gubernata, quod diſcordiæ ſignum, & ab Eccleſiaſticis legibus alienum eſt*. Merito ergo aſſeruit S. Hilarius: *neſcio utrum majore impietate relegaveris, quam remiſeris*.

Ob. 3. in Hilarii fragmentis plures leguntur Liberii Epiſtolæ, quæ manifeſte ipſius lapſum comprobant. Videlicet fragm. IV. Epiſt quæ incipit: *Studens paci*. Fragm. VI. Ep. *Pro Deifico timore*, & Ep. *Quia ſcio vos* ad Urſacium Valentem, & Germinium. Accedunt hiſce in Epiſtolis celebres Anathematiſmi ejuſdem Hilarii in Liberium. Ita in Ep. *Pro Deifico timore*, pag. 1337. *Anathema tibi a me dictum, Liberi, & ſociis tuis*. Et in Ep. *Quia ſcio vos* n. 9. *Prævaricatori anathema una cum Arrianis a me dictum*. Ergo Liberii lapſus non eſt commentitius.

Reſp. Poſſem cum Dupinio reponere t. 2. Bibl. horum fragmentorum auctorem ignotum omnino eſſe, & incertæ prorſus ætatis, aut cum Em. Perronio in lib. cui titulus: *Replique à la reponſe du Roi de*

*de la grande Bretagne*, illud eſſe opus aut Hilarii Diaconi Luciferiani, aut alterius ex eadem Luciferianorum Secta Hilario Pictavienſi æqualis. His tamen prætermiſſis ea, quæ nobis objiciuntur, ſuppoſita, vitiata, & S. Hilario prorſus indigna oſtendere contenti ſumus. Ita clamat Liberius, ita Athanaſius, ita docet temporum ratio.

Exordiamur a Liberio, & ab Epiſtola quæ incipit: *Studens Paci*. Hac in Epiſtola Pſeudo Liberius ſcribit, ſe Pontificatus ſui initio acceptis Orientalium epiſtolis ad Athanaſium deferendas Alexandriam tribus legatis tradidiſſe litteras, quibus ipſum ſub excommunicationis pœna Romam accedere jubebat, Athanaſium vero in Urbem venire noluiſſe, eapropter a ſe excommunicatum fuiſſe. Sed hæc omnia falſa profecto ſunt. Siquidem extat Epiſtola Liberii de lapſu Vincentii Capuani fragm. 6, quæ cum ſuperioribus pugnat. Eam enim ſic concludit Liberius: *Poſt cujus factum duplici affectus mœrore mihi moriendum magis pro Deo decrevi, ne viderer noviſſimus delator, aut ſententiis contra Evangelium commodare conſenſum*. Hæc Epiſtola data eſt aut anno 353. aut initio ſequentis, quoniam ſcripta eſt poſt Vincentii lapſum. Liberius autem ordinatus fuit anno 352. omnibus conſentientibus. Hoc poſito quis credat, Liberium excommunicationis pœnam tuliſſe in Athanaſium initio Pontificatus ſui, ſi initio Pontificatus ſui tanto fuit ob lapſum Vincentii dolore correptus? Deinde fragm. V. extat Epiſtola Liberii ad Conſtantium Imper. in qua reddit rationem, cur expoſtulantibus Orientalibus Athanaſium damnare noluerit ſequentibus verbis: *Quod eodem tempore 80. Epiſcoporum Ægyptiorum de Athanaſio ſententia repugnabat ... unde contra divinam legem viſum eſt etiam, cum Epiſcoporum numerus pro Athanaſio major exiſteret, in parte aliqua commodare conſenſum*. Quæro jam: qui ob acceptas Orientalium litteras Athanaſium damnaſſe dici poſſit Liberius, cum eodem tempore Ægyptiorum Epiſtolam ad ſe perlatam afferat, atque ob eam Orientalibus noluiſſe commodare conſenſum?

Hactenus Liberium Liberio vindicavimus, nunc Athanaſium conſulamus.

Iſte itaque S. Doctor in Hiſt. Arrianorum n. 35. refert Conſtantium Euſebium Eunuchum Romam miſiſſe, qui minis, & muneribus Liberium ad condemnationem Athanaſii pertraheret. At Liberius reſtitit inquiens: *Qui, quæſo, adverſus Athanaſium id agatur? Nam quem non una ſolum,*

*lum*, *ſed & altera Synodus ex toto orbe coacta*, *purum*, *innoxiumque jure declaravit*, *quem Romana Synodus cum pace dimiſit*, *quo pacto damnare poſſumus?* Hæc ſane ſunt peremptoria.

Sed ſpuriam hanc eſſe Epiſtolam declarat ipſa temporum ratio.

Et ſane anno 352. ad Pontificatum evectus eſt Liberius. Anno autem 353. miſit Athanaſius ad Conſtantium Legatos Arelatem, qui ab ipſo poſtularent, *ut juberet*, *ſicut jamdudum ipſi placuerat*, *concilium ad Aquilejam congregari pro cauſa Athanaſii*. Qui ergo fieri potuit, ut Pontificatus ſui initio Liberius acceptis Orientalium litteris, Legatos tres miſerit Alexandriam, qui Romam Athanaſium evocarent, eumque reluctantem a ſua communione repulerit?

Hæc ſane tanti ſunt ponderis, ut clariſſime pateat, nihil præſidii contra Liberium ex fragm. Hilarii peti poſſe.

Quod de Epiſtola *Studens Paci*, diximus, idem de cæteris plane dicendum, quia ſi ſtylum, & cætera ſpectemus, dem in omnibus ingenium, & eadem auctoris indoles, quod in Epiſtola *Quia ſcio*, præſertim apparet, cum ibi eadem crambes recoquatur hiſce verbis: *Cognoſcat prudentia veſtra*, *Athanaſium*, *qui Eccleſiæ Alexandrinæ Epiſcopus fuit*, *priuſquam ad Comitatum S. Imperatoris perveniſſem*, *ſecundum litteras Orientalium Epiſcoporum ab Eccleſiæ Romanæ communione ſeparatum eſſe*, *ſicut teſte eſt omne Presbyterium Eccleſiæ Romanæ*. De quibus jam in ſuperioribus cenſoriam protulimus veritatis notam.

Qua de re ad Anathematiſmos deveniamus.

Illos profecto ſuppoſititios eſſe, & incerta manu Hilario additos ſentiunt Baronius ad ann. 357. n. 50. Benedictini PP. in Notis ad Hilar. & Nat. Alex. Diſſ. 32. Sec. 4. Art. 1. Et quidem jure merito, quod ſequenti ratiocinio facillime ſuaderi poteſt. Opus iſtud ab Hilario ad limam redactum eſt Liberio jam Romam reverſo. Quapropter quis credere poteſt hæc in Liberium jam correctum, & reſipiſcentem (juvat enim hic ejus lapſum ſupponere) voluiſſe Hilarium tanto zelo ac fervore proferre? cum jam tunc temporis Liberius, adverſariis conſentientibus, fidem Catholicam ſtrenue defenderet. Apage cum his gerris.

Fatendum ergo illa omnia commentitia eſſe, adeoque nihil Liberii infallibilitati detrahere.

Ob. 4. Fauſtinus, & Marcellinus Presbyteri in Præfat. ad Libellum precum Valentiniano, Theodoſio, atque

Arcadio ab ipſis oblatum, qui primum a Sirmondo ex tenebris erutus in Biblioth. PP. illatus eſt Tom. 5. Edit. Lugd. pag. 652. iſta de Liberio teſtati ſunt: *Poſt duos annos venit Romam* (Conſtantius) *pro Liberio rogatur a populo, qui mox annuens ait: habetis Liberium, qui qualis a vobis profectus eſt, melior revertetur. Hoc autem de conſenſu ejus, quo manus perfidiæ dederat, indicabat.* Quid ad hæc?

Reſp. 1. cum Tillemontio tom. 7. Adnot. 5. in Lucifer. Calar. allatam Præfationem nihil commune habere cum ſupplici Libello precum, adeoque Fauſtinum, & Marcellinum auctores non habere. Ridiculum ſiquidem videtur parvo libello præfationem adjicere. Adde allatam Præfationem ita exordiri: *Temporibus Conſtantii Imperatoris filii Conſtantini*, perinde ac ſi ſermo haberetur de re multis jam ſæculis prætérita: Quæ cum perpenderet accurate Sollerius tom. 7. Julii ad diem 29. in comm. critico de S. Felice Papa allatam præfationem inter apocrypha amandavit.

Ob. 5. S. Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſt. & in Chronico comprobat aperte Liberii lapſum. Inquit enim ultimo loco: *Liberius tædio victus exilii in hæreticam pravitatem ſubſcribens, Romam quaſi victor intravit*. Et de Script. Eccl. *Fortunatianus*, inquit, *natione Afer, Aquilejenſis Epiſcopus imperante Conſtantio .... in hoc habetur deteſtabilis, quod Liberium Romanæ Urbis Epiſcopum pro fide ad exilium pergentem primus ſollicitavit, ac fregit, & ad ſubſcriptionem hæreſeos compulit*. Sunt ne & hæc commentitia?

Reſp. Hieronymum falſa retuliſſe, & falſo rumore fuiſſe deceptum. Neque hoc in maximo Doctore inſolitum prorſus, atque inuſitatum, ſi oculos convertamus ad ea, quæ in Chronico de Cyrillo Hieroſolymorum Antiſtite, ejuſque ordinatione falſo adnotavit, aut quæ adverſus S. Joannem Chryſoſtomum veluti Origeniſtam ac flagitioſum hominem ſcripſit ad Theophilum Ep. 88. Nil mirum ergo, quod & circa Liberii lapſum decipi paſſus ſit Hieronymus, cum & aliunde quiſque ſciat, aliis iis, quæ ſpargebantur fabuloſe de magno Meletio Antiocheno Epiſcopo, facilem auditum accommodaſſe.

Quid præterea, ſi cum Scaligero, & Tillemontio aſſeramus, vix ullum eſſe librum, cujus tum editiones, tum MSS. Codices tot mendis ſcateant, ac Hieronymi Chronicon? Sane quod ſpectat ad Liberii lapſum in Vaticano Hieronymiani Chronici exem-

exemplo illum deſiderari ſcimus ex P. Mamachio, quemadmodum & in perantiquo Lucenſi Codice, ut Manſius teſtatur in notis ad Natalem Alex. Diſſ. 30. ſec. 4.

At inquis quid hæc, ſi eadem repetit Hieronymus in lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis?

Repono & iſta facili negotio falſitatis convinci. Quod ut commonſtrem, aſſero, Fortunatianum ſtrenuum fuiſſe Catholicæ fidei defenſorem, idque oſtendo ex Epiſtola Liberii ad Euſebium Vercellenſem, quam ex Vercellenſi Archivio primus omnium eruit Baronius, atque in ea ſic de Fortunatiano loquitur Liberius: *Etiam ad fratrem, & Coepiſcopum noſtrum Fortunatianum, quem ſciebam nec perſonas hominum vereri, & futura magis præmia cogitare, litteras erogavi, ut ipſe pro ſinceritate pectoris, & pro fide, quam ſe ſcit etiam cum diſcrimine vitæ præſentis cuſtodiſſe, etiam nunc vobiſcum dignaretur excubare.*

Præterquamquod nullum ex tota antiquitate proferri poteſt monumentum, quo probetur Fortunatianum Arrianæ, aut Semiarrianæ hæreſi nomen dediſſe.

Ob. 6. Teſtimonia Philoſtorgii, Sozomeni, Nicephori, Petri Damiani, qui omnes vere lapſum eſſe Liberium teſtantur.

Reſp. quod neque his frangimur, atque a propoſito dimovemur. Et quidem non auctoritate Philoſtorgii, utpote hominis Arriani *Impii mendaciorum artificis*, ut eum vonat Photius.

Nec Sozomeni tangimur verbis, cum potius in cauſæ noſtræ ſit patrocinium quidquid ex ipſo erui poteſt. Refert enim laudatus Scriptor lib. 4. c. 15. Liberium fuiſſe Beræa Sirmium ab Imperatore accerſitum, moxque tentatum, *ut Filium Patri non eſſe conſubſtantialem profiteretur*. Addit Epiſcopos Arrianos, *cum ea quæ contra Paulum Samoſatenſem, & contra Photinum Epiſcopum Sirmii decreta fuerant, ac præterea fidei formulam in Dedicatione Antiochenſis Baſilicæ editam, in unum tunc libellum conjeciſſet, perinde quaſi quidam ſub obtentu vocabuli conſubſtantialis propriam hæreſim ſtabilire conaretur*, dediſſe operam, ut Liberius, & Athanaſius, aliique conſentirent. Denique ait, Arrianos ſparſis rumoribus divulgaſſe, *Liberium quoque conſubſtantialis vocabulum condemnaſſe, & filium Patri diſſimilem confiteri*. Liberium vero re cognita ediditſe formulam, *qua eos, qui Filium ſecundum ſubſtantiam, & per omnia Patri ſimilem non eſſe affererent, alienos ab Eccleſia pronunciabat*.

In hucuſque narratis eſt ne ullum verbum de Athanaſio per Liberum damnato? Oſtendat, qui poteſt ex Sozomeno Liberium damnaſſe aliquatenus, aut reticuiſſe vocem ὁμοούσιον. Cæterum etſi Sozomenus Liberium cecidiſſe aſſereret, ejus auctoritas non valde nos urgeret, quippe qui Liberianam Hiſtoriam fabellis aſperſit. Quod patet præſertim ex eo, quod aſſerat, Epiſcopos Sirmienſes Clerum Romanum poſtulaſſe, ut Felix & Liberius ſimul Romanam Eccleſiam adminiſtrarent.

Quod de Sozomeno dictum eſt hactenus, de Nicephoro dictum eſſe volumus, qui omnia ex Sozomeno excerpſit.

Petrum Damianum, alioſque non moramur, cum nimis a Liberii temporibus diſtent.

Ob. 7. Apud Anaſtaſium in Lib. Pontif. Tom. 3. de Liberio hæc habentur: *Conſenſit præceptis Conſtantii, ut una participatio conveniret communionis cum hæreticis tantum ut non rebaptizarent:* Ergo &c.

Reſp. Hæc eſſe non cæteris leviora, ſed prorſus leviſſima. Etenim imprimis librum illum Anaſtaſii non eſſe, omnium Eruditorum ſententia eſt, cum ex duobus Catalogis ab Henſchenio editis Tom. 1. Apr. collectum fuiſſe Viri emunctæ naris cognoverint. Verum non ex primo collectionem hanc fuiſſe factam, certiſſimum eſt, cum iſte in exordio Pontificatus Liberii deſinat, ſed ex ſecundo, quem interpolatum agnoſco ex iis, quæ in ipſo narrantur de Sinueſſana Synodo, inventa Cruce, de Julii Papæ exilio, cæteriſque ſimilibus. Sed quid multis indigemus? Quodnam ſane commenti genus illud eſt, in quo adſtruitur dogma rebaptizantium a Conſtantio & Arrianis inductum? Quis audivit unquam tale?

Ob. 8. In Adonis Martyrologio ad diem 14. Auguſti iſta leguntur: *Natale S. Euſebii Presbyteri & Confeſſoris, qui præſente Conſtantio cum fidem Catholicam conſtantiſſime defenderet, & Liberium Papam doleret Arrianæ perfidiæ conſenſiſſe:* Ergo &c.

Reſp. Hæc quidem eſſe peremptoria. Sed interim notandum, hæc non eſſe Eccleſiaſtis verba, ſed Adonis, qui ea deſcripſit, quæ in Paſſionum Codicibus invenit, miſſo prorſus ſeverioris critices examine. Quamobrem nil mirum, ſi in Uſuardi & hodierno Baronii Martyrologio illa omiſſa ſunt.

Inſtab. Illa olim legebantur in Romano Breviario: Ergo &c.

Reſp. Poſt Pii V. aliorumque Pontificum correctiones ablata ſunt: Ergo erant emendanda. Sed finge etiamnum

num extare: quid inde? Nil prorſus. Non deſunt enim multa in Romano Breviario, quæ & adhuc indigent ſeveriori lima. Vide Papebroch. in Propyl. Guidonem Grandi Diſſert. Camald. 3.

Ob. 9. Felix II. qui Liberio in exilium miſſo, Petri cathedram tenuit, Antipapa non fuit, ſed verus, ac legitimus Pontifex. Ita Bell. de Rom. Pont. lib. 4. c. 9. Shelſtratius Antiq. Tom. 1. Diſſ. 2. aliique. Ergo Liberius canonico crimine, cauſæ nimirum catholicæ proditione ſua excidit dignitate.

Reſp. 1. Concedi poſſe Felicem II. Antipapam non fuiſſe, quin ex eo argui poſſit, Liberium fidem ſuam formulæ ſubſcriptione commaculaſſe, etiam admiſſa auctoritate Pontificalis, vel Pſeudo-Anaſtaſii, cui adverſarii innituntur. Hæc enim ſunt hujus libri verba de Liberio: *Et congregati Sacerdotes, & cum conſilio eorum Liberius ordinaverunt in loco ejus Felicem Presbyterum Epiſcopum, venerabilem virum*. Ex quibus unum e duobus infertur, videlicet: Quod cum videret Liberius nullam ſibi fore ſpem reditus, quamdiu in propoſito perſiſteret, vel ultro abdicaſſe Pontificatum, vel more majorum in perſecutionibus frequentiſſimo juſſiſſe, ut in ejus locum Epiſcopus Vicarius ordinaretur jure ſucceſſionis, ſi in exilium mori contingeret. En Liberium in fide conſtantem, & Felicem legitimum Romæ Epiſcopum.

Reſp. 2. Quod melius re expenſa nulla fides habenda eſt Pſeudo Anaſtaſio millies interpolato, ut oſtendunt ſequentia. Ibi enim fingitur I. Conſtantium cum Liberio & Euſebio Romæ eodem tempore fuiſſe, omnibus repugnantibus Chronologis. Vid. Bolland. t. 3. Aug. II. Damaſum facta Synodo cum Epiſcopis 28. & Presbyteris 25. mortuum Liberium damnaſſe, cum in tota antiquitate nullum ſit de hac Synodo veſtigium. III. Felicem in Civitate Corona 3. Idus Novembris occulte juxta muros paſſum eſſe cum multis tamen Clericis & Laicis. IV. in Vita Liberii Felicem depoſitum de Epiſcopatu habitaſſe *in prædiolo ſuo via Portuenſi, ubi & requievit in pace IV. Calend. Aug.* Quæ omnia pluribus aliis omiſſis falſa & contradictoria eſſe nemo non videt. Ex quibus reſponſio noſtra eſt, Felicem e Catalogo Romanorum Pontificum eſſe expungendum. Non ignoro, viros pietate celebres reclamare. Nihilominus pro certo habeo, S. Auguſtinum, & Optatum Milevitanum pro legitimo Pontifice Felicem non agnoviſſe. Vid. Ep. 53. al. 165. & lib. 2. cont. Par-

men. cum alias duo iſti PP. Liberio fuerint pene æquales. Eamdem ſententiam amplexati ſunt Onuphrius Panvinius in ſuis ad Platinam notis; Ciacconius in Vit. Fel. Chriſtianus Lupus in Dict. Gregorii VII. t. 5. Dupinius Bibl. t. 2. Tillem. t. 6. Natalis Alexand. Diſſert. 32. in ſec. 4. & doctiſſimus Fleury t. 3.

Inſtab. Felix II. veluti ſanctus veneratur. Ita legere eſt in Sacramentario & Antiphonario S. Gregorii M. & præſertim in Toloſano, in quo inter alios Pontifices ſic Felix invocatur: *S. Felix Apoſtolice ora*. Idem habetur in pervetuſto Kalendario Romano Frontonis, ubi ſic legitur: *D.* 29. ( Julii ) *Natalis S. Felicis Papæ*. Idem in cæteris Martyrologiis Adonis, Rabani, Notkeri, Uſuardi, Baronii, Roſweidi &c. Ergo Felix non fuit Antipapa.

Reſp. Hæc omnia monumenta ſatis valida non eſſe ad Felicis ſanctitatem tuendam. Et ſane prætermiſſis Martyrologiis Adonis, Notkeri, & Rabani, in quibus aſſuta eſt fabula Conſtantii ab Euſebio Nicomedienſi rebaptizati e cœnoſis fontibus hauſta, quod ſpectat ad Sacramentarium Gregorianum, Toloſanum, & Kalendarium Frontonis dicimus, illa intelligi poſſe de S. Felice I. qui fuit Pontifex & Martyr. Ita Natalis Alexander, & Tillemontius eo vel magis quod ſi de Felice I. non intelligeretur, nullum ipſe locum in ſacris faſtis haberet.

Ad Romanum Martyrologium reponimus, non deeſſe clariſſimos viros, qui ſentiant, aliquem quandoque veluti Sanctum in ſacris Tabulis irrepſiſſe, qui vere Sanctus non fuerit, idque probant ex prima Baroniani Martyrologii editione, in qua ad diem 24. Januarii commemoratio agebatur *S. Xinoridis Martyris* ex male intellecto Chryſoſtomo, qui Hom. 14. de Lazaro Xinoridis appellativo nomine par Martyrum indicat. Confirmant ex eo, quod poſt correctum ſecundo a Baronio Martyrologium ad diem 2. Novembris nuncietur in Sacris Tabulis Theodorus Laodicenus, quem tamen Arriana pice tinctum obiiſſe oſtendunt Valeſius, Florentinius, Pagius, & Bollandiſtæ. Neque in iis, quæ ad Geographiam, Chronologiam, Topographiam, & Hiſtoriam pertinent, Martyrologium infallibilis auctoritatis eſſe quiſquam ſuſpicetur. Non enim in eo ſe implicarunt Romana Eccleſia aut aliæ quæcumque Eccleſiæ, ut nihil in Kalendariis, Breviariis, Martyrologiis ponerent, quod extra aleam dubitationis eſſet. Sed vid. Honorat. a S. Maria T. 2. lib. 1. Diſ. 2. art. 5. §. 3.

Inſtab. In orbiculis Baſilicæ

ex Oſtienſis depicta eſt Rom. Pontificum Chronologia. Hæc picture, ut judicant Viri do ctiſſimi ad quintum Eccleſiæ ſæculum ſpectat, eaque Felicem repræſentat. Ergo non eſt Felix inter Pſeudo Pontifices annumerandus.

Reſp. Falſos tunc temporis per Italiam rumores de Liberii lapſu ſparſos fuiſſe, & falſos etiam de Felicis martyrio. Qua de re facile poteſt quiſque ſibi ſuadere, Pictorem, aut illum, qui operi præerat, exiſtimaſſe, ſe de Romana Sede bene mereri, ſi Sanctum illum legitime Eccleſiam adminiſtraſſe edoceret.

Cæterum Antipapa eſſe potuit Felix, quin ejus ſanctitati aliquid detraheretur. Sancta fuit mulier, quæ erat in civitate peccatrix, & Sancti, qui erant Publicani. Certe Felicem cum Arrianis communicaſſe concedunt adverſarii. Quod ſi hocce peccatum ejus non officit Sanctitati, cur alia oberunt? Sed his tandem finis imponatur.

Ob. 2. Honorius I. Hæreſi adhæſit Monothelitarum: Ergo &c.

Reſp. Et de hoc univerſalis Eccleſiæ Pontifice peculiarem inſtitui quæſtionem in Buziano Compendio in tract. de Incarn.

Ob. 3. Joannes XXII. negavit viſionem Dei intuitivam: Ergo &c.

Reſp. Vide Buzianum Comp. tract. de Viſione. Alia plura ſunt argumenta, quæ contra Pontificiam auctoritatem proferuntur ab Hæreticis, ſed ea nimis putida, fatua & inſulſa ſunt, ut in iis immorari idem ſit ac oleum & operam perdere. Quare vide Bell. cit. loc. & Melch. Canum de Loc. Th. alioſque.

# LIBER SEXTUS.

## *De SS. Patrum auctoritate.*

De SS. Patrum auctoritate in rebus Theologicis verba facturi rem totam certis volumus potius continere limitibus, quam prolixiorem effundere diſſertationem, id enim inſtituti noſtri ratio non poſtulat. Qua de re ad certos quoſdam Canones, quæ in hanc rem diſputari ſolent, revocabimus, ne Theologiæ Candidati in Pa-

Patrum interpretatione a veritate recedant, & ex his, quantum neceſſitas poſtulat, valeant delibare.

## CAPUT UNICUM.

### C A N. I.

IN iis quæſtionibus, quæ ad fidem non pertinent, nec traditionem aut ſacras litteras reſpiciunt, omnium Patrum aliqua in re conſenſus probabile, non certum argumentum ſuppeditat.

### C A N. II.

Quod ſi duo vel plures ex PP. in rebus ad fidem minime ſpectantibus conſenſerint, tantum illis auctoritatis demandandum, quantum rationibus, quas attulerint.

### C A N. III.

Unius aut duorum SS. PP. auctoritas in rebus ad fidem pertinentibus probabilem facit fidem, non certam.

### C A N. IV.

In fidei dogmatibus roborandis univerſalis Patrum conſenſus Theologo eſt firmiſſimum veritatis fundamentum.

### C A N. V.

Si aliquis SS. Patrum docuerit aliquod dogma, quod poſtea ab Eccleſia rejectum fuerit, illud tanquam errorem reputare debemus, ipſum refellere, non S. Doctorem.

### C A N. VI.

In aliqua Hæreſi confutanda PP. qui ante illam ſcripſerunt, minoris ſunt auctoritatis, majoris vero illi, qui eam data opera confutarunt.

Sex iſtis regulis rite adhibitis in PP. lectione juvenes proficiant. Multa alia ſane forent animadvertenda, ſed Theologicarum diſceptationum uſu invaleſcente erunt aſpera in vias planas. Quare ea prætermittimus.

Verum quoniam in rebus Theologicis, & in Auguſtinenſium præſertim Theologia magna eſt auctoritas S. Auguſtini, quem cum de auxiliis agitur divinæ gratiæ, ſequi tenemur ac tueri, idcirco de ejus auctoritate nonnulla explanare per appendicem ſtuduimus, & quæ apud alios ſparſa leguntur, in hoc uno erunt congeſta.

De

*De Auctoritate S. Auguſtini in rebus Theologicis.*

# APPENDIX.

Quamvis omnia ad fidem probe tenendam, moreſque honeſtati conformandos in omnibus S. Scripturæ libris accurate tradantur, nullus eſt tamen, qui neſciat Pauli Apoſtoli auctoritatem præ cæteris eſſe conſulendam, qui ſingulari Dei conſilio prædeſtinatus eſt vas electionis, & veritatis extitit prædicator.

Jam vero ut inter Scriptores ſacros eminet Paulus, ſic inter antiquæ fidei conditores, inter præclaros traditionis teſtes & Interpretes eminet certe Auguſtinus. Utinam illum ſequerentur omnes: nullus profecto foret controverſiis locus. Sed illud maximopere dolendum, Auguſtino non tantum Hæreticos infenſos fuiſſe, ſed contra illum Catholicos etiam arma ſumpſiſſe; quod ſane cenſeo plus eſſe quam deteſtabile.

Horum omnium catalogum texere maxime piget, ſed cum neceſſitas poſtulet, aliquorum ſaltem hic exſcribere non pigeat nomina reverenda, minime tamen reverenter tractanda.

Et ſane Semipelagianorum omiſſis querimoniis, qui apud Maſſiliam degentes contra S. Auguſtinum ejuſque doctrinam de gratia inſurrexerunt, Proſpero & Hilario teſtibus in Epiſtolis ad S. Auguſtinum datis, primum hic nominabimus Jacobum Pereyret in Pariſienſi Academia Theologiæ Profeſſorem, qui in ſua Navarrici Collegii ſchola doctrinam de gratia tradituros præmiſit *Apparatum ad tractatum de gratia, in quo Sanctiſſimi Doctoris auctoritatem nunc furtim aggreditur, nunc aperte oppugnat* (verba ſunt anonymi, qui Apparatum confutavit). Unde inter alia commentus eſt, *Summos Pontifices doctrinam S. Auguſtini aliquo pacto improbaſſe; in aliquibus Auguſtinum inconſtantem & varium eſſe, nec unius labii & ſcientiæ; ſurfuroſos eſſe aliquos ejus libros; Seniores Auguſtini Hipponenſis nonnullas eſſe propoſitiones etiam nunc ſcandaloſas, & immittentes offenſiones in pias aures, damnatas quaſdam in Bajo & Janſenio, geminas ejus opiniones damnatas a Pontificibus, & a Facultate Pariſienſi; Urbani VIII. in Bulla edenda mentem non fuiſſe, ne præjudicium doctrinæ S. Auguſtini afferret &c.* Sed huic jam præluſerat Lovanii Joannes Schinkelius Moliniſtarum extra

tra Societatem militantium anteſignanus. *Is eo temeritatis prorupit*, ut ſcribit inſignis Academiæ Lovanienſis Theologus in manuſcripta D. Auguſtini Apologia, *ut perruptis agminibus ipſum Auguſtinum cominus aggrederetur, & in ſcholis publicis illius Univerſitatis non tantum viva voce injurioſiſſima quæque, ipſis etiam hæreticis inſolita in venerandum iſtum Præſulem pronunciaret, ſed quo vulnera altius infligeret, diſcipulis quoque ſuis perlegeret, & dictaret tractatum a ſe compoſitum de auctoritate S. Auguſtini, in quo nihilo mitius S. illum Doctorem excepit*. Ex hoc in Auguſtinum iniquo opere 22. ſelectæ ſunt propoſitiones tenoris ſequentis.

*I. Auguſtini quædam dogmata ab Apoſtolica Sede in terminis eſſe damnata.*

*II. Miſeram fore Eccleſiam, ſi Auguſtini placitis obſtricta maneret.*

*III. Eccleſiam a tutela & pædagogia Auguſtini eſſe vindicandam.*

*IV. Auguſti auctoritatem non plus valere, quam rationes, quas allegat, evincant.*

*V. Auguſtinum fuiſſe Doctorem perinde ac alium quempiam modernorum.*

*VI. Auguſtini dotes, ſeu naturales, ſeu infuſas non fuiſſe altioris ordinis, quam aliorum Doctorum etiam Scholaſticorum.*

*VII. Si poſt Auguſtinum nihil chriſtianæ eruditioni acceſſerit, Scholaſticam Theologiam penitus rejiciendam fore.*

*VIII. Auguſtini auctoritatem interponentibus reſpondendum eſſe, Eccleſiam in ſuis filiis uſque hodie creſcere etiam eruditione.*

*IX. Auguſtinum Juliani Pelagianiſtæ argumentis non ſatisfeciſſe.*

*X. Si triumphus Eccleſiæ de Pelagianis niteretur poſterioribus Auguſtini ſcriptis, immerito de iis illa triumphaſſet.*

*XI. Volentem ſuſtinere partem Juliani non poſſe rationibus convinci.*

*XII. Auguſtini Theologiam de originalis peccati traduce eſſe ruſticanam.*

*XIII. Ex Auguſtini opinione de peccato originis cogi nos incidere in ſententiam Pelagii.*

*XIV. Auguſtinum ſacrarum Litterarum auctoritatem ſua expoſitione enervare, & ludibrio infidelium exponere.*

*XV. Auguſtinum quaſi ſub caligine conſtitutum ad veritatem a recentioribus inventam non attendiſſe.*

*XVI. Auguſtini ſententiam fidelium non paucos turbaſſe, ejuſque auctoritate percuſſos in Pelagianiſmum declinaſſe.*

*XVII. Auguſtini ſententiam a multis duram nimis, indignam-*

*gnamque divina bonitate ac clementia judicari non mirum.*

*XVIII. Ab Auguſtino, aliiſque idem ſentientibus peti poſſe, undenam ſuæ ſcientiæ certitudinem hauſerint.*

*XIX. Auguſtini veſtigiis non eſſe inſiſtendum, ſed aliter philoſophandum.*

*XX. Auguſtini locutiones, quamvis aliquo ſenſu veras, improprias tamen eſſe, nec paſſim frequentandas.*

*XXI. Utrum Auguſtinus contra quod ſentimus, ſentiat, non admodum referre.*

*XXII. Non recte dici: illud ſaltem neceſſario ab omnibus eſſe tenendum, quod Auguſtinus aſſeruit, nec retractavit.*

Notandum tamen eſt omnes iſtas propoſitiones Schinkelii non eſſe, ſed ſeptimam, octavam, & vigeſimam ſecundam legi in libro Joannis Roberti Jeſuitæ, cui titulus eſt: *An Nathanael fuerit Bartholomæus Apoſtolus*. Decimamtertiam, decimamoctavam, & decimamnonam eſſe Gabrielis Vaſquezii & primam quidem 1. Tom. in 1. 2. diſp. 132. c. 3. n. 14. Secundam vero Tom. 1. p. 1. diſp. 97. c. 3. n. 20. Tertiam denique Tom. 2. in 1. 2. diſp. 193. c. 4. n. 39.

Præterea decimaquarta, 15. 16. & 17. ſunt Ludovici Molinæ petulanter S. Doctori inſultantis mirabile inventum. Et prima quidem in tractatu *De Opere ſex dierum* diſp. 1. Secunda in *Concordia* q. 23. a. 4. & 5. diſp. 1. memb. 6. Tertia ibidem membr. ult. Quarta ibid. memb. 6.

Vigeſima, & 21. excerptæ ſunt ex articulis n. 12. & 20. Jeſuitarum Lovanienſium cenſura notatis ab Univerſitatibus Lovanienſi & Duacenſi an. 1587. & 1588. Reliquæ vero propoſitiones Schinkelii ſunt.

Interim in lucem emiſſo hujus Anti Auguſtiniani opere, Lovanienſis Academia graviter exulcerata, quod præcipui Magiſtri ſui nomen & auctoritatem tam impiis dentibus dilaceratam videret, hominis iſtius audaciam deteſtata ſcripta quoque ipſius publico Decreto reprobavit 24. Maji 1644.

Neque his contenta ultra ipſas Alpes remedium quæſivit, quo auctoritatem Magiſtri ſui vindicaret, & petulantes iſtas linguas compeſceret, atque primos illos ejuſdem S. Patris diſcipulos Proſperum & Hilarium imitata, qui Romam ad Cæleſtinum Papam profecti aliquando fuerunt, querelaſque de Gallorum Semi-Pelagianorum petulantia adverſus S. Auguſtinum depoſuerunt, per binos quoque Deputatos ſuos Apoſtolicam Sedem acceſſit, atque exſurgentem Semipelagianam in eumdem Auguſtinum temeritatem Urbano VIII. Pon-

Pontifici expoſuit, auctoritatemque ipſius pro eadem retundenda inſtanter imploravit ſubjuncto ſupplici libello.

Sed Urbano VIII. paulo poſt e vivis ſublato remedium intermiſſum fuit, quod tamen ab ipſo non fruſtra ſperandum videbatur, quippe qui in primo iſtorum Deputatorum alloquio aperte declaraverat die 26. Novembris 1643. *Intentionis ſuæ neutiquam fuiſſe ullum præjudicium S. Auguſtino procreare*, ( editione ſcilicet Bullæ adverſus Janſenium ) *imo quicumque contrarium afſererent, cohibendos eſſe*.

Interim Innocentium X. Urbani in Petri Cathedra ſucceſſorem interpellarunt, porrecto ipſi altero ſupplici libello, qui de Pontificis mandato ad S. Officii Congregationem miſſus vepribus hæſit, forſitan adverſariorum potentia, artibus & falſis ſuggeſtionibus retardatus.

Contigit porro anno 1650. ut per Hiſpanias ſpargeretur libellus, in quo legebantur duæ & viginti illæ propoſitiones in S. Auguſtinum contumelioſiſſimæ, ſed a Patribus Auguſtinenſibus ad eam proterviam reprimendam nil validius viſum eſt, quam rem ad Catholicum Regem deferre, ac petere mandatum regium ad Inquiſitores fidei, quo juberentur D. Auguſtini auctoritatem tueri, eaſque propoſitiones ea, qua dignæ erant, cenſura notare. B. Patris Auguſtini cauſam adverſus eos, qui ejus doctrinam oppugnabant, defendendam imprimis ſuſcepit Bartholomæus De los Rios Auguſtiniani Ordinis decus ſingulare, qui adeo feliciter hanc ſpartam implevit, ut ſupremus fidei quæſitor propoſitiones illas examinandas ſumeret, eaſque ad Commiſſarium Generalem Fratrum Minorum ſigillatim miſſas, ejus de iis ſententiam rogaret. Ille cum eas attente perlegiſſet, cenſere ſe reſpondit, omnes eſſe vehementiſſime ſuſpectas, e pectore hæretico ſine dubio prodiiſſe, actum eſſe de Eccleſia, ſi ſic pedibus conculcetur Auguſtini auctoritas, atque adeo eas e libris ſcriptiſque omnibus, in quibus reperirentur, expungi oportere. Tandem die Martii 18. a ſupremo Inquiſitorum fidei Tribunali emanavit Decretum, quo 22. illæ propoſitiones proſcribebantur tanquam *reſpective falſæ, improbabiles, abſurdæ, maleſonantes, piarum aurium offenſivæ, temerariæ, erroneæ, ſapientes hæreſim, & & in ſanctitatem, pietatem, doctrinamque glorioſiſſimi Patris S. Auguſtini incliti Eccleſiæ columinis contumelioſæ*. Verum illius Decreti promulgatio ob cauſas adhuc ignotas dilata fuit. Ceterum Inquiſitores Valliſoletani Decretum edi-

ediderunt, quo eadem cenſura propoſitiones illas 22. percuſſerunt, promulgatumque illud Decretum fuit Valliſoleti & Burgis anno 1650. uno e diebus Dominicis quadrageſimæ,

At Pater De los Rios libellum ſupplicem iterum obtulit Inquiſitori Generali, quo nomine ſuæ Religionis exponebat Decretum cenſuræ ab eo latæ in 22. propoſitiones in publicum editas, quibus S. Auguſtini auctoritas convellebatur, neque Madriti, neque in ullo oppido Archiepiſcopatus Toletani fuiſſe promulgatum, quamquam cenſuræ exemplaria ad omnes Regni Hiſpaniarum Inquiſitores ideo miſſa eſſent, mandatum que ut ſolemniter ubique promulgaretur. Quare ſupplex petebat ab Inquiſitore Generali mandati, ut Madriti, Toleti, inque Oppidis omnibus illius Archiepiſcopatus cenſura publicaretur, deſignatis & ad vertum expreſſis viginti illis & duabus propoſitionibus,

Tum poſtulavit, ut ſibi Decreti & Cenſuræ exemplum authenticum traderetur, facultaſque fieret ea prælo ſubjiciendi, mittendique ad omnes Auguſtinianorum Conventus in tabulariis domeſticis aſſervanda.

Qua de re paucis exinde diebus publicata fuit Madriti ea cenſura, & ad valvas Eccleſiæ S. Sebaſtiani, inque aliis locis conſuetis affixa ſed continuo detracta fuit ab emiſſariis eorum, qui patiebantur ſuos Theologos impune in S. Auguſtinum jactare contumelias, nec ferre poterant, ut adverſus obtrectatores Auguſtinus defenderetur, eoque factum eſt, ut vix ullis notum eſſet, aut editam fuiſſe cenſuram, aut publicatam; iiſque, quorum juſſu & cura detracta eſſet, facile foret hominibus perſuadere, neque affixam uſpiam, neque latam fuiſſe. Traditum etiam fuit Procuratori exemplar cenſuræ authenticum juſſu ſupremi Inquiſitoris.

Eodem hoc an. 1650. editus eſt in lucem a P. Joanne Adamo Jeſuita Gallo cum permiſſione Patris Claudii Delingendes Provincialis, & approbatione trium e Societate Theologorum liber materna lingua ſcriptus hoc titulo: *Calvinus a ſeipſo, & armis S. Auguſtini, quæ injuſte uſurparat, jugulatus*, in quo Jeſuita ille amplius audere non timuit, quam omnes collegæ ſui, ut patet ex ſequentibus propoſitionibus ex illius libro decerptis.

*I. Arma Auguſtini inexpugnabilia non eſſe*. c. 4. pag. 581.

*II. Si intra verborum S. Auguſtini altitudinem me continerem, Calviniſta eſſem*. c. 8. p. 640.

*III. Or-*

*III. Orbi univerſo notum eſt, inter omnes Patres unum Auguſtinum Euchariſtiæ Myſterium maxime confudiſſe*. c. 16. p. 760.

*IV. Auguſtini arma apta non eſſe ad exterminandos Calviniſtas*. c. 4. p. 596.

*V. Auguſtini ſententiam de impiorum hominum reprobatione ob originale peccatum licitum eſt horrere, quod mater eſt illius, quam Calvinus tanta impietate ac rabie contra Eccleſiam inculcat*, c. 10. p. 667.

*VI. Auguſtinum dixiſſe, Mannam & Euchariſtiam eſſe æqualiter figuram Chriſti*, c. 7. p. 624.

*VII. Doctrinam S. Auguſtini de Myſteriis gratiæ, libertatis, Prædeſtinationis & Euchariſtiæ eſſe difficillimam intellectu, & eam obſcuritatem magnas diviſiones tum vivo tum mortuo Auguſtino peperiſſe*. c. 4. Dial. 6. de Op. Prob. pag. 610.

*VIII. S. Auguſtinum non ſemper diſtinguere id, quod docet uti dubium, & quod tradit ut indubitabile*, eod. cap.

*IX. Auguſtinum noluiſſe ſuos ſenſus clare exponere, vel in illis explicandis non ita felicem fuiſſe, ut nullus de ejus mente dubitandi ſuperſit locus*. Ibid.

*X. Auguſtinum immerito aliquos velle, ipſum eſſe Oraculum Gratiæ, & Concilii Tridentini Interpretem*. Ibid.

Hæ propoſitiones ad notitiam venere ſapientiſſimi Patris Bartholomæi De los Rios, quare ſub initio anni 1651. novum libellum ſupplicem Inquiſitori obtulit, in quo inter alia memorabat, veniſſe in notitiam ſuam, ſumma impudentia Joannem Adamum Jeſuitam de S. Auguſtino pene, ut de Calviniano loqui in libro, quem anno proxime elapſo ediderat. Quapropter ab Inquiſitore Generali nomine trium Provinciarum Caſtellanenſis, Tarraconenſis, & Andaluſienſis, ſupplex petiit, ut ejus juſſu iterato cenſuræ latæ in 22. propoſitiones decreto promulgarentur, eaque cura in illis affigendis adhiberetur, ut neque avelli, neque lacerari poſſent. Ita factum eſt, & Rex Catholicus a Pontifice petiit, ut eam cenſuram confirmaret, arrogantiamque frangeret eorum, qui tam irreverenter de S. Auguſtino loquerentur. Interim Dominicani Ordinis Præpoſitus omnibus Monaſteriorum Superioribus injunxit, ut ab omnibus ſui Ordinis Concionatoribus ac Theologis S. Auguſtini doctrina ubique conſtanter & intrepide prædicaretur, doceretur que, & cum Auguſtiniani Ordinis ſupremo Antiſtite ſummum Pontificem convenire decernit, & ambo a ſua Sanctitate poſtulant por-

porrectis enixis precibus, ut creſcentem in dies adverſus S. Auguſtini doctrinam, auctoritatemque æmulorum audaciam ac protervìam auctoritate Apoſtolica compeſceret. Tam æquis poſtulatis benigne annuit Pontifex, juſſitque ut peculiari Decreto XXII. Propoſitiones S. Auguſtini nomini & honori tam contumelioſæ ſine mora proſcriberentur. Verum conatus illos juſſaque Pontificis irrita fecere vafrities, arteſque Moliniſticæ.

Interim poſt illas inducias reſumptis ſcriptorum armis ſe accinxere Auguſtiniani agminis ſtrenui pugiles non pauci, *qui magni Parentis partes* (ſapientiſſimi Cardinalis Noriſii verba uſurpo in Præf. ad Vind.) *acerrime defenſarunt. Pater Carolus Moreau Gallus, qui tom.* I. *ſuarum in Tertullianum animadverſionum ſatis prolixas vindicias pro Auguſtino inſeruit, quod itidem præſtiterat vir inſignis Joannes Rivius Belga lib.* 4. *de vit. Auguſtini*. Verum omnes Auguſtini defenſores longo poſt ſe intervallo reliquit Eminentiſſimus Cardinalis Noriſius in illo immortali opere, quod ſanctiſſimi ſui Patris honori vindicando conſecravit typis Patavinis, hoc titulo: *Vindiciæ Auguſtinianæ* anno 1708. cujus operis condendi primam occaſionem, ſi curioſius inquiramus, conſtabit eam fuiſſe libellum illum ſupplicem Innocentio Papæ X. a Lovanienſibus Theologis anno 1644. oblatum, ex quo decerptæ duæ & viginti illæ propoſitiones ſancto gratiæ defenſori injurioſæ & per Hiſpaniam vulgatæ Auguſtianorum animos ad ſui Parentis defenſionem inflammarunt.

Nec ad Auguſtini gloriam & magnam Noriſii laudem prætermittendum, illis in Vindiciis Patris Annati, Joannis Martinoni, aliorumque peſſimorum calumnias ſatis ſuperque, ac pleniſſime confutari.

Hanc hiſtoriolam litteris conſignaſſe legentibus arbitror non ingratum nec inutile. Hinc viam quaſi ſternimus ad S. Auguſtini auctoritatem in rebus Theologicis vindicandam, quam illi negant imperiti & inimici homines; atque ut a ſcholaſtica methodo non diſcedamus, ad ſequentes Theſes perlegendas juvenes adhortamur, atque ut eas memoriæ tradant, iterumque monemus.

### Concluſio I.

*In controverſiis Theologicis explicandis, maxime ſi ad aliquam hæreſim referantur nonnullæ, potior eſſe debet auctoritas illorum Patrum, qui hæreſes illas profligarunt.*

Dem. Patres illi, qui hæreſes confutarunt aliquas, majorem habent ceteris omnibus peritiam illorum fidei dogmatum, quæ contra eaſdem hæreſes propugnarunt: Ergo potior illorum auctoritas eſſe debet etiam in iis controverſiis, quæ ad idem dogma referuntur. Conſequentia patet. Antecedens oſtenditur. Patres illi, qui aliquod fidei dogma contra hæreticos propugnarunt, omnia conſiderarunt diligentius, maturius examinarunt, & clarius intellexerunt: Ergo &c. anteced. patet ex Auguſtino, qui lib. 16. de Civitate Dei hanc auream exaravit regulam. *Multa*, inquit, *ad fidem catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine agitantur, ut adverſus eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentius, & intelliguntur clarius, & inſtantius prædicantur, & ab adverſario mota quæſtio diſcendi exiſtit occaſio*. Sic in Pſalm. 67. num. 39. *Multi ſenſus ſcripturarum ſanctarum latent . . . . nec aſſeruntur commodius & acceptabilius, niſi cum reſpondendi hæreticis cura compellit.* Unde in Pſalm. 54. num. 22. jam præmiſerat: *Numquid enim perfecte de Trinitate tractatum eſt, antequam oblatrarent Arriani? numquid de pœnitentia..... antequam obſiſterent Novatiani &c.?* quod in prædeſtinationis & gratiæ negotio contigiſſe affirmat lib. de Don. Perſev. c. 20. n. 54.

Et ſane quis dicat, ubi de Trinitate agitur, Clementem Alexandrinum, Arnobium, aut Lactantium potius eſſe conſulendos, quam Athanaſium, Baſilium, Gregorium Nazianzenum? Ubi de Incarnatione, majorem eſſe Theophilo Alexandrino, quam Cyrillo fidem habendam? Ergo ut ſapientiſſime monuit Perronius c. 5. obſ. 3. in unoquoque argumento ii Patres ſunt aliis præferendi, qui contra aut poſt exortas hæreſes ſcripſerunt.

### Concluſio II.

*In controverſiis Theologicis enodandis illi Patres, qui multis & majoribus annis hæreſim aliquam confutarunt, ceteris ſunt præferendi, qui paucioribus annis idem argumentum pertractarunt.*

Sequitur ex præmiſſis, & eſt per ſe manifeſta.

## Concluſio III.

*S. Auguſtinus in dogmate de gratia & libero arbitrio, necnon de Prædeſtinationis Myſterio ceteris Patribus eſt anteferendus.*

Dem. S. Auguſtinus per annos viginti contra Pelagianos pugnavit: Ergo &c. Prob. antec. enumeratione facta illorum librorum, quos S. Doctor adverſus gratiæ inimicos conſcripſit, & ex iis, quæ contra ipſos fortiter geſſit. Et ſane anno 412. cum Carthago novis de gratia & libero arbitrio quæſtionibus Cæleſtii fautoribus undique conclamantibus perſonaret, Auguſtinus ſtylum in Pelagianos acuens tres ad Marcellinum virum Conſularem, quem in ſuas partes hæretici trahere conabantur, libros edidit, quos de peccatorum meritis & remiſſione inſcripſit. In horum primo Adam, niſi peccaſſet, minime moriturum, ejuſque Poſteros originali labe infectos naſci demonſtrat, in altero vero quatuor haſce quæſtiones ſolvit: *Utrum poſſit homo eſſe ſine peccato. Utrum ſit. Si non eſt, cum poſſit eſſe, cur non ſit. Utrum qui omnino numquam ullum peccatum habuerit, non ſolum quiſquam ſit, verum etiam potuerit aliquando eſſe vel poſſit?* In poſtremo volumine nonnullis argumentationibus, quæ in Pelagii ſuper Paulinas Epiſtolas commentariis legebantur, reſpondet, nam eoſdem S. Doctor finitis duobus libris prioribus acceperat.

Anno ſequenti cum plerique Cæleſtii erroribus imbuti pravas doctrinas Carthagine ſpargerent, Auguſtinus rogatus ab Aurelio in Baſilica majori luculentiſſimam orationem ad Carthaginenſes habuit, qua ex ſacris litteris aperte oſtendit, pueros naſci infectos originali peccato, excludi illos regno cælorum, ſi abſque Baptiſmo decedant, nec uſquam fingi poſſe tertium locum, ubi ſine Baptiſmi gratia mortui felicem ac beatam vitam agere poſſint. Quo vero validius Catholicam ſententiam adverſus Pelagianorum conatus Carthaginenſibus perſuaderet, eamdem S. Cypriani ſanctiſſimi illius urbis Epiſcopi teſtimonio confirmavit. Hæc omnia ex ipſo habemus Auguſtino c. 12. lib. de Geſt. Pelagii ad Aurelium, qui hæc habet: *Unde coacti ſumus ſollicitudine charitatis, quam erga Eccleſiam Chriſti nos habere convenit, etiam ad B. memoriæ Marcellinum, qui eos quotidie diſputatores moleſtiſſimos patiebatur, & me per litteras conſulebat, de quibuſdam iſtarum quæſtionibus ſcribere, & maxime de Baptiſmo parvulorum, de quo*

*etiam poſtea, te jubente, in Baſilica majori geſtans quoque in manibus epiſtolam glorioſiſſimi Martyris Cypriani, & de hac re verba ejus recitans, atque pertractans, ut error iſte nefarius de quorumdam cordibus auferretur, quibus perſuaſa fuerant, quæ in his geſtis videmus damnata, adjutus orationibus tuis, quantum potui, laboravi*. Laudata Auguſtini oratio nunc etiam legitur inter ſermones ejuſdem de verb. Apoſt. eſtque ſermo 14. in cujus calce etiam de rebus Pelagianorum diſſerit. Ex hoc S. Doctoris ſermone adeo commota eſt univerſa civitas, ut Cæleſtius Carthagine pelleretur.

Anno 414. multos inter Pelagii Diſcipulos recenſebantur Timaſius & Jacobus adoleſcentes honeſtiſſime nati, qui ipſius Pelagii exhortatione monaſticam vitam agebant, at pravis doctrinis imbuti contra Dei gratiam diſputabant. Hæc ubi Auguſtinus accepit, admonere identidem juvenes non deſtitit, qui cum primum corrigi cœpiſſent, ſecretum Pelagii librum de Natura inſcriptum ad Auguſtinum miſerunt. S. Doctor ceteris, quæ ad manum aderant, intermiſſis Pelagii librum evolvit, quem cum erroribus paſſim ſcatentem agnoviſſet, ſtatim juſtum eidem volumen oppoſuit, quod *de Natura & Gratia* inſcriptum iiſdem adoleſcentibus dicavit, quo veluti præſentiſſimo antidoto egregii illi juvenes præmuniti Pelagianum virus evomuere. Docet autem Auguſtinus hoc in libro, neminem per naturæ legem ſalvari poſſe, ſed tantum per fidem & ſacramentum ſanguinis Chriſti. Non ita laudandum eſſe Creatorem, ut convinçamur dicere ſuperfluum Salvatorem, laudandam hominis naturam primitus a Deo creatam, ſed hanc Adæ peccato ſauciatam ab eodem ſanandam eſſe. Vitia quæ patimur non divino operi, ſed voluntati humanæ, juſtæque Numinis vindictæ adſcribenda: in noſtra fuiſſe quidem poteſtate ne illa acciderent, ut autem auferantur a Deo ſolum ſperandum, illumque inſuper exorandum non modo, ut præterita peccata condonet, verum etiam rogandum, ut futuris ſua nos gratia eximat. Neminem excepta Dei Genitrice fuiſſe ſine peccato, libertatem arbitrii divino auxilio roborandam: nullum denique veterum Patrum contraria docuiſſe, quod explicatis eorumdem a Pelagio adductis teſtimoniis erudite demonſtrat. Hæc ibi Auguſtinus, qui tum primum Pelagium hæretica docere cognovit: *Propoſuit de Gratia*, inquit, *quæſtionem; id reſpondit quod habebat in corde; definita quæſtio eſt, non quam vole-*

*volebamus*, *ſed ubi*, *quid ſentiret*, *dubitabamus*. Eodem tempore Hilarius ab Auguſtino ſolutionem petiit quinque quæſtionum, quas e Sicilia illi tranſmiſerat, cum Pelagii diſcipuli Syracuſis turbas darent. Repoſuit S. Doctor data ad Hilarium prolixiori Epiſtola, neminem in hac vita vivere poſſe ſine peccato, liberum arbitrium abſque gratiæ adjutorio non poſſe divina mandata ſervare, damnari infantes ex hac vita migrantes nondum regeneratos, Divites non teneri ad univerſa bona pauperibus eroganda, nec ullum eſſe debere ad jurandum proclivem.

Anno 417. Hipponenſis Antiſtes pereruditam traſmiſit ad Paulinum Nolæ in Campania epiſtolam. In hac eum reddebat certiorem de iis, quæ tum in Africa per ſynodos Carthaginenſem & Milevitanam, tum Romæ ab Innocentio geſta fuerant contra Pelagianos. Diſputat etiam ibidem de Prædeſtinatione electorum, ac reproborum damnatione tanto argumentorum pondere, ut nihil melius.

Animus certe hic non eſt omnia S. Doctoris ſcripta recenſere, ſed tantum aliqua per ſaltum attingere. Quare Auguſtinum miſiſſe Hieroſolymam libros Pelagii anno 418. vertente, illiuſque fraudes detexiſſe, dein juſſu Zozimi in Mauritaniam perrexiſſe, Hipponem reverſum ad Sixtum, dein ad Valerium Comitem contra Pelagianos ſcripſiſſe, ſufficiat commemoraſſe.

Prætermittendum tamen non eſt, elaboratiſſimum illud Auguſtini opus, quod S. Doctor contra Julianum ſcripſit anno 422. in quo, licet in ceteris fuerit mirabilis, factus eſt plane divinus. Nec ſilentio prætereundum, quod cum Semipelagiani in Gallis ducibus Caſſiano, ac Monachis Lerinenſibus Auguſtini ſententiam de gratuita Prædeſtinatione ad fidem, & ad gloriam carperent & acerrime inſequerentur, duobus libris de Prædeſtinatione SS. & de dono Perſeverantiæ editis illos penitus S. Doctor compreſſit, donec anno 430. labente contra Julianum denuo ſcribens ad ſuperos evolavit. Unde merito S. Proſper in Præfat. contra Collatorem ſcripſit: *Viginti amplius annis contra inimicos gratiæ Dei Catholica acies*, *hujus VIRI ductu*, *pugnat ac vincit*, *quia non patitur reſpirare*, *quos vicit*. Quæ verba ad rectum temporum ordinem ſervandum etiam de Proſperi etate intelligenda eſſe non dubito.

## Concluſio IV.

*Auguſtini doctrinam de Gratia & libero arbitrio ceteris eſſe anteferendam ex Oraculis Romanorum Pontificum demonſtratur.*

Dem. Innocentius I. reſpondens Epiſtolis ad ipſum ab Auguſtino aliiſque quatuor ſcriptis contra Pelagianorum errores inter alia de his hæc habet: *Earum tenor integra ratione conſiſtit, ut & illis omnem tollere poſſit errorem, & idoneum dato quovis noſtræ legis exemplo, quem ſequi debeant, dignum poſſit præbere doctorem*. Bonifacius teſte D. Proſpero adv. Collat. c. 21. n. 57. *adverſus libros Pelagianorum B. Auguſtini Epiſcopi reſponſa poſcebat*. Cæleſtinus non modo S. Auguſtini doctrinam commendavit & ſummis laudibus extulit, ſed ejus obtrectatores, qui eum exceſſiſſe calumniabantur, damnavit. *Auguſtinum*, ſunt illius verba, *ſanctæ recordationis Virum pro vita ſua atque meritis in noſtra ſemper communione habuimus, nec unquam hunc ſiniſtræ ſuſpicionis ſaltem rumor aſperſit, quem tantæ ſcientiæ fuiſſe olim meminimus, ut inter Magiſtros optimos a meis ſemper Prædeceſſoribus haberetur. Bene ergo de eo omnes in commune ſenſerunt, utpote qui ubique cunctis & amori fuerit & honori*. Quis profecto audiens Auguſtinum à Cæleſtino Pontifice inter Magiſtros optimos connumeratum, & de illo omnes bene in commune ſenſiſſe, omnibuſque amori fuiſſe & honori, ea tempora non deteſtetur, in quibus tot hoſtes nactus eſt Auguſtinus, quæ utinam tempora noſtra non eſſent? S. Leo Epiſt. ad Epiſcopum Aquilejenſem declarans quæ eſſent tenenda juxta fidem Catholicam contra Pelagianos, duo integra capita ex Auguſtini Enchiridio ad Laurentium decretis ſuis inſeruit. S. Gelaſius in Epiſt. ad Epiſcopos per Picenum omnia Auguſtini ſcripta plenis calculis comprobavit non ſolum, ſed etiam damnavit ei adverſos libellos Joannis Caſſiani & Fauſti Rhegienſis. Cum Oriens ob ejuſdem Fauſti de Gratia libros in partes ſcinderetur, ſcripſit de his quæſtionibus in Auguſtini libris quærendam eſſe, quid Romana & Catholica teneret Eccleſia. *De Arbitrio tamen libero*, inquit in Epiſtola ad Poſſeſſorem, *& gratia Dei, quid Romana, hoc eſt Catholica ſequatur & aſſeveret Eccleſia, licet in variis libris B. Auguſtini, & maxime ad Hilarium & Proſperum poſſit agnoſci, tamen in ſcriniis Eccleſiaſticis expreſſa capitula continentur*. Hinc Joannes II. Epiſt. 3. ad quoſdam Senatores,

res; *S. Auguſtinus*, inquit, *cujus doctrinam ſecundum Prædeceſſorum meorum ſtatuta Romana ſequitur & ſervat Eccleſia*. Cum peteret a M. Gregorio Innocentius Africæ Præfectus libros quos legeret: *Si delitioſo*, reſpondit Gregorius, *pabulo cupitis ſaginari, B. Auguſtini Patriotæ veſtri opuſcula legite, & ad comparationem ſiliginis illius noſtrum furfurem non quæratis.* Merito propterea Urbanus V. in Epiſtola ad Toloſanos laudibus celebrat D. Thomam, quod *B. Auguſtini veſtigia inſequens, Eccleſiam doctrinis & ſcientiis quamplurimis adornaverit*. Quid reponunt ad hæc illi, qui Auguſtini veſtigia ſequi recuſant? Sed audiant Martinum V. Serm. de S. Monica, qui Auguſtinum tantæ ſcientiæ fuiſſe prædicavit, *ut nihil pene ex Scripturis ſacris poſſit niſi eo duce intelligi, nihil niſi eo interprete explicari:* unde inquit in fine: *Unus poſtremo omnium Patrum Sapientumque ingenia & ſtudia exhibet*. Erubeſcant ergo, qui aliquid in ſacris litteris ſine Auguſtino invenire præſumunt. Confundantur ergo illi, qui adverſus Auguſtinum Claſſicum audent inſonare, & ſe illi totis viribus opponere & adverſari. Sed audiatur Clemens VIII. qui indicta celebri illa *De auxiliis Divinæ gratiæ* Congregatione ita Conſultores eſt alloquutus: *Quamvis nemini niſi Deo rationem reddere debeam mearum actionum, dicam tamen impræſentiarum rationes, propter quas aſtringere ſtatui totam hanc diſputationem ad normam doctrinæ S. Auguſtini. Prima eſt, quod ſi teſte B. Proſpero fere initio libri contra Collatorem viginti annorum ſpatio acies Eccleſiæ ita dimicavit contra Pelagianos, ut tandem Auguſtino duce vicerit, oportet etiam ut in cauſa ſimili eumdem ducem agnoſcamus & ſequamur. Secunda eſt, quod idem Sanctus nihil videtur prætermiſiſſe eorum, quæ ad præſentes controverſias dirimendas pertinent, quandoquidem ſi agatur de neceſſitate gratiæ, eam deſcribit dicens*: Neceſſe eſt ut nos præveniat, comitetur & ſequatur: *ſi de vi, aſſerit* vires efficaciſſimas præbere voluntati: *Si de effectu, teſtatur*, de nolente volentem (attendunt hæc verba Moliniſtæ qui volunt, gratiam ad arbitrii nutum inſervire) facere: *Si de modo, aſſerit*, Deum facere omnipotentiſſima facilitate (audiant rurſus aures pervicaciſſimæ) *Denique ſic diſſolvit objectiones, ut doceat liberum arbitrium non tantum bene cum illa gratia, quam defendit, cohærere, ſed etiam fieri liberius, quando ab illa fuerit liberatum. Tertia tandem ratio eſt, quod cum multi Pontifices Prædeceſſores noſtri doctrinæ S. Auguſtini de*

*Gratia tam acres fuerint aſſertores ac vindices, ut hæreditario jure eam in Eccleſia relinqui voluerint, æquum non eſt u. patiar, illam hac quaſi hæreditate privari*. Hic tandem ſileant, conticeſcant, atque obmuteſcant penitus ſceleſtiſſimi S. Auguſtini objurgatores, & injuſtiſſimi increpatores. Nec alia via inceſſit Paulus V. qui de auxiliis Congregationem a Prædeceſſore ſuo inſtitutam ſuſpendit. At quid dicemus de Pontifice Innocentio X. qui teſte Morino Tomo 4. Traditionis pag. 465. aſſeruit, quod, *ubi eſt S. Auguſtinus, ibi eſt Eccleſia?* Poteſt ne Eccleſia eſſe in Moliniano ſyſtemate, in quo non eſſe Auguſtinum, profeſſus eſt aperte Molina? Sed audiamus Alexandrum VII. Academiæ Lovanienſi ſcribentem, eamque adhortantem, ut Auguſtino ſemper adhæreat. *De reliquo*, ſunt ejus verba, *non dubitamus, quin vos pro ſingulari ſcientiæ pietatiſque ſtudio ſanam & incorruptam, qualem tot Apoſtolicæ Sedis declarationes, & SS. PP. traditiones requirunt, doctrinam ſemper amplexuri ...., ſitis, nec non præclariſſimorum Eccleſiæ Catholicæ Doctorum Auguſtini & Thomæ inconcuſſa tutiſſimaque dogmata ſequi ſemper ... velitis.* Profecto ſi Apoſtolicæ Sedis judicio Auguſtini & Thomæ dogmata ſunt inconcuſſa, & tutiſſima, cur ea non ſequuntur Moliniſtæ & Suareſiani? Sed cum reſponſio nulla ſit niſi pervicaciæ & proterviæ, Clementis X. verba referamus, Sapientiſſimo Noriſio in Vindiciis referente. *Eximia*, verba ſunt Pontificis, *omniſque humanæ laudis præconium longe ſupergreſſa S. Auguſtini .... Eccleſiæ Doctoris præcellentiſſimi ( qui ſpiritu Dei plenus hæreſum errorumque tenebras tanquam ſulgentiſſimum Chriſtianæ Religionis jubar profundiſſimis, ſimulque ſole clarioribus ſcriptis profligavit .... ) decora grato devotoque affectu recolentes &c.* Nec minus præſtitit Innocentius XII. in Epiſt. ad Theologos Lovanienſes, in qua hæc habet: *Apoſtolica vos auctoritate monemus ..... ut ...... ſapientiæ ... vacetis... profitentes .... doctrinam præclariſſimorum Doctorum Auguſtini & Thomæ: quorum ILLE tantæ ſcientiæ fuit, ut inter magiſtros optimos, etiam a noſtris prædeceſſoribus haberetur, & cujus doctrinam ſecundum eorumdem prædeceſſorum ſtatuta, Romana ſequitur, & ſervat Eccleſia, alter vero mira eruditione eamdem Eccleſiam Dei clarificat, & ſancta operatione fœcundat.*

Hæc ſunt de præclariſſimo Eccleſiæ lumine Summorum Pontificum oracula; quiſquis ergo illius doctrinam non ſequitur, oracula Romanæ, &

Ca-

Catholicæ Eccleſiæ non ſequitur, & quiſquis ei adverſatur, Eccleſiæ adverſatur. Merito ergo illius doctrina de gratia & libero arbitrio reliquis eſt anteferenda, vel Auguſtinus Patribus cæteris hiſce in quæſtionibus majorem præfefert auctoritatem, cum de nullo alio tam glorioſa dicta ſint aut prolata encomia.

## Conclusio IV.

*Integritas Auguſtinianæ doctrinæ ex Conciliis comprobatur.*

Dem. Concilia Africana, quæ deinceps ab univerſa Eccleſia recepta ſunt, quæque Pelagiana dogmata obtriverunt, mirum in modum auctoritatem Auguſtini prædicant atque confirmant. Proſper enim de quodam ex his Africanis Conciliis loquens Carm. 2. de Ingr. hæc habet: *Concilium, cui Dux Aurelius, ingeniumque Auguſtinus erat...*

Præterea conſuluerant quidam Synodum Africanorum PP. in Sardiniam propter fidem exulantium, quid circa gratiam & liberum arbitrium tenendum eſſet. At ecce quod fuit per illos pronunciatum reſponſum: *Præ omnibus ſtudium gerite, libros S. Auguſtini, quos ad Proſperum & Hilarium ſcripſit, memoratis fratribus legendos ingerere: quorum mentionem Hormiſdas Sedis Apoſtolicæ Antiſtes.... cum magno præconio Catholicæ laudis inſeruit*, cujus hæc ſunt verba: *de arbitrio tamen libero* &c. ut ſupra. Num vero hiſce obſequentes paruerint Moliniſtæ & Suareſiani, qui tanta in Auguſtinum invexere calumniarum portenta, ipſi viderint.

At quid de Arauſicana II. Synodo dicemus, quæ ab Eccleſia & orbe univerſo fuit comprobata? Editi ſunt hac in Synodo canones vigintiquinque contra hæreſim Semipelagianorum ipſiſſimis Auguſtini verbis contexti. Qui non credit, audeat tom. XI. Collectionis Labbeanæ, & perfrictæ frontis hominis conterentur. At quid plura? Legantur acta Conciliorum Valentini, Lingonenſis, Tullenſis, Florentini, ac denique Tridentini, in quo Auguſtini verba ad Canones condendos ſæpiſſime ſunt uſurpata. Ex quibus ad nauſeam uſque patet, veros eſſe Auguſtini hoſtes, qui in ſyſtemate de gratia & libero arbitrio illi adverſantur.

Con-

Conclusio V.

*Auguſtini doctrinam de gratia & libero arbitrio ſapientiſſimi comprobarunt Eccleſiæ Patres.*

Dem. inter Patres, quibus falſa innotuerant Pelagianorum dogmata, non ultimum habet locum S. Hieronymus, qui illa ſæpius profligavit. Huic ſtatim ac Auguſtini libri innotuerant, nova exorientis ſyderi luce adeo perculſus eſt, ut illico calamum continuerit, & Auguſtino certaminis locum & triumphi gloriam reliquerit. Hæc eruuntur ex ejus Dialogo 3. in quo hæc habet: *Scripſit vir ſanctus & eloquens Epiſcopus Auguſtinus .... unde ſuperſedendum huic labori cenſeo, ne dicatur mihi illud Horatii: in ſylvam ne ligna feras. Aut enim eadem diceremus ex ſuperfluo: aut ſi nova voluerimus dicere, a clariſſimo ingenio occupata ſunt meliora.* Num Moliniſtæ & Suareſiani meliores Hieronymo? Abſit tam grave mendacium. Profecto cum ipſi in ſuis de gratia ſyſtematibus nova invexerint, agnoſcant tandem præclariſſimum Auguſtini ingenium, a quo meliora ſunt occupata. Unde Epiſt. 95. ad ipſum Auguſtinum data ita Auguſtini laudes collegit citatus S. Doctor hiſce verbis: *Macte virtute in orbe celebraris, Catholici te conditorem antiquæ rurſus fidei venerantur atque ſuſpiciunt, & quod ſignum majoris gloriæ eſt, omnes hæretici deteſtantur.* Sane, qui Auguſtinum non ſuſpiciunt atque commendant, aut in orbe non ſunt, aut ſi in orbe ſunt, eum deteſtantur.

Hieronymi auctoritatem confirmat S. Proſper, cui certe Pelagianorum & Semipelagianorum iniquiſſima dogmata innotuerant. In Chronico autem ad annum 430. ita ſcribit: *Auguſtinus Epiſcopus per omnia excellentiſſimus moritur libris Juliani .... reſpondens, & glorioſe in defenſione Chriſtianæ gratiæ perſeverans.* Et in Epiſt. ad Ruffinum: *Tu autem dilectiſſime ..... ſi vere de his quæſtionibus inſtrui deſideras, ſicut deſiderare te convenit, ipſis B. Auguſtini diſputationibus cognoſcendis impende curam*, non in Molina, Suareſio, Vaſquezio, De los Cobos, Arrubalio, aliiſque diverſis hominibus, & Auguſtino inſenſiſſimi perlegendis, *ut in confitenda Dei gratia defæcatiſſimam ac ſaluberrimam evangelicæ Apoſtolicæque doctrinæ intelligentiam conſequaris:* & in carmine de ingrat.

*Iſtius ergo inter cunctos, qui de grege ſancto*

*In-*

*Inſanas pepulere feras, induſtria major,*
*Majus opus totum præſtantius imbuit orbem.*
*. . . . . . . iſtius ore*
*Flumina librorum mundum effluxere per omnem*
*Quæ mites humileſque bibunt, campiſque animorum,*
*Certant vitalis doctrinæ immittere rivos.*

Poſt hæc audiamus S. Poſſidium, qui ad Macedonium ſcribens appellat Auguſtinum *Patrem Patrum*, *Doctorem Doctorum*: num Moliniſtæ & Suareſiani Auguſtino doctiores? Oh ſycophanticam proterviam! *Parem Prophetis in abſconditorum myſteriorum revelatione... Abyſſum ſapientiæ.* Porro prædeſtinatio myſterium eſt, at Moliniſtæ, & Suareſiani non audeant ſe Auguſtino comparare, niſi Angelis meliores efficiantur, quod eſt impoſſibile.

Accedit S. Fulgentius Ruſpenſis Epiſcopus, qui lib. 2. de veritate prædeſtinationis,& gratiæ Dei de Auguſtino, cui ſemper adhæſit, iſta pronunciat ad gloriam ſui nominis ſempiternam: *S. Auguſtinus indutus virtute ex alto abundantius illis omnibus laboravit: ipſius enim miniſterio Dominus uberiorem hujus rei fidelibus ſuis inſtructionem præbuit... cuncta hoſtilium machinamenta telorum..... confringens.* Spero & confractum eſſe illa machinamenta, quæ & hodiernis contra ipſum moliuntur temporibus, *non ſolum ipſe de hoſte victoriam referens triumphavit, quin etiam poſteris certandi ac vincendi ordinem.... oſtendit* .... ut vincere poſſimus qui Auguſtini doctrinam non ſequuntur. *Hunc legat omnis, qui ſalutem æternam adipiſci deſiderat, humiliterque orans miſericordiæ Dominum in eumdem ſpiritum legens accipiat, quem ille accepit ut ſcriberet, & eamdem illuminationis gratiam adipiſcatur ut diſcat, quam ille accepit ut doceret.* Creditis ne poſt hæc Molinam accepiſſe illuminationis gratiam, in ſuo Gratiæ ſyſtemate contra Auguſtinum conſarcinando? Credant alii, ſed non ego. Per Molinam enim Auguſtinus fuit ſub caligine, at ipſe ſub luce. Oh arrogantiam non ferendam! Unde ad hæc appoſite Venantius Fortunatus in orat. Domin. *Quicumque*, inquit *cum Apoſtolo Paulo, ideſt oculo Eccleſiæ, & cum B. Auguſtino Epiſcopo Hipponenſi conſonat, in eo ignorantiæ caligo non regnet:* Ex quibus facile eſt ſubſumere, Molinam, qui, ut ipſe fatetur, cum Auguſtino non conſonat, immo ſe illo meliorem prædicat, ignorantiæ tenebris caligare. Nec Caſſiodori teſtimonium prætermittendum.qui Præfat. in Pſal. de Auguſtino ita

ita ſcribit: *Ad Auguſtini facundiſſimi Patris conſugi lectionem .... eſt enim litterarum omnium magiſter egregius, & quod in ubertate rarum eſt, cautiſſimus diſputator. Decurrit quippe tanquam fons puriſſimus, nulla fæce pollutus, ſed in integritate fidei perſeverans, neſcit hæreticis dare, unde ſe poſſint aliqua colluctatione defendere. Totus Catholicus, totus orthodoxus invenitur, & in Eccleſia Domini ſuaviſsimo nitore reſplendens ſuperni luminis claritate radiatur*. Sed audiatur Beda Venerabilis lib. de ſex ætat. mund. ad annum. 4376. *B. Auguſtinus*, inquit, *Hipponenſis Epiſcopus, & omnium Doctor eximius Eccleſiarum.... emigravit ad Dominum quinto Kalendas Septembris*. Eadem habet Remigius Antiſiodorenſis Monachus, ſeu Haymo Halberſtadenſis in Epiſt. 2. ad Cor. in qua hæc habet: *Sicut ſol excedit in lumine omnes planetas, ita Auguſtinus omnes exceſsit in exponendo ſacras Scripturas. Alii Doctores comparantur ſtellis, Auguſtinus ſoli. Nam ſicut ſtellæ lumen a ſole recipiunt, ſic omnes Doctores lumen recipiunt ab Auguſtino*. Porro quis audebit aſſerere, Auguſtini doctrinam puriſſimam non eſſe, qui omnes exceſſit in exponendo ſcripturas, qui ſoli comparatur, & qui eſt Doctor eximius omnium Eccleſiarum? Ita ſcribebat Hincmaro Auguſtinianæ doctrinæ non ſatis æquo Prudentius Tricaſſinus in Ep. ad eumd. hiſce verbis: *Hoc primum præcipueque moneo & poſtulo, ut doctrinam Beatiſsimi Patris Auguſtini omnium abſque ulla dubietate undequaque doctiſsimi ſanctarum ſcripturarum in omnibus concordiſsimam (quippe cum nullus Doctorum abſtruſa earum ſcrupuloſius rimatus, diligentius exquiſierit, verius invenerit, veracius protulerit, luculentius enodaverit) veſtri Pontificatus tempore, commento quolibet impugnari non permittatis: quando tanto cæleſtis gratiæ munere donata exiſtit, ut nullo cujuſquam conamine ullatenus evelli poſſit, cum eam & Apoſtolicæ Sedis ſublimitas, & totius Eccleſiæ Catholicæ unitas auctoritate concordiſsima approbarint, ac roborarint, adeo ut nullus ei ſingulariter, verum univerſitati Eccleſiæ Catholicæ cum ea & in ea queat inniti*.

Innumeros alios prætermittimus Auguſtinianæ doctrinæ ſectatores ac vindices ſtrenuiſſimos, inter quos Lupus Ferrarienſis in Collect. t. 2. Remigius Lugdunenſis in lib. de tuend. verit. Scripturæ, Rupertus lib. de Operibus Spir. S. c. 19. & D. Bernardus ſerm. 80. in Cant. aliique plures de quibus conſule hiſtoriam, de auxiliis auctore P. Serry, & laudatum præ-

cla-

clariſſimum Cardinalem Noriſium loc. cit.

*Solvuntur Objecta*.

Quoniam & multa ab injuſtis adverſariis contra Auguſtinum mendaciſſima procacitate objecta fuiſſe jam in ſuperioribus indicavimus, cumque iis jam pleniſſime ſatisfecerit in hiſt. Pelagiana, & in Vindiciis Auguſtinianis non ſine magno laudis præconio iterum nominandus Eminentiſſimus Card. Noriſius, omnia idcirco per compendium hic dabimus, quæ tamen poterit quiſque apud auctorem preclariſſimum erudite ac prolixe exarata ſuaviter deguſtare. En ergo futiles adverſariorum argutationes.

Ob. 1. cum P. Adamo Dial. 6. de Op. probab. c. 4. doctrina S. Auguſtini de myſteriis gratiæ, libertatis &c. difficillima eſt intellectu & obſcura: Immerito ergo volunt, ipſum eſſe oraculum gratiæ, & Concilii Tridentini interpretem.

Reſp. Nil arrogantius, nil abſurdius, nihilque proferri poſſe contra S. Doctorem indecentius. Siquidem concedimus, S. Auguſtini doctrinam de gratia & libero arbitrio obſcuram eſſe ac perdifficilem ob eximiam myſteriorum divinorum profunditatem. Nulli mortalium enim uſque adeo facile fuit libertatem cum gratia conciliare. Denegare tamen non poteſt etiam perfrictæ frontis homo, Auguſtinum obſcuris lucem, & difficilibus facilitatem pro ea, qua præditus erat, rerum divinarum ſapientia ingeſſiſſe. *In lectionibus Apoſtolicis*, S. Doctoris ſunt verba ſerm. 13. de verb. Apoſt. *ſuperioribus, quas charitati veſtræ, quantum Dominus adjuvare dignatus eſt, expoſuimus, multum laborem & ſollicitudinem paſſi ſumus. Compatiebamur vobis, & ſolliciti eramus & pro nobis, & pro vobis. Quantum autem exiſtimo, adjuvit & nos & vos Dominus, & ea, quæ prorſus difficilia videbantur, ſic per nos enodare dignatus eſt, ut nulla quæſtio remaneret, quæ conturbet mentem piam. Impia enim mens odit etiam ipſum intellectum.* Et tertio de Pecc. mer. c. 2. *Ea, quæ pro natura quæſtionum dilucide dicta exiſtimo, adhuc non intelligunt, non mihi calumnientur pro negligentia, vel pro meæ facultatis indigentia, ſed Deum potius pro accipienda intelligentia deprecentur*. Etiam Julianus obſcuritatem S. Doctori objecerat lib. 3. Op. Imp. c. 61. qui hoc ab Auguſtino tulit reſponſum: *Quia tenebras veſtras redarguunt, vobis lucida non videntur, & quæcumque vobis ſua radiante luce moleſta ſunt, contra illos cor clauditis, ne inde nox fugetur erroris*. Idem Hæreticus S. Patris

Patris ſententiam veluti difficilem intellectu incuſaverat; ſed præco veritatis repoſuit: *Prorſus intelligor velis nolis; ſed tu contra iſta nihil dicturus, vis non intelligi, quod ego veriſſimum atque firmiſſimum dixi*. Ibidem lib. 4. cap. 140. Verum hæc non ita viſa ſunt de Auguſtini ſententia Sanctiſſimis Eccleſiæ PP. de quibus multa ſatis diximus in præcedentibus propoſitionibus.

At quoniam iſta proferre minime veritus eſt contra S. Auguſtinum P. Adamus, ediſſerat ipſe rationem aliquam, qua obſcuritas & difficultas in quæſtionibus ad gratiam, & liberum arbitrium pertinentibus vitari poſſint? Moliniano forſitan ſyſtemate? Ita eſt: Non ita tamen viſum eſt Thomiſtis & Auguſtinenſibus, qui dextris junctis contra Moliniana ſcita fœdus iniere. Ultraquamquod contra diſcordem Molinæ concordiam a nonnullis doctiſſimis affertur, & quidem firmiſſimis monumentis, illam ſemper diſplicuiſſe Viris in Eccleſia ſummis ac ſapientiſſimis. Et quidem de illa ita ſcripſiſſe ad Archiepiſcopum Viennenſem Doctiſſimum Baronium oſtendit ab eo data Epiſtola, de qua fidem facit Petrus Matthæus *in Hiſtoria ſeptem annorum pacis lib.* 7. *narr.* 4. ſe illam vidiſſe propria hujus Cardinalis manu exaratam, cujus authentiam approbarunt etiam PP. Societatis, ut videre eſt in MSS. Cardinalis Riccii apud Gonet in Apolog. Thom. *Tantummodo de libris Molinæ remanet controverſia. Legi eos, ſed non ſine ſtomacho, cum in illis nihil potentius agere præſeferat, quam S. Auguſtino adverſari (licet Sanctum numquam nominet) eumque oſcitantiæ redarguere, ſeque illo in iis Diſputationibus vigilantiorem, acutioremque jactare. Quis poteſt eum talia loquentem abſque nauſea tolerare? licet ut anguis effugiat, & e manibus facile elabatur, ut etſi temerarium quis inveniat, haud facile poſſit hæreſis convincere, & ſugillare. Non hujuſmodi commentatoribus indiget* Eccleſia *Dei, quæ puritate, candore, nitore delectari tantummodo conſuevit ipſa non habens maculam, neque rugam. Legi, inquam, eum, & ad quinquaginta & amplius notavi propoſitiones, verba, phraſes, quas vel ſaltem affines eſſe erroribus Pelagianorum, & Semipelagianorum (licet ipſe cautius intra Catholicæ fidei limites vel proteſtandos ſaltem ſe contineat) nemo puto, qui abſque affectu illa perlegerit, negabit omnino. Quid Eccleſia Dei indiget hujus Molinæ libris, ut diſcat, quæ a tot SS. Patribus, Conciliis atque Decretis jam ante tot ſæcula didicit atque docuit?.. Mea ſiquidem ſen-*

*ſententia eo* ( *ideſt Molinæ volumine* ) *non indiget Eccleſia Catholica, in quo vel ſaltem quædam auditui horridula eſſent corrigenda*, &c. Afferunt plura aliquorum e Societate Theologorum teſtimonia Molinianum Syſtema damnantia. Et quidem Bellarminus lib. 1. de Grat. & lib. arbit. ita Molinæ placita ſugillat: *Hæc opinio* ( Molinæ ) *aliena eſt omnino a ſententia B. Auguſtini, & quantum ego exiſtimo, a ſententia etiam Scripturarum Divinarum*: quod multis Sanctiſſimi Doctoris, & variis utriuſque Teſtamenti locis adſtruit, inde ſubdit: *Hæc opinio evertit omnino fundamenta prædeſtinationis divinæ, quam Sanctus Auguſtinus ex divinis litteris ſolidiſſime comprobavit*. Hæc ille, dum eſſet opinione liber, Bellarminum excipit Henricus Henriquez e Societate Jeſu Theologus, quo in ſuo Tractatu *De ultimo fine hominis* Molinam reprehendere non eſt veritus an. 1593. Loca ex eo propemodum infinita colligerem, quibus nova Concellitæ ſui figmenta paſſim oppugnat. Sed eo me levarunt onere Didacus Alvarez in ſui Reſp. lib. 1. c. 1. Salmanticenſes tr. 3. de Scient. Med. Diſ. 10. dub. 8. Franciſcus Macedo Coll. 11. Diſſ. 1. Sect. 5. Joannes Baptiſta Gonet in Apolog. art. 5. quos, ſi lubet, conſulere liceat. Accedit Joannes Mariana ejuſdem Societatis Profeſſor, qui in Opere de Regimine Soc. de Molina hæc pronunciavit c. 4. *Ab hoc præclaro fonte emanarunt illi turbines & procellæ, quibus noſtra Societas tentavit exagitare ſapientiſſimos Dominicanæ familiæ Theologos, quos potius venerari debebat, ut purioris doctrinæ Antiſtites, quam ſequi externa Ludovici Molinæ Commenta*. *Cujus viri libellus ab examine Theologorum Sacræ Inquiſitionis delatus fuit Romam*. Vide Gonet in Apol. art. 6. Antonium Reginald. in Theſ. Apolog. Theſ. 7. Joannem Cazalas in Cand. lilii vind. §. 160. Picinardum Tom. 3. de approb. Doctrinæ S. Thomæ, alioſque. Non prætermittendus Claudius Typhanius in lib. de Ord. c. 26. qui hæc habet: *In qua Molinæ doctrina multa occurrunt improbanda. Ac primum id periculi in concilianda ſine ejus diſtinctione noſtra libertate cum præſcientia divina, quo minus cautos minuſque intelligentes terrere ſe putat, non ego ſolus non video, ſed neque ulli antea eum Doctores Scholaſtici, aut SS. PP. animadverterunt*. Et c. 41. ſtatuit, *Concordiam Præſcientiæ, Providentiæ, & concorſus Divini cum noſtra libertate ab antiquis & præſtantiſſimis Theologis longe melius, ſolidiuſque declarari, quam ab ullis*

*ullis recentioribus*. Eadem ſcripſit Joannes Phelipæus alter Jeſuita, & Rothomagenſis Collegii Rector. Eadem doctiſſimus Petavius lib. 6. Theolog. Dogm. c. 6. Ex his itaque concludendum, Auguſtini adverſarios recoctam Pelagianorum crambem, & illorum renovare injuſtas querelas.

Ob. 2. S. Auguſtinus in ſuis contra Pelagianos, & Semipelagianos Diſputationibus ſcatet undique antilogiis: Ergo &c. Ita Adamus c. 6. pag. 614.

Reſp. Nego anteced. & fas ſit repetere ſurdis antiquas baſce eſſe hæreticorum calumnias, & querimonias, quibus jam S. Doctor pleniſſime & abunde ſatisfecit cum diſputaret contra Julianum lib. 5. c. 9. in quo hæc habet: *Sententias meas inter ſe contrarias putas, vel putari cupis, tanquam improbem, quod ante approbaverim, aut amplectar, quod ante reſpuerim. Audi ergo apertam ſententiam meam, & intellige, vel ſine intelligere alios non offundendo caligines nebuloſæ diſputationis ſerenitati ſinceriſſimæ veritatis*. Et lib. 6. in fin. cont. eumdem: *Ad omnia me tibi reſpondiſſe, Juliane, & omnia refelliſſe* &c. *puto quod proſpicis, ſi pervicax non ſis*. Et in fin. lib. I. *Vitreas argutias tuas & fragilia, quibus tibi multum videris acutus & nitidus, argumenta confringam*. Et lib. 3. c. 3. *Tuarum velut acutarum argumentationum nihil non ſolutum, deſtructumque dimittam*. Hinc S. Proſper in c. 2. cont. ingratos canit, nullum argumentum Pelagianorum non dilutum fuiſſe.

*. . . . nullumqee omnino relictum,*
*Docta fides, quod non diſſolveret argumentum*.

Et S. Prudentius in Epiſtol. ad Hincmarum & Pardulum eorumdem hæreticorum argumentis a S. Auguſtino *abundantiſſime & competentiſſime ſatisfactum* eſſe ſcribit. Cæterum ſi quæ in Auguſtini libris antilogiæ adparentes ſunt, eas facilem pati ſolutionem, notiſſimum eſt illis, qui quæſtionum adverſariorum, & temporum diverſam rationem diſtinguere probe noverint.

Ob. 3. Cum P. Annato lib. 8. ſui Auguſt. c. 2. pag. 862. & Adamo c. 7. cit. loc. aliiſque: S. Auguſt. contra Pelagianos & Semipelagianos diſputans æſtu contentionis abreptus exceſſit: Ergo illius ſententiæ minime ſtandum.

Reſp. Nego anteced. Siquidem & iſta jamdiu S. Doctori Julianus Pelagianorum inſolentiſſimus oppoſuit, ut conſtat ex illius verbis apud Auguſtinum lib. 2. de Nupt. & Concup. c. 3. *Si qui aut liberum in hominibus arbitrium*

( verba

( verba ſunt Juliani) *aut Deum eſſe naſcentium conditorem dixerit*, *Cæleſtianus & Pelagianus vocatur*. *Ne igitur vocentur hæretici*, *fiunt Manichæi*, *& dum ſalſam verentur infamiam*, *verum crimen incurrunt inſtar ferarum*, *quæ circumdantur pinnis*, *ut cogantur in retia*. Eadem Semipelagiani recoxerunt, ut patet ex Caſſiani verbis cap. 11. coll. 13. *Multi enim ſingula hæc credentes ac juſto amplius aſſerentes variis*, *ſibique contrariis ſunt erroribus involuti*. Sed omnes iſti oblocutores acriter reprehenduntur in Epiſtola, quam Cæleſtino Papæ adſcribunt adverſarii hiſce in verbis: *Quia nonnulli*, *qui Catholico nomine gloriantur*, *in damnatis autem hæreticorum ſenſibus*, *ſeu pravitate*, *ſive imperitia demorantes piiſſimis Diſputatoribus obviare præſumunt*; *& cum Cæleſtium atque Pelagium anathematizare non dubitent*, *Magiſtris tamen noſtris*, *tamquam neceſſarium modum* exceſſerint. *obloquuntur*. Quibus addendum, quod ſi Auguſtinus de exceſſit erit culpandus, nullus inter PP. erit profecto, qui dum Catholicæ Eccleſiæ dogma aliquod propugnat atque tuetur de *exceſſu* pariter non poſſit inſimulari; atque ita latum patebit hæreticis effugium. Nec alia profecto ratione PP. auctoritatem ſprevit Calvinus, dum ipſo ſe muniit clypeo ſequentibus verbis. De lib. arb. art. 7. apud Tapperum: *Græci*, *& præ aliis*, *atque inter eos Chryſoſtomus in extollenda humanæ voluntatis facultate modum exceſſere*. Præterquamquod de Auguſtino non ita ſenſere præclariſſimi Eccleſiæ PP. de quibus ſatis in ſupradictis propoſitionibus. Nec ita opinatus eſt P. M. Clemens VIII. qui graviſſimam de auxiliis Divinæ gratiæ controverſiam ad unius Auguſtini mentem expendendam eſſe voluit. Quid ad hæc nugaciſſimi objurgatores Auguſtinianæ doctrinæ?

Alia non deſunt contra præclariſſimum Eccleſiæ lumen prolata convicia, quæ eum ab Eminentiſſimo Noriſio ſint ultra operis pretium eliminata ac contrita, ne ligna in ſylvam feramus, ab iis refellendis ſuperſedemus.

Ex hucuſque tamen dictis clariſſime deprehenditur, quanta ſit in rebus Theologicis hujus S. Doctoris auctoritas. Verum cum experientia duce cognoverimus, aliquando juvenes Auguſtini doctrinæ inſudantes in illius operibus pervolutandis confundi perſæpe, ac perturbari, cum ignorent prorſus vel tempus, quo ſcriptæ ſunt, aut rationes, quæ Auguſtino occaſionem ſcribendi præbuerunt, idcirco omnium illius operum Catalogum hic adnectere voluimus, majori, qua fieri poteſt exa-

ctiſſima brevitate, ut ad manus facillime haberentur, quæ amplis voluminibus jam ſunt a doctiſſima PP. S. Mauri Congregatione exarata.

---

# I N D E X

*Operum S. Auguſtini Hipponenſis Epiſcopi, & Eccleſiæ Doctoris eximii.*

## Anno 386.

*Contra Academicos libri III.* de quibus vide Epiſtolam S. Doctoris primam Hermogeniano, & librum XV. de Trinitate c. 12. & lib. Henchirid. c. 20. & 1. Retract. c. 1.

*De Beata vita lib.* 1. ſcriptus apud Caſſiciacum. Vide Retract. 1. c. 7.

*De Ordine lib.* 2. Vid. Retract. 1. c. 3.

Epiſtolæ ( *Hermogeniano*
( *Nebridio*

## Anno 387.

*Soliloquiorum lib.* 2. Vide Retract. lib. 1. c. 4.

*De Immortalitate animæ lib.* 1. Vide 1. Retract. c. 5.

Epiſtolæ ( *Nebridio*
( *Nebridio*

## Anno 388.

*De Quantitate animæ lib.* 1. Vid. 1. Retract. c. 8.

*De Diverſis quæſtionibus* 80. *liber unus*,

## Anno 386.

*De Muſica lib.* VI. Vid. Epiſt. Auguſtini Memorio, & 1. Retract. c. 11.

*De Magiſtro lib.* 1. Vid. lib. 9. Confeſſ. c. 6. & 1. Retract. c. 12.

*De Geneſi contra Manichæos lib.* 2. Vid. lib. 8. de Geneſ. ad litt. c. 2. & 1. Retract. c. 10.

*De Moribus Eccleſiæ Catholicæ* contra eoſdem lib. 2. Vid. 1. Retract. c. 7.

Epiſtolæ *Nebridio* VII.

## Anno 390.

*De vera Religione lib.* 1. Vide 1. Retract. c. 13.

Epiſtolæ ( *Romaniano*
( *Maximo Madaurenſi*
( *Cæleſtino*
( *Gajo*
( *Antonino*

## Anno 391.

*De Utilitate credendi* contra Manich. *lib.* 1. 1. Retract. c. 14.

*De*

*De Duabus Animabus lib.* 1. contra Manichæos vid. ib.
Epiſtola *Valerio Epiſcopo*.

Anno 392.

*Diſputatio contra Fortunatum Manichæum lib.*1. 1. Retract. 16.

Epiſtolæ ( *Aurelio Epiſcopo*
( *Maximino*

Anno 393.

*De Geneſi ad litteram Imperf. lib.* 1. vid. 1. Retr. 18.

*De Sermone Domini in Monte ſecundum Matthæum*. Vid. 1. Retract. c. 19.

*De Fide & Symbolo lib.* 1. contra Manichæos. 1. Retract. 17.

Anno 394.

*Expoſitio quarumdam Propoſitionum ex Epiſtola ad Rom. lib.* 1. 1. Retract. c. 23.

*Inchoata expoſitio Epiſtolæ ad Rom. lib.* 1. 1. Retract. 23. 24.

*Contra Adimantum Manichæi Diſcipulum* lib. 1. Vid. 1. Retr. 22.

*Epiſtola ad Galatas expoſitionis liber* 1. 1. Retract. 23. 24.

Anno 395.

*De libero Arbitrio lib.* III. contra Manichæos. Vid. Epiſtolam Marcellino, & Retr. 1. c. 9.

*De Continentia lib.* 1. contra Manichæos.

*De Mendacio lib.* 1. Vid. 1. Retr. c. ult.

Epiſtolæ ( *Licentio*
( *Paulino*
( *Hieronymo*
( *Alipio*

Anno 396.

*De Agone Chriſtiano lib.* 1. contra Manichæos.

Epiſtolæ ( *Paulino & Theraſiæ*
( *Proculejano*
( *Euſebio*
( *Euſebio*
( *Caſulano*

Anno 397.

*De Diverſis quæſtionibus ad Simplicianum* lib. 2. Vid. 3. Retr. c. 1. De Prædeſtin. SS. c. 20. & Epiſt. ad Simplicianum.

*Contra Epiſtolam Manichæi* lib. 1. 2. Retr. 2.

Epiſtolæ ( *Simpliciano*
( *Profuturo*
( *Hieronymo*
( *Aurelio*
( *Paulino & Theraſiæ*
( *Glorio, Eleuſio, &c.*
( *Eleuſio, Glorio, &c.*

Anno 398.

Epiſtolæ ( *Paulino & Theraſiæ* ( *Publicolæ* ( *Eudoxio* ( *Honorato*

Anno 399.

*De fide rerum quæ non videntur* lib. 1. contra Paganos.

Epiſtolæ ( *Principibus Coloniæ Suffectanæ* ( *Criſpino Epiſcopo Donatiſtæ* ( *Severino*

Anno 400.

*Annotationes in Job* 2. Retract. c. 13.

*De Conſenſu Evangeliſtarum* lib. 4. Vid. 2. Retract. c. 16.

*Quæſtionum Evangeliorum* lib. 2.

*De catechizandis rudibus* lib. 1. 2. Retract. c. 14.

*De Opere Monachorum* lib. 1. 2. Retr. 21.

*Contra Epiſtolam Parmeniani* lib. 3. 2. Retr. 17.

*De Baptiſmo contra Donatiſtas* lib. 7. 2. Retr. 18.

*Contra litteras Petiliani* lib. 3. 2. Retr. 25.

Epiſtolæ ( *Generoſo* ( *Januario* ( *Ad Inquiſitiones Januarii* ( *Celeri* ( *Celeri*

Anno 401.

*De Bono Conjugali lib.* 1. *contra Jovinianum* 2. Retr. 22.

*De Sancta Virginitate lib.* 1. 2. Retract. 23.

*Breviculus Collationis cum Donatiſtis*. 2. Retr. 34.

Epiſtolæ ( *Pammachio* ( *Victorino* ( *Aurelio* ( *Theodoro* ( *Severo* ( *Severo* ( *Quinctiano*

Anno 402.

*De Unitate Eccleſiæ lib.* 1.

Epiſtolæ ( *Xantippo* ( *Criſpino Calamenſi* ( *Hieronymo* ( *Caſtorio* ( *Naucelioni*

Anno 403.

Epiſtolæ ( *Hieronymo*

Anno 404.

*De Actis cum Felice Manichæo lib.* 2. 2. Retr. 8.

Epiſtolæ ( *Hieronymo* ( *Præſidio* ( *Contra Donatiſtas* ( *Felici & Hilarino* ( *Eccleſiæ Hipponenſi*

( *nenſi*
( *Paulino & The-*
( *raſiæ ad Presby-*
( *terum quemdam*
( *Manich.*

Anno 405.

*De Natura Boni contra Manichæos* 2. Retr. 9.

*Contra Secundinum Manichæum lib.* 1. 2. Retr. 10.

Epiſtolæ
( *Paulino & The-*
( *raſiæ*
( *Hieronymo*
( *Alipio*
( *Novato*
( *Paulo*
( *Cæciliano*
( *Emerito Donati-*
( *ſtæ*

Anno 406.

*Contra Creſconium Grammaticum lib.* 4. 2. Retract. 26.

Epiſtolæ
( *Januario*
( *Feſto*
( *Nectario*
( *Italicæ*
( *Vincentio*
( *Paulino & Theraſiæ*

Anno 408.

Epiſtolæ
( *Olympio*
( *Olympio*
( *Bonifacio*
( *Italicæ*
( *Donato*
( *Memorio*
( *Deogratias*

Anno 409.

Epiſtolæ
( *Nectario*
( *Donatiſtis*
( *Macrobio*
( *Macrobio*
( *Severo*
( *Victoriano*
( *Donato*
( *Creſconio*
( *Fortunato*
( *Florentino*
( *Generoſo*
( *Dioſcoro*
( *Conſentio*
( *Populo Hipponenſi*

Anno 410.

*De Unico Baptiſmo contra Petilianum lib.* 1.

Anno 411.

*Breviculus Collationis cum Donatiſtis*. 2. Retr. 34.

Epiſtolæ
( *Albinæ Piniano ,*
( *& Melaniæ*
( *Alipio*
( *Albinæ*
( *Armentario*
( *Marcellino*
( *Marcellino*
( *Probæ*
( *Probæ*

Anno 412.

*Ad Donatiſtas poſt collationem*. 2. Retr. 40.

*De Peccatorum meritis lib.* 3. 2. Retr. 23.

*De Spiritu & littera lib.* 1. 2. Retr. 37.

Epiſtolæ ( *Voluſiano* ( *Marcellino* ( *Apringio* ( *Voluſiano* ( *Marcellino* ( *Marcellino* ( *Honorato* ( *Ad Donatiſtas* ( *Saturnino & Eufrati* ( *Marcellino* ( *Cirtenſibus* ( *Anaſtaſio* ( *Pelagio*

Anno 413.

*De Fide & Operibus lib.* 1. 2. Retr. 38.

Epiſtolæ ( *Pulinæ* ( *Fortunatiano*

Anno 414.

*De Bono Viduitatis lib.* 1. *contra Pelagianos.*

Epiſtolæ ( *Paulino* ( *Probæ & Julianæ* ( *Cæciliano* ( *Macedonio* ( *Macedonio* ( *Hilario* ( *Evodio*

Anno 415.

*De Geneſi ad litteram lib.* 12. 2. Retr. 12.

*Ad Oroſium contra Priſcillianiſtas.*

*De Natura & Gratia lib.* 1. 2. Retr. 42. contra Pelagianos.

*De Perfectione juſtitiæ hominis.*

Epiſtolæ ( *Evodio* ( *Evodio* ( *Hieronymo de Origine animæ* ( *Hieronymo* ( *Evodio* ( *Maximo* ( *Peregrino* ( *Donato*

Anno 416.

*Tractatus in Joannem* 124. *contra Donatiſtas.*

*In Epiſtolam Joannis ad Parthos Tractatus* 10.

*De Trinitate lib.* 15. 2. Retract. 15.

Epiſtolæ ( *Donato* ( *Aurelio* ( *Innocentio Pontifici* ( *Innocentio Pontifici* ( *Eidem* ( *Hilario* ( *Joanni* ( *Oceano*

Anno 417.

*De Geſtis Pelagii lib.* 1. 2. Retr. 47.

Epiſtolæ ( *Bonifacio* ( *Paulino* ( *Dardano* ( *Julianæ*

Anno

Anno 418.

*Contra Sermonem Arrianorum lib.* 1.

*De Geſtis cum Emerito Cæſareenſi Donatiſtarum Epiſcopo* 2. Retr. 51.

*De Gratia Chriſti*, *& de Peccato Originali lib.* 2. 2. Retr. 50. contra Pelagianos.

*De Patientia lib.* 1. *contra Donatiſtas*.

Epiſtolæ ( *Bonifacio*
( *Optato*
( *Sixto*
( *Cæleſtino*
( *Mercatori*
( *Sixto*
( *Aſellico*
( *Heſychio*

Anno 419.

*Locutionum lib.* 7. 2. Retr. 37.

*Quæſtiones in Heptateuchum lib.* 7. 2. Retr. 55.

*De Conjugiis adulterinis*.

*De Nuptiis & concupiſcentia lib.* 2. contr. Pelag. 2. Retr. 53.

*De Anima lib.* 4. 2. Retr. 56.

Epiſtolæ ( *Heſychio*
( *Valerio*
( *Largo*

Anno 420.

*Contra mendacium lib.* 1. *adverſus Priſcillaniſtas*. 2. Retr. 60.

*Contra adverſariorum legis & Prophetarum lib.*2. 2. Retr. 58.

*Contra Gaudentium Donatiſtarum Epiſcopum lib.* 2. 2. Retr.. 59.

*Contra duas Epiſtolas Pelagianorum lib.* 4. Retr. 2. 62.

Epiſtolæ ( *Dulcidio*
( *Conſentio*
( *Valerio*

Anno 421.

*Enchiridion ad Laurentium contra Manichæos*, *Apollinariſtas*, *Priſcillianiſtas &c.* 2. Retr. 63.

*De cura gerenda pro mortuis lib.* 1. Retr. 64.

*Contra Julianum lib.* 6. 2. Retr. 62.

Epiſtolæ ( *Claudio*

Anno 422.

Epiſtolæ ( *Feliciæ*

Anno 423.

Epiſtolæ ( *Cæleſtino Papæ*
( *Felicitati & Ruſtico*
( *Ad Monachos*

Anno 425.

*De Octoginta Quæſtionibus lib.* 1. contra Donatiſtas. 2. Retr. 64.

Epiſtolæ ( *Quintiliano*

Anno 426.

*De Doctrina Christiana lib.* 4. 2. Retr. 14.

*De Civitate Dei contra Paganos lib.* 2. 2. Retr. 43.

*De Gratia & libero arbitrio lib.* 1. contra Pelagium. 2. Retr. 66.

Epiſtolæ ( *Acta Eccleſiaſtica* ( *Valentino* ( *Eidem* ( *Vitali* ( *Palatino* ( *Proculo & Cylinnio.*

Anno 427.

*Collatio cum Maximino Arrianorum Epiſcopo lib.* 2.

*De Correptione & Gratia lib.* 1. contra Pelagium. 2. Retr. c. ult.

Epiſtolæ ( *Bonifacio* ) *Quodvultdeo* ( *Eidem*

Anno 428.

*De Hæreſibus ad Quodvultdeum.*

*De Prædeſtinatione SS. & de Dono Perſeverantiæ lib.* 2.

Epiſtolæ ( *Alipio* ( *Honorato*

Anno 429.

Epiſtolæ ( *Dario*

Scripta S. Auguſtini incompertæ ætatis.

Epiſtolæ ( *Dario* ( *Fratribus Madaurenſibus* ( *Longiniano* ( *Eidem* ( *Deuterio* ( *Ceretio* ( *Paſcentio* ( *Eidem* ( *Eidem* ( *Elpidio* ( *Læto* ( *Chriſimo* ( *Poſſidio* ( *Lampadio* ( *Romulo* ( *Sebaſtiano* ( *Reſtituto* ( *Auxilio* ( *Ad Claſſicianum* ( *Pancario* ( *Felici* ( *Benenato* ( *Eidem* ( *Ruſtico* ( *Chriſtino.* ( *Orontio* ( *Martiano* ( *Cornelio* ( *Audaci* ( *Ecdiciæ* ( *Sapidæ* ( *Maximæ* ( *Seleucianæ* ( *Florentinæ* ( *Fabiolæ* ( *Sanctæ Plebi* ( *Nobilio*

Enar-

Enarrationes in Pſalmos
De Symbolo
De Diſciplina Chriſtiana
De Cantico novo
De utilitate jejunii
De Urbis excidio
Contra Fauſtum Manichæum lib. 33. 2. Retr. 7.
Opus Imperfectum contra Julianum lib. ſex.
Sermones de verbis Domini 64.
De verbis Apoſtoli 35.
Homiliæ 50.
Sermones de Tempore 256.
Sermones de SS. 68.
Sermones de Diverſis 123.
Fragmenta 37.
ex MSS. Carthuſiæ 11.
Additi ab Jacobo Sirmondo, 40.
Alii pauci tom. 5. PP. S. Mauri.

## E X A M E N.

*Doctrinæ P. Ludovici Molinæ de concordia liberi arbitrii cum gratiæ donis R. D. Jacobo Le Boſsù Ordinis S. Benedicti Doctore Pariſienſi auctore.*

„ DUo quidem vocabula „ ſatis aperiunt, Moli„ nam non de ſola explica„ tione ſuæ ſententiæ, quam „ non ſemel fatetur ſe deſi„ deraſſe in antiquis PP. ſed „ de nova illius a ſe facta „ inventione hanc tradidiſſe „ liberi arbitrii cum donis „ gratiæ concordiam, dum „ §. *Nos pro noſtra*, dicit: „ *Quæ ſi data explanataque* „ *ſemper fuiſſent*; & §. *Lon-* „ *gior* loquitur aperte: *Hæc* „ *noſtra ratio conciliandi li-* „ *bertatem arbitrii cum divi-* „ *na Prædeſtinatione, a ne-* „ *mine quem viderim hucuſ-* „ *que tradita*. Duæ autem „ iſtæ voces *data* & *tradita*, „ ſatis oſtendunt id, quod „ diximus: multo vero magis „ particula, *noſtra* . . . . „ Porro duo etiam ſunt, quæ „ jure videntur in hac nota „ reprehenſibilia. Primum eſt „ diſceſſus a communi PP. „ ſententia. Secundum eſt „ pauca reverentia, quam „ demonſtrat verſus S. Au„ guſtinum & ejus doctrinam: „ ita ut non deſint, qui pri„ mum temeritati, ſecundum „ inverecundiæ adſcribant, id „ quod nollem ei impingere, „ ſed de utroque dicendum „ duobus capitibus, ita ta„ men ut hæc animadverſio, „ quia non eſt dogmatica, „ ſit futura multo brevior ſe„ quentibus.

## CAPUT I.

*De diſceſſione a PP. ſententia.*

„ IN rebus fidei diſceſſionem a PP. ſententia, „ & introductionem novitatis, ut quis proprium ſuum inventum obtrudat, ſuſpectam eſſe & periculoſam, ita compertum eſt, ut non egeat probatione. Nihilominus id clarius futurum exiſtimo, ſi illud & exemplo S. Baſilii, & doctrina Vincentii Lerinenſis illuſtravero. M. ergo Baſilius Ep. 62. tam tenax fuit antiquitatis, ut encomii, quod deſcripſit in laudem Muſonii, præcipuum caput exponens ita loqueretur: *Nihil de ſuo, nihil quod novæ alicujus cogitationis inventum reſiperet, in medium addaxit, ſed juxta benedictionem Moyſi, ex ipſis arcanis cordis ac bonis theſauris vetera veterum, & quæ ante faciem juniorum vetera eſſent, proferre novit*. Is, inquam, Baſilius M. cum orans apud Populum utroque ſequenti modo glorificationem abſolviſſet Deo, & Patri, interdum cum filio ipſius & Spiritu ſancto, interdum per filium in Spiritu ſancto, & aliqui dicerent, illum novis uſum eſſe vocibus, ut refert ſcribens ad „ Amphilochium c. 29. *Veneranda ſunt antiqua dogmata, quæ ob antiquitatem & canitiem quamdam, habeant quiddam reverendum.* Unde etiam id quod dixerat, confirmat antiquorum auctoribus, citans Clementem Romanum, & Alexandrinum, Irenæum, Dionyſium Alexandrinum, Africanum, Athenogenem, Gregorium Thaumaturgum, Firmilianum, & Meletium Pontificem.

„ Quod autem attinet ad Vincentium Lerinenſem, cùm pene totus ſit in utroque Commonitorio, ſcribens adverſus prophanas hæreſum novationes, in ablegandis a rebus fidei novitatibus, & adſtruenda antiquitate, ſatis eſſe videbitur hoc loco citare, quæ ex ſummis Pontificibus ad hujus rei confirmationem profert.

„ Primum igitur caput 9. in 1. Commonitorio ex B. Papa Sixto in Epiſtola ad Africanos, profert id quod ad everſionem Anabaptiſmi conclamati in Concilio Carthaginenſi poſt tempora Agrippini illius Auctoris definierat Sixtus: Nihil novandum, niſi quod traditum (ſubaudi) recipiatur. *Id enim*, inquit Vincentius, *proprium eſt chriſtianæ modeſtiæ & gravitatis, non ſua poſteris*

„ tra-

„ *tradere*, *ſed a majoribus* „ *accepta ſervare*. Deinde in „ 2. Commonitorio c. 3. au„ ctoritate Sixti conjungit „ B. Cæleſtini ſententiam, „ qui ita alloquitur Gallorum „ Epiſcopos: *Deſinat itaque*, „ *ſi ita res eſt*, *ut ad me* „ *perlatum eſt*, *videlicet*, „ *inceſſere novitas vetuſtatem.* „ Verba, quæ Vincentius „ ſubjicit verbis Sixti, viden„ tur directe ferire Molinam, „ ſicut verba Cæleſtini, qui „ de rebus controverſis, de „ quibus nunc agitur, defi„ niebat, illius doctrinam ut „ apparet, jugulant.

„ Non ſum neſcius aliquos „ uti ad Molinæ defenſionem „ eodem Vincentio Lerinenſi „ Commonitorii primi cap. „ 27. concedente, aliqua no„ ve dici in rebus fidei. Ve„ rumtamen ſatis ſe explicat „ auctor, dum ita loquitur: „ *Eadem tamen*, *quæ didici*„ *ſti*, *ita doce*, *ut cum dicas* „ *nove*, *non dicas nova*, ſe„ ſeque magis aperit in ſe„ quentibus, dum dicit c. 28. „ *Creſcat quidem intelligen*„ *tia*, *ſcientia*, *ſapientia*, „ *ſed in ſuo dumtaxat gene*„ *re*, *in eodem ſcilicet dog*„ *mate*, *eodem ſenſu*, *ea*„ *demque ſententia*. Et c. „ 32. rem, quibuſdam inter„ poſitis, ſic illuſtrat, ut „ fateatur, Eccleſiam in De„ cretis Conciliorum, quæ a „ majoribus ſola traditione „ acceperat, poſteris per ſcri„ pturæ chirographum conſi„ gnare, plerumque propter „ intelligentiæ lucem, non „ novum fidei ſenſum, novæ „ appellationis proprietatem „ ſignando. Unde qui Mo„ linæ faceſſerent negotium „ de ſolis vocibus non uſita„ tis hactenus, ſicut eſt ap„ pellatio *Scientiæ mediæ*, „ videtur operam perdere, „ niſi doceret, res, quibus „ explicandis adhibentur, ab „ illo alio ſenſu intelligi, & „ ex conſequenti ab illo no„ va contra vetuſtatem ſe„ cundum diverſum dogma „ proponi. Hoc autem facile „ conſtabit ex ſequentibus „ & ex ratione diſceſſionis „ a S. Auguſtino fiet evi„ dens.

## CAPUT II.

*De pauca reverentia, quam exhibet Molina S. Auguſtino in hac doctrina.*

„ Locus, qui citatur ex „ concordia, paulo pro„ lixior eſt: *Neque*, inquit „ Molina, *ex Auguſtini opi*„ *nione concertationibuſque* „ *cum Pelagianis tot fideles* „ *fuiſſent turbati*, *ad Pela*„ *gianoſque defeciſſent* . . . . „ *concertationeſque*, ait pau„ cis interjectis, *inter Catbo*„ *licos facile fuiſſent compo*„ *ſitæ*. Ubi cum vocat *opi*„ *nionem* D. Auguſtini, quam „ debuiſſet potius vocare ſen„ ten-

„ tentiam, niſi ſtabilire volens ſuum judicium pro catholica ſententia, judicium tanti Sancti noluiſſet recipi pro ſola opinione. Monſtrat præterea ſe in ſequenti loco, quem nunc citabimus, agere perperam, dum nititur hunc Sanctum ad ſuam opinionem traducere, confeſſus nunc libenter S. Auguſtinum ſic opinatum, ita ut hæc quæ citat incommoda, inde ſecuta ſint. Aliorum etiam relinquo judicio, ſi concertationes illæ dicendæ ſint fuiſſe *inter Catholicos* ſimpliciter, quæ ex occaſione Scriptorum S. Auguſtini emerſerunt inter Catholicos & Semipelagianos.

„ Sed jam agamus de loco citato ex comment. in 1. part. in quo ſic ſcribit: *Interim vero dum ſub ea quaſi caligine ad hoc non attendit S. Auguſtinus* (nempe prædeſtinationem & reprobationem non fuiſſe ſine præſcientia qualitatis uſus liberi arbitrii, habitaque conſideratione) *illius arbitratus cum ſua de prædeſtinatione ſententia eſſe conjunctum, Deum velle ſolos prædeſtinatos ſalvos fieri &c.* Profecto mirum mihi eſt, repertos fuiſſe aliquos, qui ut Molinam excuſarent, rejecerunt eam caliginem a Molina S. Auguſtino attributam, ad alios illius ſæculi Theologos, cum hæc vocabula *non attendit, & arbitratus eſſe conjunctum &c.* alio quam ad illius perſonam vel doctrinam applicari nequeant; ſequiturque inde, Molinam fateri ſe clara luce ſuæ doctrinæ ſic hanc materiam illuſtrare, ut opinionis S. Auguſtini caliginem expellat.

„ Ceterum poſtquam ſententiam Sanctorum Thomæ & Auguſtini verſavit & reverſavit, ſentiens ſe nonniſi vi tantos auctores ſibi facere poſſe propitios, tandem §. *ex his patet*, in hæc verba prorupit: *Imo vero eſto hi duo Patres in eam ſententiam inclinaſſent ſalva reverentia, quæ illis debetur maxima, quoad illud ſecundum non eſſet admittenda.*

„ Oh quantum S. Proſperi Aquitani judicium de S. Auguſtino a verbis Molinæ eſt differens, dum poſt citatam S. Cæleſtini commendationem illius (quam ſtatim ſubjiciemus) exclamat: *Contra iſtam clariſſimæ laudationis tubam, contra iſtam ſacratiſſimi teſtimonii dignitatem audet quiſquam malignæ interpretationis murmur emittere, & perſpicuæ ſinceriſſimæque ſententiæ nubem obliquæ ambiguitatis obtendere!* quod licet applicet

„ ad

„ ad ſe, contra eos, qui ab „ approbatione B. Cæleſtini „ eximebant libros S. Auguſtini de Prædeſtinatione „ Sanctorum & de Dono „ Perſeverantiæ; intelligit „ tamen extendi etiam ad „ alios, unde in fine Epiſtolæ ad Ruffinum: *Tu* „ *autem dilectiſſime & venerandiſſime mi frater, ſi vere de his quæſtionibus inſtrui deſideras, ſicut deſiderare te convenit, ipſis B.* „ *Auguſtini diſputationibus* „ *cognoſcendis impende curam,* „ *ut in confitenda Dei gratia* „ *defæcatiſſimam ac ſaluberrimam Evangelicæ Apoſtolicæque doctrinæ intelligentiam conſequaris*. Sed & „ in Epiſtola quam ad eumdem Auguſtinum ſcripſit, „ cum illum merito ita ſalutaſſet: *Domino beatiſſimo* „ *Papæ ineffabiliter mirabili,* „ *incomparabiliter honorando* „ *&c.* reddens rationem, cur „ ad illum ſcribat, nempe „ ſe id facere ſtudio fidei, „ adjungit: *Excubante enim* „ *pro univerſis membris corporis Chriſti vigilantiſſima* „ *induſtria tua, & adverſus* „ *hæreticarum doctrinarum inſidias veritatis virtute pugnante &c.* Jam vero audiamus ipſum Cæleſtinum „ cum magna commendatione de ſancto Auguſtino & „ ejus doctrina loquentem, „ dum ſcribit ad Venerium „ & alios quinque, quos nominat, necnon ad ceteros „ Galliæ Epiſcopos: *Auguſtinum*, ait c. 2. *S. recordationis virum pro vita ſua* „ *atque meritis in noſtra communione ſemper habuimus,* „ *nec unquam hunc ſiniſtræ* „ *opinionis rumor aſperſit:* „ *quem tantæ ſcientiæ olim* „ *fuiſſe meminimus, ut inter* „ *Magiſtros optimos etiam a* „ *meis ſemper deceſſoribus* „ *haberetur. Bene ergo de eo* „ *omnes in communi ſenſerunt, utpote qui ubique* „ *cunctis & amori fuit &* „ *honori*.

„ Hic præter id, de quo „ agimus, nempe Sanctos „ cum multo majore reverentia de S. Auguſtino loquutos fuiſſe, quam Molinam, duo ſunt, quæ bene notanda eſſe credimus. „ Unum, illudque præcipuum, „ quod ad ſententiam ſuorum „ deceſſorum adjungit quoque „ ſuæ probationis calculum „ per prædeceſſores intelligens „ Innocentium Zozimum & „ Bonifacium, ſicut etiam „ S. Proſper teſtatur ad finem libri contra Collatorem, dum expectat etiam „ Sixti, ſucceſſoris ejuſdem „ Cæleſtini ſententiam, quam „ tulit poſtea, ſub cujus „ Pontificatu dictum librum „ ſcribebat. Ut ex eo conſtet, eum qui a D. Auguſtini doctrina diſcedit,

„ ſimul

„ ſimul etiam a ſanctæ Se-„ dis determinationibus ſe-„ cedere.

„ Alterum eſt, quod non „ contentus fuit Cæleſtinus „ S. Auguſtinum ex anteceſ-„ ſorum ſententia collocaſſe „ inter magiſtros optimos, „ niſi etiam annumeraret in-„ ter ſuos, dum cap. 3. ſuæ „ Epiſtolæ ita loquitur: *Quia* „ *nonnulli, qui catholico no-*„ *mine gloriantur, in damna-*„ *tis autem hæreticorum ſen-*„ *ſibus, ſive pravitate, ſive* „ *imperitia, demorantes,* „ *piiſſimis diſputatoribus ob-*„ *viare præſumunt, & cum* „ *Pelagium & Cæleſtium* „ *anathematizare non dubi-*„ *tent, Magiſtris tamen no-*„ *ſtris, tanquam neceſſarium* „ *modum exceſſerint, oblo-*„ *quatur &c.* Unde conſtat „ illud dictum, *Magiſtris* „ *noſtris*, non referri ad ſum-„ mos Pontifices Innocen-„ tium & Zozimum, quo-„ rum definitionibus utitur „ ſequentibus capitulis, ſed „ præſertim ad S. Auguſti-„ num, quem norunt omnes „ piiſſimum diſputatorem con-„ tra Pelagianos, atque ex „ hujus loci principio con-„ ſtat, B. Cæleſtinum Semi-„ pelagianos, qui faceſſebant „ negotium doctrinæ S. Au-„ guſtini, vix habere pro „ Catholicis, licet eo nomi-„ ne gloriarentur, cum ta-„ men Molina eos appellet „ Catholicos, ſicut antea „ notavimus.

„ Porro certum eſt in 2. „ Concilio Arauſicano, quod „ nonnulli afferunt ſub Leo-„ ne Magno, alii probabi-„ lius affirmant anno 3. Hi-„ larii ejus ſucceſſoris cele-„ bratum fuiſſe, ſcilicet an-„ no Chriſti 463. (1) actum eſſe

(1) Quo anno hæc Synodus peracta fuerit, olim a Baronio erratum eſt, itidemque Bellarmino, Suario, Vaſquio & aliis, qui tempore Leonis Papæ eum conventum coactum dixere, quia tempus Cæſarii Arelatenſis ignorabant; at ex ſubſcriptione ejuſdem res modo certa evaſit, ibi enim legimus: *Cæſarius in Chriſti nomine Epiſcopus conſtitutionem noſtram relegi, & ſubnotans ſubſcripſi V. Nonas Julii Decio juniore V. C. conſule.* Hic Decius junior conſulatum geſſit anno 529. . . . . . . . . Sed omne dubium de tempore hujus ſynodi tandem ſuſtulit Epiſtola Bonifacii II, ad Cæſarium . . . . . . . . Hæ litteræ Bonifacii in antiquis codicibus dicuntur datæ VIII. Kal. Februarias Lampadio & Oreſte Coſs. anno ſcilicet 530. & hoc pacto editæ ſunt Romæ anno 1652. in fine Opuſculorum S. Auguſtini de Gratia. At Sirmondus Baronii Chronologiam ſequutus legendum putat P. C. Lampadii & Oreſtis, qui eſt annus 531. Cardina-

„ eſſe contra Semipelagianos „ ex occaſione Fauſti Re- „ gienſis Epiſcopi, illorum „ hæreſim renovantis, con- „ cluſum fuiſſe promulgari „ decreta, quæ olim a Ro- „ mano Pontifice ad Gallia- „ rum Epiſcopos tranſmiſſa fue-

dinalis Baronius Anaſtaſium imitatus Bonifaci initia ſtatuit Lampadio & Oreſte Coſs. menſe Octobri, finem vero die 17. Octobris P. C. Lampadii & Oreſtis anno ſcilicet 531. ſed utrobique eundem erraſſe certum eſt. Etenim celebrata anno 529. V. Nonas Juliis ſynodo ſecunda Arauſicana Cæſarius ejuſdem confirmationem petiit a Felice Papa miſſo Romam Armenio Presbytero & Abbate rogans Bonifacium, quem amiciſſimum habebat, ut a Pontifice confirmationem impetraret; Ceterum priuſquam diſcederet Armenius, moritur Felix, eliguturque Bonifacius, licet nonnulli pro Dioſcoro ſchiſma conflaſſent, qui tamen intra paucos dies moriens alteri citra controverſiam Pontificatum relinquit. Do initium Epiſtolæ Bonifacii ad Cæſarium: *Per filium noſtrum Armenium Presbyterum & Abbatem litteras tuæ fraternitatis accepimus, quas ad nos, ut apparet, inſcius adhuc ſacerdotii mihi commiſſi* (Ita enim ex vetuſtiſſimo Codice Vaticano legit Holſtenius in notis ad Synodum Bonifacii II.) *ſub ea, qua in Deo tenemur, charitate direxeras, quibus credideras poſtulandum, ut id quod a B. recordationis Deceſſore noſtro Papa Felice pro Catholicæ fidei propoſueras firmitate, mea explicaretur inſtantia. Sed quia id voluntas ſuperna diſpoſuit, ut quod per nos ab illo ſperaveras, a nobis potius impetrares &c.* Subſcribitur Epiſtola: *Data VIII. Kal. Februarias Lampadio & Oreſte VV. CC. Coſs.* Ibique mentio habetur Synodi a Cæſario celebratæ. Quis vero exiſtimet, Cæſarium poſt annum ſcripſiſſe ad Sedem Apoſtolicam, ſe ſynodum apud Arauſicam coegiſſe? Quare anno eodem 529. celebrati a ſe concilii Felicem Papam certiorem reddidiſſe dicendus eſt. Dum vero Armenius litteras Romam delaturus eſſet mortuo Felice eodem anno 529. ſucceſſit Bonifacius, qui anno ſequenti die 25. Januarii reſpondit Cæſario. Certe ſubſcriptiones Epiſtolarum Felicis, quæ ponuntur datæ Conſulibus Lampadio & Oreſte, ex hac Bonifacii ſubſcriptione corrigendæ ſunt, præſertim cum alteram datam ad Sabinam XII. Kalend. Novembris ipſe etiam Baronius eadem ſpongia emendandam dicat. Sed neque finis Pontificatus Bonifacii recte ſtatuitur a Baronio, ac ceteris communiter cum Anaſtaſio die 17. Octobris P. C. Lampadii. Nam aperte falſitatis convincuntur ex actis ſynodi Romanæ a Bonifacio eodem celebratæ, & a Luca Holſtenio editæ, ubi ſeſſio prima ita incipit: *Poſt conſulatum Lampadii & Oreſtis VV. CC. ſub die VII. Iduum Decembris in Conſiſtorio B. Andreæ Apoſtoli præſidente Venerabili Viro Papa Bonifacio &c.* Ex quibus vixiſſe Bonifacium uſque ad Decembrem anni 531. evidenter demon-

„ fuerant, quæ quidem ex libris S. Auguſtini tranſcrita, & a Leone Magno „ approbata, & definita ſunt, „ conformiter, ut par eſt credere, ad illa XIII. decreta

demonſtratur. Extat in Eccleſia S. Petri ad vincula Romæ hæc inſcriptio,

SALBO PAPA N. JOANNE COGNOMENTO
MERCURIO EX SCE. ECCL. ROM. PRESBYTERIS
ORDINATO EX TIT. SCI CLEMENTIS AD GLORIAM
PONTIFICALEM PROMOTO BEATO PETRO
AP. PATRONO SUO A VINCULIS EJUS SEVERUS
PB. OFRT. ET IT. PC, LAMPADI ET ORESTIS
VV. CC. URBICULUS CEDRINUS.

Infert Baronius ad annum 531. *Ex his igitur quam perſpicue vides ſedere cœpiſſe hoc anno* 531. *poſt Bonifacii obitum Joannem cognomento Mercurium*. Verum inde tantum colligitur anno 531. Joannem Papam fuiſſe, non vero anno ſuperiori eumdem Pontificatum iniiſſe. Ponitur enim in inſcriptione: *Iterum poſt conſulatum Lampadii & Oreſtis*, quo charactere non indicatur annus 531., ſed inſequens 532. Vir diligentiſſimus Panvinius ſcribit 22. Januarii anno 532. Joannem Papam electum. Et ſane ante dies 44. ſedebat Bonifacius ex ſeſſione ſecunda laudatæ Synodi celebrata *poſt conſulatum Lampadii & Oreſtis VV. CC. ſub die* 5. *iduum Decembrium*. Certe rideo legens ſcholiaſten Ciacconii, qui in margine argutulus notat veteres uſos ea nota IT nempe ITERUM, hoc eſt, inquit, anno 531. inepte, cum hic annus ſit *Poſt conſulatum*, ſequens vero iterum *Poſt conſulatum* Lampadii.

Felix ejuſque ſucceſſor Bonifacius de Auguſtiniana ſchola optime meriti fuere. Ille enim ex unius Auguſtini libris ſententias deprompſit, quas tanquam fidei oracula fidelibus credendas propoſuit, unius Auguſtini ore in profligandis diuturnis de Divina Gratia litigiis uſus. Hic vero eadem dogmata adprobavit, & ad aſſequendam perfectiorem divinæ Gratiæ intelligentiam *præ cæteris B. Recordationis Auguſtinum Epiſcopum* tanquam Magiſtrum optimum propoſuit laudavitque. Hinc factum eſt, ut horum duorum Pontificum Sanctionibus Caſſiani, Fauſti, ac reliquorum ejuſdem doctrinæ hominum errores tanquam hæreſes poſtea ab orthodoxis omnibus rejecti fuerint, neque amplius inter adiaphora numerari potuerint. Ita longiſſimo certamini, quod centum annos & quod excurrit Gallias præſertim in partes diſtraxerat, Auguſtino cauſa adjudicata ab utroque Pontifice finis tandem impoſitus fuit. *Card. Noriſius lib.* 2. *Hiſt. Pel. c.* 53.

„ ta Cæleſtini, quæ tranſmiſſa fuerant ad prædictos „ Galliæ Epiſcopos. Gelaſius „ autem ſcribens ad Honorium Ep. 4. admonet eum, „ ne iterum Pelagiana hæreſis, quam S. Auguſtinus „ contriverat, pullulet, quam „ Epiſtola præcedente dixerat ab Apoſtolica Sede per „ B. Memoriæ Innocentium, „ ac deinde Zozimum, Bonifacium, Cæleſtinum, Sixtum, Leonem continuis „ & inceſſabilibus ſententiis „ fuiſſe proſtratam. Unde „ non mirum ſi is ſummus „ Pontifex, ut eſt in C. *Sancta Romana Eccleſia* diſtinct. „ 15. approbans Opuſcula SS. „ Auguſtini, Proſperi, & Hilarii, rejecerit opuſcula Cæleſtii, & Fauſti Regienſis „ Epiſcopi. Nec prætereundus eſt in hoc quaſi catalogo Hormiſdas Summus „ Pontifex, cujus Epiſtola, „ quæ tom. 1. Epiſtolarum „ Summorum Pontificum eſt „ 67. in tomo vero 2. Conciliorum recentioris editionis eſt 70. ſic concluditur: „ *De arbitrio vero libero & „ gratia Dei, quid Romana, „ hoc eſt Catholica ſequatur „ & aſſeveret Eccleſia, licet „ in variis libris B. Auguſtini, & maxime qui ſunt „ ad Hilarium & Proſperum, „ poſſit cognoſci, tamen in „ ſcriniis Eccleſiaſticis expreſſa capitula continentur, „ quæ ſi tibi deſunt, & neceſſaria creditis* (alloquitur Poſſeſſorem Epiſcopum, „ ad quem ſcribit) *deſtinabimus: quamquam qui diligenter Apoſtoli dicta conſiderat, quod ſequi debeat, „ evidenter cognoſcat*. Ex „ quibus omnibus & aliis, „ quæ qui ſcribunt de hac „ re proferunt in medium, „ ſatis evidens eſt, neminem „ a ſententia S. Auguſtini „ poſſe diſcedere, qui non „ ſimul diſcedat ab Eccleſiæ totius conſenſu, tot „ tantorumque Pontificum decretis. Hinc eſt, quod auguſtæ memoriæ Papa Clemens VIII. in prima Congregatione ex his, quas in „ præſentia ſua voluit haberi (illa porro *Congregatio* „ vocabatur *de auxiliis*, initiumque habuerat circa initium menſis Januarii 1598.) „ convocatis coram ſe Conſultoribus, ac etiam Generalibus, tam Societatis Jeſu, quam Ordinis Dominicanorum exiſtentibus, „ cum illis, iis quibus onus „ diſputandi commiſerat 20. „ die menſis Martii 1602. qui „ erat dies Mercurii quartæ hebdomadis quadrageſimæ, in hanc ſententiam peroravit: *Quamvis nemini, „ niſi Deo rationem reddere „ debeam mearum actionum, „ dicam tamen imoræſentiarum quare ſim reſolutus ad „ adſtringendam totam hanc „ diſputationem ad normam* „ *do-*

„ *doctrina S. Auguſtini de gratia*. Deinceps tres rationes „ hujus ſuæ reſolutionis propoſuit. Prima fuit, quod ſi „ teſte B. Proſpero fere initio libri contra Collatorem „ 20. annorum ſpatio acies „ Eccleſiæ ita dimicavit pro „ gratia contra Pelagianos, „ ut tandem Auguſtino duce vicerit, æquum eſſe, ut „ in cauſa ſimili eumdem ducem ſequamur. Secunda eſt „ quod idem Sanctus nihil videtur prætermiſiſſe eorum, „ quæ ad præſentes controverſias pertinent, quandoquidem ſi agitur de neceſſitate gratiæ, eam deſcribit dicens, eſſe neceſſe ut „ nos præveniat, comitetur, „ & ſequatur, ſi de vi, aſſerit vires efficaciſſimas præbere voluntati, ſi de affectu, teſtatur facere de nolente volentem, ſi de modo, „ aſſerit Deum id facere omnipotentiſſima facilitate, „ denique ſic diſſolvit objectiones ut doceat, liberum „ arbitrium, non tantum bene cum illa gratia, quam „ defendit, cohærere, ſed etiam fieri liberius, quando „ ab illa fuerit liberatum. Habebat autem locos propria „ induſtria ex B. Auguſtino „ excerptos, quos admodum „ appoſite ad ſingula, quæ „ dicta ſunt, confirmando recitabat. Tertia vero ratio „ fuit, quod cum multi Pontifices ſui prædeceſſores doctrinæ S. Auguſtini de gratia „ tam acres fuerint aſſertores „ & vindices, ut quaſi hæreditario jure eam voluerint in „ Eccleſia relinqui, non eſſe æquum, ut patiatur, illam hac quaſi hæreditate „ privari: ſeque id numquam „ paſſurum reſolute aſſeveravit. Et ita manſit fixus in „ hac reſolutione, ut cum „ ſequentes diſputationes voluerit fieri more rotali (in „ illo enim Romano integerrimæ Rotæ judicio, cauſæ, „ in quibus aliquid difficultatis eſt, proponuntur per „ dubia, quaſi dicas, quæſtiones antequam terminentur) „ ſingula pene dubia, quæ „ propoſuit diſputanda poſtulabant: An articuli excerpti ex Molinæ doctrina eſſent apud S. Auguſtinum, „ aut ſecundum doctrinam, „ & mentem illius: De rebus autem quæ controvertebantur, ſi quando proponeret, quid ſentiret, monebat, ſe id dicere non „ reſolvendo aut definiendo.

ORA-

# ORATIO.

*A Clemente VIII. P. M. habita 20. Martii 1602.*

In prima Congregatione de auxiliis coram ipſo Pontifice celebrata.

QUamvis ſoli Deo, non autem ulli mortalium, actionum mearum tenear rationem reddere, placet tamen impræſentiarum conſilii mei cauſas aperire, cur, inquam, hanc univerſam de auxiliis divinæ gratiæ controverſiam ad mentem S. Auguſtini expendendam duxerim. Etenim S. Proſperum a Ruffino hac in re conſultum ſapientiſſime reſpondiſſe ſemper exiſtimavi: ſi vere de his quæſtionibus inſtrui deſideras, ſicut deſiderare par erat, ipſis S. Auguſtini diſputationibus cognoſcendis curam impenderet, ut in confitenda Dei gratia defæcatiſſimam ac ſaluberrimam Evangelicæ Apoſtolicæque doctrinæ intelligentiam conſequeretur. Quo factum eſt, ut ſummi Pontifices Romani, mei prædeceſſores Zozimus, Bonifacius, Cæleſtinus, Leo, & Hormiſdas S. Auguſtini doctrinam contra Pelagianos ita laudaverint. ut illius ſcripta, quæ intra Gallias a novis Pelagianæ hæreſis ſectatoribus reprehendebantur, conſulto approbaverint. Quemadmodum enim iſti credebant, ſe omnia auctoritatum munimina poſſe convellere, ſi hanc paſtoralis ſpeculæ validiſſimam turrim creba Pelagiani arietis illiſione pulſaviſſent, ita illi conſiderantes ſantiſſimum virum ſapientiſſime Pelagianorum verſutias deprehendiſſe, & machinas omnes, quibus gratiæ divinæ virtutem effringere, & conterere moliebantur, copioſe in multis voluminum diſputationibus deſtruxiſſe & funditus evertiſſe, illius & argumentis adverſus hujuſmodi peſtem ſemper uſi ſunt. Adeo certe ut S. Bonifacius prædeceſſor meus, cum eſſet doctiſſimus, adverſus libros tamen Pelagianorum B. Auguſtini Epiſcopi reſponſa ſemper popoſcerit. Quos ſi ego in definiendis his quæſtionibus imitarer, id & rationi congruum, & Deo acceptum fore ratus ſum. Quippe dum poteſtatis auctoritate mihi cum illis communi cœlitus a Deo conceſſa utor, & eiſdem cum illis veſtigiis inſiſto, & ex eodem fonte, jure hæreditario defæcatiſſimam & ſaluberrimam Evangelicæ Apoſtolicæque doctrinæ intelligentiam hauriri volo, & eam

quam ab illis hac in parte accepi hæreditatem poſteris meis relinquo, juſtiſſimam Deo facti mei reddam rationem.

Quibus omnibus accedit, ita S. Auguſtinum omnes difficultates, quæ vel a Pelagianis, & eorum ſectatoribus tunc movebantur, vel potius moveri poſſent, penetraſſe & explicuiſſe, & ita illorum omnia ſophiſmata diſſolviſſe, ut nihil hac noſtra tempeſtate de gratia Dei in controverſiam vertatur, quod a S. Auguſtino non fuerit jam olim copioſe pertractatum. Vanum eſt enim quod a nonnullis dicitur putari, præſentes quæſtiones eſſe recenter à Theologis Scholaſticis excogitatas; cum nihil contra divinæ gratiæ neceſſitatem & virtutem a recentioribus quibuſdam nunc aſſeratur, quod a Pelagianis & Semipelagianis olim aſſertum non fuerit; nihil etiam adverſus illos pro ejuſdem divinæ gratiæ virtute atque efficacia, & neceſſitate dici oporteat, quod S. Auguſtinus ante mille fere & ducentos annos docuerit.

Etenim celebrem illam diſtinctionem, qua veteres Theologi gratiam partiti ſunt in ſufficientem & adjuvantem, ſeu efficacem, ex doctrina S. Auguſtini deſumptam fuiſſe apparet ex lib. de Corrept. & Gr. c. 12. ubi expreſſe dicit, adjutoria divina ita diſtinguenda eſſe, ut aliud ſit adjutorium ſine quo aliquid non fit, & aliud quo aliquid fit. Unde inquit: *Primo homini &c.*

# LIBER SEPTIMUS.

*De auctoritate Scholaſticorum.*

Quæ ſequentibus quatuor libris pertractanda ſuperſunt, ea compendioſe potius delibare propoſuimus, & ſummatim attingere, cum longam cætera non expoſtulent tractationem. Et quidem quod ad Scholaſticos attinet ſive antiquos, ſive recentiores, certas quaſdam regulas ſequenti capite ſubjiciemus, ut certum ferri poſſit de eorum auctoritate judicium, unde ſit

CA-

## CAPUT UNICUM.

THeologi illi, qui ſcholas in varia diſtraxerunt placita, Scholaſtici paſſim nuncupari conſueverunt, inter quos facile Principes extiterunt D. Thomas Aquinas, Magiſter Sententiarum, Ægidius Viterbienſis; Joannes Duns Scotus, Gregorius de Arimino, aliique plures. Quanta illorum autem in rebus Theologicis ſit auctoritas, ſequentes oſtendunt Canones.

### CAN. I.

In rebus, quæ ad fidem, & mores pertinent, ſi Scholaſticorum argumenta ſcripturis, traditione, Generalium Conciliorum definitionibus firmata non ſint, nulla illorum eſt auctoritas. Perlege Vincentium Contenſonium Tom. 3. Diſſert. præamb. c. 2. Spec. 3. qui errores Caſuiſtarum recenſet, dum opinionum portenta pro lubito invexerunt in morum perniciem ſempiternam.

### CAN. II.

Si plures Scholaſtici in aliquod conſentiant dogma, & omnia exigant ad normam Scripturæ ſacræ, & traditionis, paucis aliis inſignibus reclamantibus, tantum illorum auctoritati, quantum rationibus, quas afferunt, mandandum eſt.

### CAN. III.

Si omnes Scholaſtici in aliquod unanimes conſentiant dogma, magni ponderis eſt illorum auctoritas, quæ tribus hiſce regulis tota concluditur.

# LIBER OTCAVUS.

*De auctoritate Philoſophorum in rebus theologicis.*

IN Philoſophorum libris perlegendis, & philoſophicorum argumentorum uſu cautionem quamdam Theologo eſſe adhibendam nullus non videt, qui probe noſcat cum Tertulliano lib. de præſcript. c. 7. quantum interſit Athenas inter & Hieroſolymas, Academiam & Eccleſiam. Nonnihil tamen utilitatis, & præſidii ex Philoſophorum quorundam argumentis Theologum poſſe deſumere, ſequenti capite ſumimus demonſtrandum.

CA-

# CAPUT UNICUM.

In rebus licet theologicis philoſophica ſtudia odio pluſquam Vatiniano Lutherani proſequantur, illud certiſſime indubitatum eſt, ſummos olim Eccleſiæ Doctores Juſtinum nempe, Origenem, Gregorium Nazianzenum, Baſilium, Gregorium Nyſſenum, Damaſcenum, Auguſtinum, alioſque philoſophica ſtudia minime fuiſſe dedignatos: imo cum tales eſſent Euſebio teſte lib. 5. Eccl. Hiſtor. c. 10. Eccleſiaſticæ ſcholæ præfici ſolebant. En illius verba: *Conſuetudo antiquitus tradita ſervabatur, ut divinarum ſcripturarum Doctores in ſchola Eccleſiaſtica habeantur viri dumtaxat ſcientia & eruditione probatiſſimi. Hujus officii auctor & dux tunc ſatis illuſtris habebabur Panthænus, qui in Philoſophis Stoicis prius nobiliter floruiſſet*. Idem tradit Origenes, qui lib. 6. c. 15. narrat, non ſolum a Panthæno, ſed ab Heracla, aliiſque pleriſque Doctoribus Apoſtolicis Philoſophorum libros legi ſolitos.

In hujus rei confirmationem nonnulla ex ſacris litteris & SS. PP. in medium afferemus. D. Paulus in ſuis ad Gentes exhortationibus, & in ſua fidelium inſtitutione Poetarum & Philoſophorum retulit teſtimonia, & ex iis argumenta deſumpſit. Ita ad Athenienſes loquens ex Arati Aſtronomi phænomenis illud uſurpavit: *Ipſius enim & genus ſumus*. Et ad Corinthios ſcribens ex Euripidis Poetæ tragœdiis illud protulit. *Corrumpunt bonos mores colloquia prava:* Et in ſua ad Titum Epiſtola ex Oraculis Epimenidis Philoſophi illud intulit: *Cretenſes ſemper mendaces, malæ beſtiæ, ventres pigri*, illico ſubjiciens: *Teſtimonium hoc verum eſt*.

Nec alia via incedere viſi ſunt Eccleſiæ PP. ſanctiſſimi. Ita Hieronymus in cap. 17. Hierem. & lib. 2. adverſ. Jovinianum hunc hæreticum confutat atque perſtringit variis Philoſophorum teſtimoniis, multiſque Philoſophorum commentariis, & rerum naturalium editis exemplis. Ita Epiphanius Philoſophorum præſidio hæreticos probat eſſe fugandos Hæreſ. 51. Legatur Auguſtinus lib. 2. De Doctr. Chriſt. c. 40. Socrates lib. 3. Hiſt. Eccl. c. 16. Unde concludendum, Theologum Philoſophorum argumentis Pauli & SS. PP. exemplo uti poſſe. Sed ad ſequentes Canones advertendum.

CAN. I.

C A N. I.

Philoſophorum auctoritas, & univerſalis conſenſus in rebus theologicis rem de fide non facit.

C A N. II.

Philoſophorum auctoritas, quando contra Scripturam, Concilia, PP. &c. pugnet, exitiola eſt & condemnabilis.

C A N. III.

Multa theologica dogmata contra ipſos Philoſophos ex communi Philoſophorum conſenſu certiora fiunt, ut ſi ex illorum ſententia probetur Dei exiſtentia, animæ immortalitas &c.

# LIBER NONUS.

*De auctoritate Hiſtoriæ humanæ in rebus theologicis.*

QUantum in hiſtoricis rebus Theologum deceat eſſe verſatum, vel illi abunde magno ſunt argumento, qui ejus ignoratione in varios prolapſi ſunt errores. S. Auguſtinus lib. de doctr. Chr. 2. c. 28. oſtendit nonnullos circa ſcripturas erraſſe, eo quod ad hiſtoriæ cognitionem illis aditus non pateret. Nec mirum, cum teſte Cicerone hiſtoria magiſtra vitæ ſit, & lux etiam veritatis. Ut tamen veræ a falſis hiſtoriæ diſtinguantur, a Theologo conſulendæ ſunt criticæ artis regulæ, de quibus ad hanc uſque diem innumeræ prodierunt tractationes. Ut autem quiſque probe dignoſcat, quantum auctoritatis humanæ hiſtoriæ ſit demandandum, ſequentium Canonum teximus indiculum.

## CAPUT UNICUM.

HIſtoria alia eſt ſacra, prophana alia, alia Eccleſiaſtica. De prima non eſt hic ſermo, cum illa inconcuſſum ſit fidei noſtræ monumentum. De duobus aliis igitur inquirendum.

C A N. I.

Nulla hiſtoria ſive prophana, ſive Eccleſiaſtica certum Theologo præbet fidei argumentum.

C A N. II.

Aliquorum Hiſtoricorum conſenſus, ſive illi ſint propha-

nI

ni, vel Eccleſiaſtici, dummodo graves & fide digni, probabile ſuppeditat Theologo argumentum.

CAN. III.

Omnium Hiſtoricorum conſenſus nullo contradicente, certum Theologo ſuppeditat argumentum.

# LIBER DECIMUS.

*De uſu rationis in re theologica.*

Rationem utiliter a Theologo conſulendam eſſe, illum ſolum ignorare arbitror, cui rationem homini a Deo datam eſſe ad veritatem comparandam, ignorare contigerit. Neque vero ratio naturalis per modum principii in rebus theologicis ſe habere debet. Has enim partes habent Scriptura, PP. Concilia &c. Sed ea utitur Theologus, ut ex revelatis principiis concluſiones eliciat, aut exponat motiva credibilitatis. Quare ſit

## CAPUT UNICUM.

Quanti valeat in rebus Theologicis ratio, quantaque ſit ejus auctoritas, ſequentes Canones oſtendunt.

CAN. I.

Generalia, & communia principia rationis naturalis, qualia ſunt: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Bonum eſt faciendum; Malum fugiendum*, & his ſimilia, certum præbent Theologo argumentum.

CAN. II.

Concluſiones, quæ alia via, quam per demonſtrationem ex illis inferuntur, lineam non excedunt probabilitatis.

Regi interim ſæculorum immortali, & inviſibili ſoli Deo gratias agamus, quod iſtis de locis Theologicis elucubratiunculis finem impoſuerimus.

**FINIS.**

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
I-G 208320

Digitized by Google

5_1

Digitized by Google